JURIS NATURALIS

UNIVERSI

SUMMA

AD ERRORES HODIERNOS REVINCENDOS ACCOMMODATA.

TOMUS SECUNDUS.

JURJS NATURALIS
SUMMA.

LIBER SEPTIMUS.

JURIS SOCIALIS PARS SECUNDA.

DE ACTIONE HOMINIS INDIVIDUI IN SOCIETATE QUACUNQUE ET IN SOCIETATE DOMESTICA.

Jus domesticum.

CAPUT I.

De actione hominis individui in societate quacunque.

ARTICULUS I.

De generalibus officiis humanæ societatis cujuscunque.

733. Notandum. — Vias rationesque varias per quas Creator homines ad societates concretas diversi generis efformandas perducit, in postremo libro observavimus. Jam in libris sequentibus inquirendum est, quomodo novum hoc esse reale, quod *societas humana* dicitur, gerere se ipsum debeat, ut Creatoris intentiones exequatur. Tantum namque ac tam artificiosum opus Creator profecto non perfecit, quin certas intentiones circa illud haberet, ac proinde quin certa officia implenda illi imponeret.

Jamvero, antequam hæc officia particulariter societati cuique propria determinemus, optimum erit notionem finis ad quem na-

turaliter omnis societas destinata est, explicatiorem tradere : inde enim perfacile generalia cujusque societatis officia deducentur.

734. Pos. 348ª. — Societatis cujuslibet finis immediatus est ordo externus ultimo fini hominis subordinatus.

Prob. 1ª pars. — Societas quælibet humana est quidem essentialiter destinata ad coordinanda entia animo et corpore constantia. At ea nequit in partem hominis spiritualem immediate agere, sed solum quatenus in illo animus naturali unitatis hypostaticæ vinculo cum corpore est conjunctus. Quare, proprie loquendo, natura est quæ in hominum animos operatur, dum societas externam tantummodo in illos actionem exercet. Ergo ipsa hominis essentia actionem socialem limitat ad ordinem externum. Ergo finis immediatus societatis humanæ cujuscunque non potest esse nisi externus, ac proinde temporalis; omnia namque externa ista entia temporalia sunt.

Prob. 2ª pars. — Omnes et singuli homines ad finem quemdam ultimum ac prorsus necessarium sunt a Creatore destinati, ad quem omnia quæ ad hominem spectant, sicut totus ipse homo ordinari debent (241). Et vero Creatoris intentio in societate instituenda, fuit, ut individua simul conjuncta se mutuo ad suum bonum assequendum adjuvarent. Ab hac enim ipsa mutui indigentia vidimus (433, seqq.) societatem humanam quamcunque oriri. Ergo societas humana quælibet debet ex ipsa sua essentia individua consociata adjuvare ad naturalem suum finem consequendum. Atqui naturalis hominum finis in hac vita consistit in tendendo per vias ordinis et honesti ad bonum infinitum (255). Ergo finis ille immediatus societatis ad ultimum finem hominis est naturaliter subordinatus.

735. Coroll. 1. — Quoniam, ut in 2ª parte ultimæ positionis probatum est, concretæ cujuslibet societatis finis essentialis est faciliores efficere vias ordinis et honesti determinatas a fine necessario et a mediorum aptitudine ad hunc finem, quisque videt ideam finis ultimi naturalis etiam in societate pure humana esse fontem ac normam ideæ veri boni socialis. Quocirca ultimus hominum finis potissimum consulendus est, ut de fine immediato cujusque societatis rectum judicium feratur. Qui quidem finis immediatus, quia materialis ac temporalis est, naturam suam moralem a fine ultimo mutuari debet.

Coroll. 2. — Omnis humana societas, quantumvis completa,

suapte natura est *medium* quo individua adjuventur, nón autem finis ultimo a Creatore intentus. Vidimus enim essentialem societatis humanæ cujuslibet quantumvis completæ finem esse *humana individua adjuvare per externum ordinem ad finis ultimi consecutionem* (734).

Quando ergo dicitur bonum individui bono societatis esse subordinandum, sermo est de bono unius vel alterius individui comparato cum bono multorum, atque hæc appendix illi effato subjungenda esset, *bonum* scilicet *societatis cujusque dimetiendum esse per bonum quod in individuorum complexionem redundat.*

Quod sane obliviscuntur illi politici qui societatem seu *Statum* sibi confingunt similem antiqui illius idoli *Moloch,* quod adoratores suos devorabat, ac populi infelicitatem et justas querimonias parvipendunt modo *bonum Status,* ut illi effutiunt, tandem obtineant. Qui error quam adsurdus sit, quantoque odio dignus, quisque facile intelligit.

736. Pos. 349ª. — Nullius societatis officium est omnibus individui cujusque necessitatibus consulere, sed omnis societas debet ea solum individuis subministrare, quibus comparandis nullum individuum sufficit.

Prob. 1ª pars. — Societatem omnibus individui cujusque necessitatibus consulere et injustum et absurdum esset. 1° Esset injustum. Etenim societas non alias habet vires, non aliam operam, quam vires et operam individuorum. Atqui, si cætera individua deberent se suaque adhibere ad unum aliquod individuum iners alendum, vestiendum, protegendum, violaretur evidenter lex æquitatis naturalis. Nulla enim majora illi inerti individuo competerent jura, quam cæteris individuis.

2° Esset absurdum. Nam si, omnibus individuis in communi quadam inertia manentibus, deberet iis omnibus societas prospicere, delirantis id esset abstractionis commentum. Quum enim, ut nuper meminimus, societas nihil agere possit nisi per individua, si hæc individua inertia permaneant omnia, nullum supererit, per quod societas omnibus illis consulere possit.

Prob. 2ª pars. — In omni ampla societate sunt aliqua individua quorum necessitatibus nemo privatim consulit et quæ sibi ipsa sufficere nequeunt. Item, certa quædam opera, sunt societati universæ necessaria, quibus tamen nullum individuum per se prospicit et nullum per se sufficit, cujusmodi sunt annona, exer-

citus et similia. Ergo, quoniam societatis est suppeditare illa quæ et necessaria et possibilia sunt, societatis est ea procurare, quibus individua nulla sufficiunt.

737. COROLL. — Socialis providentia igitur non eximit singula individua ab officio sibi ipsis proprio suo labore et industria prospiciendi; sed debet quisque pro suis viribus sibi consulere vel ab aliis individuis adjuvari juxta leges universalis benevolentiæ et particularium, quæ forte intercedant, relationum. Qua in re societatis officium erit curare ut sua cuique jura salva sint.

Cæterum, homo quisque et lege naturali obligatur et naturali propensione fertur ad necessaria sibi comparanda. Quod siquis huic propensioni resistens eam legem violet, socialis providentiæ est ejus inertiam efficaciter excutere. Communibus vero necessitatibus societas providet operam inter individua distribuendo.

738. POS. 350a. — Bina sunt omnis societatis generalia officia, tutela jurium individualium atque efficax boni communis procuratio.

PROB. 1a PARS. — Essentialis finis associationis cujuscunque est individua adjuvare ad suum naturale bonum obtinendum (735, coroll. 2). Atqui prima conditio observanda ut individua suum naturale bonum obtineant, est ut quisque tuto suis juribus fruatur. Bonum enim cujusque consistit præsertim in iis quæ illi debentur : at quæ alicui debentur, illius jura sunt. Ergo, etc.

PROB. 2a PARS. Bonum societatis commune pendet ab iis quæ, individualem cujusque facultatem excedentia, possunt tamen a societate effici. Atqui hoc est societatis proprium officium procurare illa quæ, viribus individualibus superiora, omnibus tamen sociis necessaria sunt. Nam idcirco societates ab hominibus junguntur, ut per eas ipsi obtineant, quod sine illis obtinere non possent (433 seqq.). Ergo, etc.

739. POS. 351a. — Actio socialis non aliter quam per socialem auctoritatem, scilicet per societatis præsidem, exerceri debet.

PROB. — Multitudini hominum cuipiam non idem est existere atque esse societatem. Multitudo namque, ut sit societas, debet certo quodam unitatis principio colligari (427). Quantum igitur illa per hoc unitatis principium agit, tantum agit socialiter; atque eo magis socialiter operatur, quo magis ejus actio ab hoc principio procedit. Atqui principium socialis unitatis est auctoritas (451). Ergo per auctoritatem societas operatur socialiter,

et tanto magis socialis est ejus actio, quanto magis illa est auctoritatis effectus.

At auctoritas est per se ens abstractum et omnis actionis incapax : multitudo autem associata eget sociali actione reali et concreta (459). Ergo necesse est ut socialis auctoritas in aliquo subjecto individuali concrete existens operetur. Socialis autem auctoritas in sola persona physica vel morali Superioris existit et operatur. Ergo principium socialis actionis concretæ est realiter in solo societatis Superiore, sicut abstracte est in auctoritate. Ergo, etc.

740. Coroll. — In solo igitur suo præside legitimo habet amplior quæque societas actionem complete sibi propriam, deliberatam et liberam. Multitudo vero consociata, quamvis singula individua quibus componitur actionem propriam et deliberatam et liberam habeant, attamen, quatenus est multitudo, nec potest per se habere actionem *unam*, quum per se careat unitatis principio; nec potest actionem *deliberatam*, quia hæc deliberatio postulat omnium sociorum in eumdem locum congregationem et mutuam animorum manifestationem, quæ duo sunt in magna hominum multitudine pariter impossibilia; nec potest habere actionem *liberam*, quia plerique de populo, diligentis institutionis expertes, multis ac variis passionibus implicati, in iis quæ ad publicum regimen spectant, cæci sunt, et commune bonum perspicere nequeunt.

Quamobrem multitudo, quatenus multitudo est, omni auctoritatis principio destituta, socialiter operari non potest. Quod si in multitudinis sibi relictæ actione consensus quidam interdum appareat, id ex duorum principiorum alterutro provenit : vel quia *fictitia* quædam auctoritas, quæ unitatis principium illegitimum sit, clam aut palam movet cæcam multitudinem, quæ tanto facilius primi cujusvis moventis impulsum sequitur, quanto majorem agendi necessitatem, seque ipsam ineptiorem ad concordem actionem obtinendam persentit; vel quia actus hic nunc exercendus naturali instinctui et rationis et passionum adeo conformis est, ut totus ipse homo ad talem actum impellatur a natura, quæ, quum una eademque in omnibus sit, omnibus consociatis unitatem relate ad illum actum præbet.

Coroll. 2. — Altera ista accidentalis unitatis causa sponte sua modum suggerit quem socialis auctoritas in societate regenda sequi debeat ; illa namque accidentalis causa ostendit quanam de-

mum in re ars bene gubernandi consistat, et quæ simul pericula et pœnæ malam rei publicæ gubernationem sequantur. Nimirum homines gubernare est eosdem consociatos movere ad commune bonum. At homines profecto non vectibus ac funibus, quemadmodum trabes et saxa, sed sensu ac ratione moventur. Sunt enim homines entia sensitiva et rationalia, in quibus ratio est principium operationis specificæ (33), adeoque magis proprie naturalis. Sensus vero ad animal generaliter pertinet, atque idcirco elementum informe naturali hominis operationi præbet.

Homo igitur, absolute loquendo, movetur ab eo qui activitatem ejus rationalem, id est voluntatem, movere potest. At, nisi motum hunc voluntati impressum conformis dispositio hominis sensitivi præcedat aut saltem comitetur atque adjuvet, hominis ille motus erit ejus naturæ minus consentaneus adeoque lentus et imperfectus, exceptis fortasse raris quibusdam hominibus, in quibus ratio validissima perfecte cæteris facultatibus dominatur.

Ergo tunc demum perfectus erit usus auctoritatis, quando ille non solum pro objecto commune bonum habebit, sed etiam pro mediis adhibebit, præter *jussionem*, quæ voluntatem vi juris inflectit, etiam *persuasionem*, quæ intellectum subigit, et *bonum sensibile*, cujus apprehensio totum hominem inferiorem ad commune bonum allicit.

Unde intelligitur hac recta doctrina a nobis tradita nequaquam principium *utilitarium* absolute excludi, sed illud superioribus rationis et justitiæ principiis solum subordinari.

At vero hoc diligenter animadvertendum est, quoties principium utilitarium in homine movendo prævalet principiis rationis et justitiæ, inordinatum hunc motum statim evadere. Atqui hominis cujuspiam individui *deordinatio*, præterquam quod est malum ipsius individui, adeoque societatis ad quam illud pertinet, tendit ad sese in alia societatis membra propagandum ita ut evadat malum sociale, præsertim quando illud legibus socialibus publice, quamvis indirecte, approbatur.

Sic, *v. g.*, publica auctoritas quæ populum aliquem compescat pravarum libidinum illecebris illum mancipando, temporaneam quidem rei publicæ tranquillitatem sic obtinebit : at morum corruptio, ex qua utilitatem hanc petivit, amaros ei fructus cito proferet, iis ipsis libidinibus ad rem publicam permiscendam evertendamque, prima quavis oblata occasione, erumpentibus.

Item, suprema rei publicæ auctoritas, quæ ministrorum suorum

fidelitatem pinguibus stipendiis emat, eos hac ratione venales efficit, adeoque easdem apte disponit ut suam fidem illi qui pinguiorem mercedem offerat, quamprimum divendant.

Quamobrem socialis regiminis perfectio postulat quidem ut principia et rationis simul et utilitatis in populo regendo adhibeantur, sed ita tamen ut principium utilitatis semper rationis principio subordinetur ab eoque in omnibus pendeat.

Ex quibus omnibus quisque videt, ei qui societatem gubernat nequaquam ad ipsum societatis finem vires industriamque suas esse convertendas, sed eo potius intendendas esse ut sociorum ipsorum vires actionesque in hunc finem socialem connitantur, mediaque apta illi esse adhibenda ut has sociorum vires congruenter moveat ac moderetur.

Quare publici regiminis perfectio consistit in usu virium humanarum per media consentanea ita dirigendo ut cum omni sua efficacia, sine mutua collisione, illæ conspirent ad bonum cujusque socii particulare obtinendum subordinate ad summum naturæ humanæ bonum.

Coroll. 3. — Si publica auctoritas, ab officio suo aberrans, communi bono prospicere negligat, nec rationem sociorum movens, nec sensitivas facultates inclinans, tunc necessario fiet, ut populus universus, naturali propensione impulsus, auctoritatis regimini renitatur. Etenim in eo casu totus homo, ut sensitivus nimirum atque ut rationalis, tam vehementes impulsus in singulis individuis ad reluctandum accipit, ut quicunque auctoritatis conatus plane insufficiens futurus sit ad obedientiam a plerisque subditis obtinendam. Hinc sæpe fit ut in societatibus vel optime ordinatis quædam leges, quamvis abrogatæ, perpetuo serventur; aliæ vero, auctoritate frustra earum executionem urgente, brevi in desuetudinem abeant.

Jam in ejusmodi casibus actio multitudinis universæ instinctiva est, scilicet indeliberata, quanquam illa in singulis seorsim individuis ea possit esse maxime deliberata. Etenim sociorum multitudo in tali casu unitatem actionis habet sine præcedenti conventione, sine præsenti advertentia sociali, sine certo fine communiter determinato. At singula individua probe norunt talis actionis suæ causas, adeoque possunt eamdem pro arbitratu dirigere.

Quocirca hoc moraliter certum est, publico regimini vel imprudenti vel injusto ex ipsis ejus vitiis justam punitionem pro-

cessu temporis emersuram esse : moraliter namque impossibile est ut magna hominum multitudo communibus naturæ impulsibus diu resistat. Itaque tempus aliquod adveniet, quum surda illa multitudinis contra auctoritatem renitentia in apertam seditionem ac rebellionem prorumpet.

At non idcirco omni culpa vacabunt illi magistratus aut socii quilibet gratia apud populum valentes, qui aptam socialibus iis impulsibus directionem præstare potuissent, prudentibus consiliis opportunaque opera sic adhibitis, ut justæ populi querimoniæ ad supremam auctoritatem via legitima pervenirent, publicæque commotiones vitarentur.

Ubi vero hi vel magistratus vel privati homines, seditiosis conatibus obsecundantes, publicum ordinem pacemque, privatarum utilitatum suarum studio ducti, in discrimen adduxere, plerumque fit ut ab iis quos contra legitimam auctoritatem impune excitari siverint, imprudentiæ ac perfidiæ suæ pœnas accipiant.

ARTICULUS II.

De primo officio hominis individui erga alios homines in quacumque societate.

741. Notandum. — Officia hominis individualia erga Deum et erga seipsum libro quinto deduximus omnia ex universali principio, *Bonum humanum faciendum est*, comparato cum factis determinatis et rerum natura, quæ sunt propria et sola media naturalia ad Creatoris intentiones cognoscendas accommodata. Jam hominis individui officia erga alios homines ex eodem primo morali principio trahenda sunt : quod ut fiat, sufficiet idem illud primum principium considerare cum relatione ad alios homines, ut tali comparatione Creatoris intentio detegatur.

742. Pos. 352a. — Primum sociale officium hominis individui est hoc : *Alios quosque homines ama sicut teipsum.*

Prob. — Primum morale principium, *Bonum humanum fac*, consideratum relate ad alios homines, hanc vim habet : Perfice erga illos Creatoris intentiones. Jam has Creatoris intentiones agnoscere possumus ac debemus aliorum hominum naturam observando ; inde aperte quid ille a nobis postulet, intelligimus.

At quilibet alius homo habet a Creatore naturam prorsus eamdem quam ego habeo. Ergo intentio Creatoris pro eorum quolibet est eadem ac pro me. Ergo primum morale principium,

consideratum relate ad alios homines hoc significat : Bonum cujuslibet alius hominis fac, sicut tuum proprium facere debes. At bonum alterius velle atque efficere est illum amare. Ergo primum morale principium consideratum cum respectu ad alios homines, in hoc principium convertitur : Alios quosque homines ama sicut teipsum.

743. Coroll. — Quoniam principium nuper expositum immediate ex primo morali principio per solam hujus applicationem ad factum naturæ aliorum hominum deducitur, manifestum est illud esse primum status socialis principium. Jam ad hominis cujusque erga alios homines officia magis determinanda sufficit applicare ad primum hoc principium sociale varias eas formas in quas primum morale principium converti jam vidimus (588), quum illud relate ad hominem solum sine relatione ad alios homines spectavimus. Sic igitur ob easdem rationes, per materialem illam transformationem, sequentes formulas obtinebimus in re ipsa æquivalentes : *Bonum alienum fac ; Cura ut alii ad suum finem tendant ; ut honeste vivant ; ut ordinem servent ; ut suam perfectionem obtineant ; ut felices sint ; ut ad Deum tendant ; ut divinas perfectiones manifestent ; ut Deo gloriam tribuant.*

744. Pos. 353ª. — Nemo tenetur alios homines quantum seipsum, amare.

Prob. — Amor est tendentia voluntatis ; tendentia autem est motus quidam. Jamvero in motu aliud est *qualitas* seu directio, aliud est *quantitas* sive intensitas : directionem determinant finis et via per quam ad illum pervenitur ; intensitas pendet a principio impellente. Sic duæ naves quæ Massilia Genuam versus proficiscuntur, habent eamdem directionem ; habebunt præterea eamdem motus intensitatem, si sub ejusdem venti impulsu easdem staticas proportiones habeant.

Itaque tendentia qua bonum aliorum volumus, eamdem habet directionem ac tendentia qua nostrum bonum appetimus, quia ad eumdum finem it per eadem media. At principia quæ motum utrique huic tendentiæ imprimunt, longe diversam vim et efficaciam habent. Nam tendentia ad bonum vel proprium vel alienum oritur, ut quælibet alia tendentia, a natura voluntatis et a boni alicujus apprehensione, quæ naturam illam determinat (18, 19). Ergo, quanto arctius hoc bonum cum perfectione naturæ tendentis connexum erit, et vivacius a mentis apprehensione cognitum, tanto intensior erit impetus tendentiæ.

Atqui 1° bonum cujusque hominis proprium est magis connexum cum-ejus natura quam bonum alienum : nam ad bonum aliorum eatenus solum tendit, quatenus eorum natura suæ similis est; ad suum autem bonum tendit, quatenus illud est perfectio naturæ ipsius propriæ. Atqui similitudo multo minus cum subjecto connexa est quam identitas. Ergo ex parte naturæ multo magis homo proprium bonum quam alienum amare debet.

2° Apprehensio, quæ alterum est tendentiæ principium, multo vividiorem præbet cognitionem *mei*, quam illius quod est *extra me;* et idcirco sub formis multo evidentioribus cuique homini exhibet et necessitatem boni, quam ille persentit, et proportionem objecti, quod illi necessitati satisfacere potest. Ergo, etc.

745. Coroll. — Humanus igitur aliorum amor, seu, ut dici solet, *amor proximi*, debet esse *similis* amori sui ipsius, sed nequaquam debet illi *æqualis* esse : multo minus potest rationabiliter esse *major*, ut nonnulli perperam volunt, docentes amorem sui ipsius ab amore aliorum tanquam a sua causa procedere. Videmus equidem magnanimos quosdam homines adeo generosi amoris testimonia quandoque edidisse, ut omnino videantur alienum bonum suo proprio prætulisse. Attamen id sibi persuadere ii soli consueverunt, quibus bonum hæc duo sola sunt, voluptas et utilitas. Certum nihilominus est verum bonum hominis proprium in ordine atque honestate solum consistere, cujus pulchritudo eo magis elucet, quo magis illius causa voluptas atque utilitas contemnuntur.

Igitur qui pro alterius amore fortunas suas vel commoda vel famam vel ipsam denique vitam projicit, dum suo proprio bono renuntiare videtur, magno tamen impetu evolat in illud bonum ordinis et honesti, ad quod obtinendum humanus animus creatus est. Hoc bonum, quod unicum est hominis verum bonum, vulgares animi per laboriosas solum percipiunt demonstrationes, quibus ratio quidem convincitur, sed affectus minime accenditur. At excelsi animi illud intuitione quadam pervident, qua et illius pulchritudinem repente intelligunt, et in illud summo studio rapiuntur.

ARTICULUS III.

De primo jure hominis individui respectu aliorum hominum in societate quacunque.

746. Pos. 354ª. — Quilibet homo habet jus proprii sui boni efficiendi, quatenus illud cum alieno bono minime pugnat.

Prob. 1ª pars. — 1° Ex primo sociali principio, quod positione 352ª assertum est, tenetur quivis homo aliorum hominum bonum efficere, adeoque abstinere ab iis omnibus quæ illis suum bonum impedirent. Atqui cuivis officio proportionatum jus in ejus termino respondet. Ergo primo illi officio sociali respondet in aliis hominibus jus correlativum proprii boni efficiendi, quin ab ullo impediantur.

2° Omnium et singulorum hominum specifica æqualitas necessario parit eorum cuique hoc jus sui boni independenter efficiendi. Nam si omnes sumus æque homines, nostri intellectus sunt omnes æque intellectus. Ergo in sola humanitate, quæ omnibus est communis, nulla est ratio cur alius suam mentem alii inclinet. Atqui et voluntas et actio intellectum sequi debent (112, 42). Ergo si alteri homini subjicere suam mentem nullus homo tenetur, in voluntate et actione sua ab ullo alio pendere pariter non tenetur. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars. — Tendentia ad bonum est in homine prorsus illimitata per se ipsa. Ergo nullis potest ea limitibus coerceri, nisi vel ob materiam suorum jurium quæ potest deficere, vel ob jura aliorum quæ determinato cuidam talis hominis juri ex adverso occurrant, illique reluctentur. Nam, ubi contraria duo jura sibi occurrant, ea colliduntur, et actio juris infirmioris suspensa hæret (370), quia impossibile est, ut duæ facultates secundum rationem sint active et simultanee sibi invicem contrariæ, nimirum ut ratio alteri dictet sibi aliquid determinatum esse dandum, et simul alteri dictet illud ipsum priori minime dandum esse. Ergo, etc.

747. Coroll. — Si sola humanitas consideretur, omnes homines habent æquale jus agendi quidquid eis videbitur ad proprium bonum obtinendum; nec potest quisquam hujus juris exercitium cuipiam homini impedire, quin peccet contra justitiæ ordinem a quo jus hoc procedit. Hæc ineluctabilis secundum ratio-

nem potestas boni proprii efficiendi juxta suum arbitrium, quin possit quisquam rationabiliter adversari, vocatur jus *independentiæ*.

Diximus autem suspendi in collisione duorum ejusmodi jurium oppositorum efficaciam alterius : quo in casu quæ regulæ sequendæ sint, jam diximus libro III°, cap. 6°, art. 3°.

ARTICULUS IV.

De officiis hominis individui erga alios homines in societate quacunque respectu mentis.

748. Notandum. — Ex primo morali principio nuper deduximus primum sociale officium et primum sociale jus. Jam ex primo hoc sociali officio facile deducemus secundaria officia et jura ordinis universalis. Hoc enim probe notandum est, omnia hæc officia et jura pertinere ad ens quoddam abstractum, nimirum hominem quemcunque in societate qualibet viventem, adeoque non posse illa ad praxim adduci, nisi individuis in particulari quadam societate viventibus aptentur, et cum peculiaribus formis socialibus componantur. Jamvero in primo sociali principio vidimus hominem quemque teneri alios amare sicut seipsum, nimirum aliis velle idem bonum quod sibi ipsi velle debet. Atqui sibi ipsi debet quisque triplex bonum velle, scilicet bonum mentis, bonum voluntatis et bonum humani compositi. Ergo triplex hoc bonum debet etiam aliis velle. De singulis seorsim tribus articulis agemus.

749. Pos. 355ª. — Quilibet homo erga alios homines ante omnia officio veracitatis in omni casu tenetur.

Notandum. — *Veracitas* est loquelæ cum loquentis ideis conformitas : loquelam autem dicimus quodcunque signum vel *vocale*, vel *graphicum*, vel *mimicum*, ad ideas communicandas assumptum. *Mendacium* ex adverso est loquelæ a loquentis ideis difformitas.

Prob. pos.— 1° Nisi veracitatis officio quilibet homo in quocunque casu teneatur, impossibilis evadit societas. Nam societas est conspiratio mentium in suis judiciis convergentium, ut exinde voluntates et actiones conformes enascantur (lib. IV, cap. 1, art. 1). Atqui conformitas illa mentium non potest a naturali earum determinatione provenire : est enim potius indeterminatio quædam

mentis intelligentis propria, sicut est propria liberæ voluntatis illi respondentis. Ergo illa mentium seu judiciorum conformitas, sine qua voluntatum et actionum conspiratio nulla est, non potest aliter haberi quam per reciprocam idearum et judiciorum communicationem, quæ per loquelam fit. Ergo, nisi loquela sit medium ad ideas et judicia aliis hominibus communicanda, omnis societas est impossibilis. Atqui humanæ naturæ contrarium adeoque essentialiter malum est quidquid societatem efficit impossibilem; quia societas est hominibus naturalis. Ergo, etc.

2° Materia circa quam veracitas versatur, evidenter etiam ostendit obligationem veraciter loquendi. Nam veritas est radix et medium omnium bonorum ad quæ adipiscenda homo est a natura destinatus. Jam si homines, quibuscum quotidie quisque versatur, non tenentur veritatem loqui, nulla erit illi amplius regula quam sequi possit in suis negotiis tractandis et in actionibus suis dirigendis. Quum homines in vita sociali passim alii aliis occurrant, et negotia et causas et intentiones suas cum alienis multipliciter connexas et complicatas persæpe habeant, si hominum colloquia eorum cogitationibus ac sensibus conformia esse nequaquam debeat, nulla erit amplius lux quam humana prudentia sequi possit ad pericula vitanda et suos fines obtinendos. Ergo, etc.

750. Coroll. 1. — Mendacium igitur est *antinaturale* et *antisociale* : 1° Antinaturale, quia naturæ ipsius loquelæ repugnat. Quum enim loquela naturaliter instituta sit ad suos sensus cum aliis communicandos, per mendacium ad eos contegendos adhibetur. Quare mendacio inducitur positiva contradictio inter hominem internum et externum, scissio nimirum antinaturalis in ente naturaliter uno.

2° Antisociale, quia societatem efficit impossibilem. Atque hoc ipso quod est antisociale, est iterum antinaturale, quia, ut nuper vidimus, opponitur humanæ naturæ, quæ est essentialiter socialis. Quare mendacium est loquela et suæ ipsius naturæ et naturæ humanæ contraria.

Coroll. 2. — Injuria, quam in societate aliis hominibus mendacio inferri diximus in 2ª probat. pos. 355, tanto major est quanto majus damnum illis ex mendacio provenit, et quanto major iisdem est ratio veracitati nostræ fidendi. Nam 1°, damnum mendacio illatum augeri potest tum ex varia materia de qua agitur, quæque varium pretium habet, ut, *v. g.*, fortunæ, fama, vita; tum ex majore difficultate actiones suas dirigendi, quam mendacium

/. f

afferre potest, non solum veritatem necessariam illi subtrahendo, sed etiam errorem positive perniciosum insinuando. 2° Ratio quam quisque habet verbis meis fidendi, eo major est, quo magis ipse bonum vericitatis illi velle teneor, aut naturalis titulo charitatis, *v. g.*, amicitiæ, civitatis, cognationis et hujusmodi; aut vi obligationum, quas ipse ultro suscepi, *v. g.*, promittendo vel consulendo; aut ob sacras loquendi formas a me adjectas, præsertim juramento adhibito; aut denique ob impossibilitatem in qua ille versatur veri aliunde cognoscendi.

Coroll. 3. — Quas coroll. præcedenti breviter attigimus, sunt præcipuæ causæ, ob quas sacra peculiariter est veritas in *conventionibus*, nimirum in iis actibus in quibus alteri nostras erga illum intentiones manifestando volumus expresse eumdem ad aliquid agendum vel omittendum impellere. Etenim, sive ille ex adverso nobis mutuas intentiones beneficas aperiat, sive simpliciter ostendat se promissioni nostræ fidere, seu *verbum*, ut dici solet, *acceptare*, semper tenemur et veritatem præsentem illi sincere detegere, et deinceps agere juxta intentionem tunc a nobis declaratam, saltem quando hæc declaratio non solum fuit actus humanus et circa materiam honestam, sed etiam ab omni violentia immunis. Si enim violentia per metum incussum intervenisset, quæstio fieret complicatior quam ut possit per solas has primas de officiis et juribus conventionalibus notiones resolvi.

751. Pos. 356ª. — Æquivocatio ad alterum decipiendum adhibita, modo per se ipsa non adversetur cogitationi ejus qui illam adhibet, per se aliquando licita est.

Prob. — Licitum est velle alterius deceptionem, quando ea nobis necessaria est, modo ne ipsi nos illum decipiamus. Nam si ad bonum aliquod magni momenti consequendum, vel grave malum vitandum, necesse mihi est aliquid efficere quo alter ob suam imprudentiam in errorem inducetur, nihil agam veracitati, nihil charitati contrarium; his enim duobus solum officiis opponi posset quidquid mali moralis fingeretur in tali æquivocatione adesse.

Atqui talis æquivocatio sic adhibita : 1° Nihil veracitati contrarium continet. Nam actio illa æquivoca, unde alter erroris occasionem accipit, in talem errorem per se ipsa minime inducit; quia nec natura sua, neque ex communi usu significat præcise illud quod alter imprudenter putat : hoc enim in positione expresse postulamus.

2° Nihil charitati recte ordinatæ contrarium continet: quia alterius errorem et mala exinde illi provenientia non quidem directe et per se volo, sed solum ad grave malum a me propellendum, vel ad magnum bonum obtinendum. At charitas recte ordinata utique vel me obligat, vel mihi saltem permittit, ut mihi prius consulam, necessaria bona mihi comparando. Ergo, etc.

752. COROLL. 1. — Ex iis quæ breviter in postrema positione confirmanda diximus, manifestum fit discrimen quod inter æquivocationem et mendacium intercedit. Nam mendacium consistit essentialiter in loquela cogitationi contraria. Itaque quod mendacium efficit intrinsece malum non est voluntas alterius decipiendi, sed quod ipsum per se deceptio sit. Et vero, in bellicis stratagematibus, dux positive vult hostis deceptionem : attamen licita illa sunt; quia scilicet profectio et regressio et simulata itinera exercitus nullam per se determinatam significationem habent. Quare æquivocatio verum, quamvis subobscure, dicit; mendacium e contrario falsum loquitur. Ergo æquivocatio non est per se deceptio; at mendacium est positiva contradictio inter hominem externum et internum. Item, æquivocatio mala est quando alterum privat bono debito. At, quoniam non omne bonum alteri debemus, idcirco non semper æquivocatio mala est. Mendacium autem, etsi malum directe non velit, quin imo etsi ad bonum aliquod obtinendum adhibeatur, mala semper est, quia est per se deceptio, adeoque semper deceptio, videlicet oppositio hominis externi cum interno. Igitur mendacii malitia oritur ex eo quod illud sit essentialiter antinaturale et antisociale; at malitia æquivocationis oritur ex damno illicito quo per accidens alter afficitur, quum veritate sibi debita privatur.

COROLL. 2. — Officium veracitatis servandæ et jus ad alienam veracitatem spectant præcipue non ad individui commodum, sed ad bonum societatis, ut ex corroll° præcedenti constat. Hinc vero consequitur nullum individuum posse huic juri renuntiare, et nulla auctoritate posse quemquam ab hoc officio liberari. Quinimo ne societas quidem ipsa potest juri illi renuntiare. Nam societas potest utique interdum seipsam dissolvere, et sic materiam legum socialium subtrahere; at, quamdiu remanet societas, non potest sibi ipsa repugnare, legesque Creatoris transgredi.

COROLL. 3. — Aliud est affirmare aliter quam cogitamus, aliud est celare quod cogitamus. Falsum loqui repugnat sermonis naturæ, adeoque semper malum est : at sensus nostros, quum

opus est, celare est omnino conforme naturæ cogitationis, quæ a Creatore in imis nostræ mentis penetralibus inclusa est. Qua ratione officio consuluit prudentiæ sine qua subsistere nulla societas potest. Hoc autem maximum virtutis opus est, talis silentii leges ita temperare, ut nec prudentia in astutiam, nec sinceritas in fatuitatem degeneret.

COROLL. 4. — Veritas non solum est homini medium necessarium quo vitæ suæ rationem dirigat, sed est etiam bonum per se ipsa, et bonum præcipuum humanæ naturæ, quæ a tendentia in verum seu ratione, qua prædita est, specificatur. Ergo debet quisque homo efficere quantum potest (742), ut alii quoque potiantur hoc bono, ad quod eorum mens perpetuo aspirat; atque alii quique jus habent ne ab hoc bono obtinendo sine ulla necessitate impediantur. Illud autem officium et hoc jus eo graviora sunt, quo magis veritas ea determinata, de qua forte agatur, connexa est cum summo Vero, in quo naturalis nostra tendentia perfecte est olim conquietura, ac perfectam felicitatem totus homo reperturus est. Ego sanæ doctrinæ religiosæ et professio et propagatio sunt officia gravissima non solum individui probi et pii, sed etiam societatis recte ordinatæ, quod inferius plane ostendetur.

ARTICULUS V.

De officiis hominis individui erga alios homines in societate quacunque respectu voluntatis.

753. POS. 357ª. — Quisquis in societate quacunque officio *publicæ honestatis* adstringitur.

PROB. EX POS. 352ª. — Quisque tenetur homines sicut seipsum amare, adeoque verum hominis bonum iisdem, quantum in se est, procurare. Ergo omnis homo devincitur etiam negativo officio consecutionem veri boni aliis hominibus minime impediendi. Hoc autem officium negativum prohibet nequis unquam ita se gerat, ut aliis vel impossibilem, vel saltem difficilem reddat consecutionem vel exercitium honestatis, in qua verum hominis bonum in hac vita consistit. Atqui quod ab ordine servando et honestate sequenda hominem maxime impedit, post ignorantiam, est inordinatus passionum motus. Ergo officio illo negativo cuique homini prohibetur quidquid ad passiones immodice excitandas et ab ordine abducendas idoneum est.

Officium vitandi quidquid ad alienas passiones nimis inflammandas tendit, generale officium *publicæ honestatis* appellatur, plura particularia officia continens, de quibus inferius agemus. Ergo, etc.

754. COROLL. — Bonum voluntatis quod quisque aliis hominibus, quantum potest, procurare debet, nihil aliud est quam verum et *esse* consideratum ut objectum voluntatis. Potest autem bonum, sicut verum, spectari et ut medium in entibus limitatis, et ut finis in *Esse* infinito. Jam aliis hominibus opitulari ad Bonum Infinitum consequendum, est essentialis finis humanæ societatis (734), adeoque est ultimus scopus omnium officiorum particularium. At hoc officium, quatenus positive spectatur, et quatenus ad verum assequendum pertinet, recidit in officium veri loquendi, quod superiore articulo explicavimus : voluntas enim ad bonum prosequendum non aliter naturalibus mediis incitari potest, quam bonum illi evidenter ostendendo.

755. POS. 358a. — Quivis homo aliis quibuscunque hominibus observantiam, benevolentiam et urbanitatem debet.

PROB. — Constat ex pos. 352 et ex sequenti coroll°, quemque hominem debere aliorum hominum bonum perfectum et felicitatem velle, atque ut ii felices sint ac perfectionem suam obtineant, curare. Ergo quivis homo tenetur aliis hominibus, quantum potest, opitulari usu bonorum finitorum, quæ sunt media ad bonum infinitum obtinendum.

Jam bona limitata sunt vel materialis ordinis vel moralis. Bona materialia ad corporis utilitatem spectant; de quibus alibi disseremus. Bona vero moralia, quibus ad aliorum commodum quivis uti potest, sunt relationes illæ benevolæ omnis generis, quæ ad tria capita reduci possunt, nimirum ad *observantiam*, ad *amorem* et ad *urbanitatem*. Nam omnes facultates quibus aliis hominibus servire possumus, ad mentem, ad voluntatem et ad externam actionem revocantur. Atqui per observantiam *mente*, per amorem *voluntate*, per urbanitatem *externa actione* aliis hominibus benefacimus. Ergo, etc.

756. COROLL. — Ad hæc tria bona quæ universalis societatis vinculum naturale sunt, ab aliis hominibus obtinenda quivis homo, hoc ipso quod homo est, habet jus naturale. At modus, quo huic juri universali satisfit, diversus esse potest ; 1° pro diversis hominum gradibus, qui in societate concreta relationum socialium speciem immutant; 2° pro diversa ratione agendi,

quam alii homines reciproce in tali officio exequendo sequantur. Quum enim æqualia in omnibus hæc jura sint, æqualis ab omnibus executio esse debet. Quare siquis ab alio his juribus fraudetur, potest quandoque jus suum ab illo repetere etiam suspendendo erga injustum illum adversarium externam officii correlativi executionem.

At quærendum hic est, utrum internorum etiam officiorum, *observantiæ* scilicet atque *amicitiæ*, executionem suspendere tunc liceat. Quæ sane quæstio magni momenti est. Ejus enim solutio primis juris socialis principiis, a quibus ea pendet, magnam lucem afferet, atque ad alias gravissimas quæstiones solvendas viam sternet. Illa autem quæstio in summa ad hanc aliam reducitur, nempe utrum naturalis sit inimici amandi obligatio.

757. Pos. 359ª. — Quivis hominem sibi inimicum amare jure naturali obligatur.

Prob. — Officium mutui amoris quo se vicissim prosequi homines debent, totum hoc titulo nititur, scilicet naturæ identitate (742). Atqui homo inimicus, eo quod me oderit, non cessat tamen eamdem naturam habere quam ipse habeo. Ergo illius jura minime mutantur, quum intactus horum jurium titulus permaneat. Ergo jus quod ille ad meum amorem habet, non mutatur, sed solum colliditur cum jure quod ipse habeo ad obtinendum ab hoc homine inimico observantiam, benevolentiam et comitatem : quod jus confert mihi facultatem utendi mediis idoneis ad obtinendam ab eo talis officii executionem. Atqui internam observantiam et benevolentiam inimico recusare, nunquam potest esse medium idoneum ad obtinendum ab illo, ut suo officio satisfaciat : illa enim duo utpote omnino interna, sive adsint sive desint, minime ab illo noscuntur. Ergo jus quod ipse habeo ad illius observantiam et benevolentiam et comitatem, non elidit jus quod ille habet ad internam meam erga illum observantiam et benevolentiam. Ergo, etc.

758. Pos. 360ª. — Privatam vindictam velle in nulla societate unquam licet.

Notandum. — Mali pro malo accepto retributio est illud quod *vindicta* vocatur.

Prob. pos. — I. Vindictæ privatæ in nulla societate ratio sufficiens ulla unquam esse potest. Nam hæc ratio esset vel ad obtinendum ab offensore proprium jus, vel ad ordinem turbatum restituendum. Atqui 1° privata vindicta est medium ineptum ad

proprium jus obtinendum. Nam primo quidem vindicta infert quidem offensori malum, sed damnum ab offenso jam acceptum minime resarcit. Deinde vindicta privata, etiamsi damno illato sit proportionata, offensoris tamen animum irritat, eumque a socialibus suis officiis offenso in posterum reddendis magis ac magis abstrahit, tum quia naturaliter damnum illatum inimicitiam auget et confirmat, tum quia offensor semper judicabit et malum sibi ab offenso redditum damno a se illato majus esse, et malum illud sibi ab offenso infligi non justitiæ amore, sed iræ atque odii passione. Ergo privata vindicta esset medium omnino inefficax ad finem illum obtinendum, quinimo illi sæpe contrarium. Ergo nulla collisio est inter jura offensi et offensoris (757). Quare ego offensus adhuc offensori debeo quod illi antea debebam. Ergo sicut ante, ita etiam post offensionem malum illi inferre licite non possum.

2° Vindicta privata est medium ineptum ad ordinem turbatum *restituendum*; quia offensus ira commotus injuriam naturaliter judicat graviorem quam revera est, et graviorem ultionem quam ordo postulet, plerumque faceret : quod statim 2° arg° fusius explicatur.

II. Privata vindicta ipsi societatis existentiæ plane adversatur. Nam 1° societas nulla subsistere potest sine duobus vinculis socialibus, quæ sunt *mutuus amor et mutua justitia.* Atqui privata vindicta, quum ea non ad accepta damna resarcienda, sed ad offensorem lædendum spectet, discordias et damna necessario auget et multiplicat.

2° Experientia idipsum maxime confirmat. Quoties enim privata vindicta, civili auctoritate languente, passim exercetur, quisquis offensus est, arma contra offensorem capit eique malum quam maximum potest, infligit. Tum vero qui prius fuerat offensor, evadit offensus, atque ad sua damna vindicanda vicissim insurgit; et sic deinceps alternans hinc inde vindictæ rabies perpetuos tumultus ac cædes efficit.

Præterea, quum læsio unius membri ad consortium aliquod pertinentis sit consortii totius læsio, si talis vindicta feriat familiæ alicujus aut collegii aut cujuslibet alius communitatis membrum, omnia membra ad illud unum tuendum atque ulciscendum concurrunt, et sic unius hominis offensio centum quandoque gladios ad feriendum excitat. Jamvero, quum illuc in societate qualibet perventum est, destrui vel dissolvi necessario illa debet;

status enim perpetui belli omnium in omnes societatem ipsam perimit. Ergo, etc.

759. Coroll. — Ex eo quod privata vindicta in societate quacunque sit illicita, minime sequitur probos ac tranquillos cives impune posse ab improbis lædi. Est enim in qualibet societate auctoritas a qua societas universa ejusque singula membra directionem ac tutelam accipere debent. Ad hanc porro auctoritatem pertinet frenum improborum audaciæ injicere, crimina punire, privatorum læsiones ulcisci : qua de re plura inferius disseremus.

ARTICULUS VI.

De juribus et officiis hominis individui in quacunque societate, quoad propriam et alienam vitam tuendam.

760. Notandum 1. — Tertium caput jurium et officiorum quæ in omni societate homini cuique sunt, explicandum jam est, ad humani compositi, nimirum ad vitæ conservationem ac perfectionem, attinens.

Jamvero humana vita duabus potissimum causis labefactari potest, aggressoris violentia et naturali virium attritu. Ergo jus et officium vitæ conservandæ duo præcipua jura continet, scilicet *jus defensionis* et jus bona fortunæ possidendi, seu *jus dominii*. De priore jure hoc articulo, de posteriore duobus sequentibus disputabimus.

Notandum 2. — Cuique homini competere jus propriæ vitæ conservandæ, adeoque illius protegendæ ab iis omnibus quæ illam in discrimen adducerent, satis constat ex officio individuali quod lib. 5° asseruimus, cap. 5. At hoc jus in societate alienis insultibus ac violentiis expositum est, quæ violentiæ quandoque sine aggressoris damno repelli nequeunt. In his circumstantiis quæ jura sint illius quem aggressio impetit, videndum est. Potest autem qui alterius vitæ vim inferre aggreditur, jus et officium sic agendi habere, cujusmodi sunt publicæ justitiæ ministri. De justo igitur et de injusto vitæ alienæ aggressore distincte loquendum est.

761. Pos. 361ª. — Justi aggressoris et occisio et gravis læsio ad propriam vitam tuendam illicitæ sunt.

PROB. — Justus aggressor, cujusmodi est publicæ justitiæ minister, habet jus libertatis aut vitæ mihi auferendæ, ex hypothesi; supponitur enim esse *justus* aggressor. Ergo nullum habeo jus ad illum lædendum, ut ab illo effugiam. Nam jus quodlibet a superveniente jure contrario prorsus impeditur et omni actione privatur (370). Ergo, etc.

762. POS. 362ª. — Injustum aggressorem occidere non licet ei qui aggressionem fuga innocua evitare potest.

PROB. — Ubi injustam aggressionem evitare possim fuga quæ nullum mihi aut meis grave detrimentum aut periculum pariat, jurium collisio tunc adest inter jus mihi competens ne a loco, ubi legitime sum, deturber, et jus quod aggressor ad propriam vitam habet. Atqui materia mei juris in tali casu est longe inferior materia juris contrarii, ut evidens est : multo enim gravius malum est hominem quempiam necari, quam alium hominem a certo loco invitum recedere. Ergo meum illud jus longe levius cedere juri aggressoris longe graviori debet. Ergo, etc.

763. COROLL. — Supposuimus ex mea fuga nullum mihi aut meis grave malum sequi. At, si fugiendo deberem familiam meam gravi periculo expositam relinquere, jus meum erit jure aggressoris longe gravius; quia mei juris materia majoris momenti est et ad ordinem universaliorem pertinens; familia namque est societas quædam, aggressor vero est individuum. Ergo tunc non solum jus sed etiam officium mihi erit aggressoris cum quocunque illius damno repellendi. Si vero materia mei juris ad eumdem ordinem pertineat ac jus aggressoris, ut, *v. g.*, si mea fuga mortis periculo meum amicum exponat, tunc quoniam injusta aggressoris violentia est, amicum tueri per aggressoris necem utique et possum et debeo.

764. POS. 363ª. — Injustum aggressorem, qui leve damnum in bonis fortunæ inferre solum velit, non licet occidere.

PROB. — Inter malum quod aggressor, bona fortunæ aliqua ad vitam mihi non necessaria rapiendo, mihi inferre vult, et malum quo illum afficerem, violentiam per ejus necem probibendo, nulla est æqua proportio. Aggressoris namque mors longe majus malum est quam fortunæ aliqua jactura ad vitam non necessaria et reparabilis. Ergo jus quod habeo, fortunas meas tuendi, quum longe levius sit jure quod ad suam vitam habet aggressor, cedere illi omnino debet. Ergo, etc.

765. COROLL. 1. — Quisque videt ex iis quæ in positione pro-

banda indicavimus, *leve* damnum in bonis fortunæ a nobis appellari quamcunque fortunarum amissionem, quæ mediis ad vitam honeste agendam necessariis non omnino expoliet. Talis enim quæcunque bonorum amissio semper erit detrimentum longe levius quam vitæ ipsius amissio. At, si aggressor conaretur eripere media ad honeste vivendum prorsus necessaria, ob legem illam proportionis quæ semper in duorum jurium collisione adhibenda est, poterit utique aggressio illius nece repelli.

COROLL. 2. — Hoc etiam manifestum est, si dum bonis meis ab aggressoris violentia defendendis insisto, aggressor ad vim meæ vitæ ipsi inferendam assurgat, tunc jam non amplius de fortunis sed de vita mea tuenda agi; adeoque omnia quæ ad mortis periculum ab injusto aggressore illatum propulsandum facere licet, tunc utique licebunt.

766. POS. 364ª. — Ei qui solis vulneribus potest injusti aggressoris violentiam prohibere, licet quidem hunc vulnerare, at eumdem occidere non licet.

PROB. — Si, aggressore in me irruente, possim illum ita vulnerare ut ineptum eum ad pugnandum ac me lædendum efficiam, tunc jus meum ad vitam evidenter superat jus quod aggressor habet ad membrorum suorum integritatem; at meum illud jus nequaquam colliditur cum jure aggressoris ad vitam. Ergo hoc aggressoris jus intactum permanet, quamvis ille amiserit jus ne a me vulneretur. Ergo, etc.

767. POS. 365ª. — Injustum aggressorem, mortem cuipiam inferre parantem, ubi non aliter possit ejus violentia prohiberi, occidere statim privato homini licet.

PROB. — Ubi injusti aggressoris mors sit solum medium quod ad vitam meam ab ejus violentia defendendam superest, perfecta tunc adest collisio juris ad vitam quod uterque habemus. Ergo si sola jura *humanitatis* communia spectarentur, hæc jura et in me et in aggressore æqualia essent.

At vero factum aggressionis plures jam induxit circumstantias quæ jus aggressoris ad suam vitam efficiunt meo jure longe inferius. Nam 1° aggressio est *injusta*, nimirum ordini contraria : mea vero defensio est *justa*, scilicet ordini consentiens. Ergo in me bina jam adsunt jura, jus generale propriæ *conservationis* et jus particulare *defensionis* pro tali casu, nempe jus ad vim hostilem retundendam ut meæ vitæ consulam : quæ duo jura sunt pariter ordini conformia.

Aggressori autem est utique jus commune ad propriam conservationem, sed minime jus est ad vim adversam cum adversarii morte aut gravi læsione prohibendam (pos. 361ª). Nam aggressio ordini contraria nullo pacto potest in aggressore spectari ut titulus juris, quod est facultas a ratione atque ab ordine proveniens (355). Ergo jus aggressoris meo jure inferius est.

2° Aggressor liber omnino est ut ne periculum illud mortis adeat, atque ultro sese illi objicit. At ego e contrario invitus in illud periculum ex necessitate incidi. Atqui quod necessarium est multo magis ad ordinem pertinet quam quod est liberum : si enim hoc alterum ad ordinem omnino spectaret, *necessarium* esset. Ergo lex ordinis majorem vim confert juri meo, quam juri aggressoris. Ergo jus aggressoris nullum est in eo casu; et me lædere ille ad suam vitam tuendam non aliter quam contra rationem atque ordinem potest. Ergo, etc.

768. Coroll. 1. — Quoniam ille cujus vitam injusta aggressio *impetit*, habet jus in vitam aggressoris, multo magis ille habet jus ad omnia quæ sibi vel ad se defendendum, vel ad aggressorem impugnandum prodesse possunt. Hinc vero primum enascitur germen jurium internationalium *occupationis* in bona et in libertatem aggressoris devicti; de quibus juribus inferius dicemus.

Coroll. 2. — Jus defensionis etiam cum aggressoris morte totum a præsenti necessitate oritur, nec ad aliud quam ad hominis innoxii vitam conservandam spectat. Ergo statim ac necessitas illa urgere desinit, jus quoque illud defensionis cessat.

Ob eamdem vero hanc rationem, ubi absoluta occurreret impossibilitas meæ vitæ servandæ, nequaquam mihi liceret aggressorem, aut ex pluribus aggressoribus aliquem, occidere; quia talis occisio minime tunc esset medium ad meam vitam servandam, et mera fieret *vindicta*, quæ privato cuivis homini illicita est.

769. Pos. 366ª. — Quicunque ob injustam alterius agressionem in vitæ periculum venit, habet jus ad subsidia omnium qui necessariam eidem opem afferre possunt.

Prob. — Quilibet homo adstringitur officio cooperandi ad alienum bonum adeoque præsertim ad ejus conservationem (742). Ergo cuivis homini reciprocum jus est subsidia necessaria obtinendi ab aliis hominibus, qui afferre illa possint.

Hoc autem jus per se esset commune et aggressori et illi qui aggressionem patitur. At aggressor suo facto trangressus est limites et *necessitatis* et *rationis*, a quibus hoc jus ad aliena

subsidia essentialiter dependet. Præterea suo adversario necessitatem et idcirco etiam jus sese defendendi ut suæ vitæ prospiciat ille creavit : ipse vero omni jure caret adversarii, quem injuste aggreditur, lædendi.

Ergo omnibus modis necessariis licite ille ab adversario aliisque ad opitulandum occurrentibus lædi potest. Quicunque enim ad eum qui periclitatur protegendum accurrerunt, illius jus participant pro ratione necessitatis in qua ille versatur. Ergo, etc.

770. Coroll. 1. — Qui ob injustam aggressionem vita periclitatur, sicut ad aliena subsidia jus naturale habet, ita a fortiori habet jus ad omnia media defensionis quæ ipsa adhibere possit. Nemini ergo licet eum impedire ne his mediis utatur.

Coroll. 2. — Hactenus de jure vitæ defendendæ cum aggressoris morte locuti sumus : quo jure fit ut aggressorem occidere ob eam causam *liceat*. At quandoque non solum *jus*, sed verum *officium* est sese hoc pacto defendendi. Nam sæpe fit ut aliqui adsint alii, qui jus habeant ad meam vitam atque operam, ac tale quidem jus ut aliunde illud compensari nulla ratione possit : cujusmodi sæpe sunt pater in familia, dux in exercitu, princeps in regno, quorum mors grave damnum familiæ, exercitui, regno afferret.

Jam cuivis juri alienum officium correlativum respondet. Ergo ille ad cujus vitam alii jus habent, si in vitæ periculo ob injustam aggressionem versetur, non solum licite potest, sed gravi officio tenetur sese cum quocumque aggressoris damno defendere.

At vero, si ex mea morte nullum grave damnum alienum sequatur, ad quod vitandum alii jus certum habeant, meæ vitæ defensio cum aggressoris nece non est obligatoria. Hæc enim obligatio oriretur vel ab officio aliquo erga Deum, vel ab officio erga meipsum. Atqui, 1° quum injustus aggressor ad me perimendum occurrit, ipse quidem divina jura violat, meam vitam oppugnando, at ego nihil contra divina jura committo. Possum igitur totam rem divinæ justitiæ permittere. — 2° Quanquam omnes tenemur propriam vitam conservare, at hoc officium non obligat ad vitam conservandam cum jactura majoris nostri boni. Ergo, si meæ defensioni in eo casu renuntiando, longe majus aliquod meum bonum obtineam, non erit mihi mea defensio obligatoria. Atqui si, *v. g.*, charitatis causa, ne scilicet aggressorem a me interfectum æternis suppliciis objiciam, vel simpliciter ne hominem mei similem tanto malo, quantum mors est, afficiam, a me defendendo

abstineam, bonum obtinebo longe excellentius quam vitæ hujus mortalis conservatio sit, nimirum præstantissimum virtutis opus, et in futura vita præmium tanto opere dignum.

ARTICULUS VII.

De duello.

771. NOTANDUM. — Quæ de justa propriæ vitæ defensione in superiore articulo disseruimus, perutilia sunt ad aliam quæstionem maximi momenti pertractandam, scilicet de « certamine quod a privatis privata auctoritate ex condicto suscipitur » ad bonam existimationem et honorem tuendum, quod certamen *duellum* vocatur. Est autem illud stolidus quidam et fanatismus et fatalismus, apud barbaros populos exortus, apud quos quum singuli homines sub rudibus ac valde imperfectis legibus male a civili auctoritate contra alienas injurias protegerentur, atque absurdæ de Dei providentia sententiæ penitus inolevissent, licitum sibi quisque ac necessarium esse existimabat armis committere judicium illud quod a legitimis magistratibus ferri debet.

Jam duelli universe tres potissimum species enumerari possunt : primum quod privata auctoritate in causa privata; alterum quod publica auctoritate in causa privata; tertium quod publica auctoritate in causa publica suscipitur. De duobus posterioribus nonnihil inferius dicemus. Duellum autem primæ speciei, de quo uno hic disputabimus quodque proprio nomine *duellum privatum* appellamus, sic definitur : est certamen privata auctoritate in causa privata ex condicto susceptum.

772. Pos. 368ª. — Duellum privatum semper illicitum et absurdum est.

PROB. 1ª PARS. — 1° Non licet alteri malum inferre nisi ad sese defendendum, et tunc justa pugna id fieri debet. Atqui duellum nec *defensio*, nec *justa* pugna est. Non est defensio, quia in duello non resistitur aggressori, sed aggressor consulto quæritur illuc ubi certum est illum inventum iri. Atqui nihil defensionis naturæ magis contrarium est, quam periculum propulsandum dedita opera conquirere et adire, adversario arma æqualia præbere, omnia illi media ut et resistere et lædere possit, suppeditare.

Etiamsi talis pugnandi ratio esset defensio, attamen injustum prorsus certamen est. Nam defensio qua adversario mors in-

tentetur, ut justa sit, debet I. *necessaria* prorsus esse; II. debet moderata sic esse ut adversario non plus mali infligat, quam ad se defendendum necesse est; III. debent nulla adesse media ad animum adversarii leniendum; IV. debet pugna suscipi ad vitam aut necessaria ad vitam tuenda. Atqui nulla ex his conditionibus in duello servatur. Ergo duellum nec *defensio* est, nec *justa* defensio esse potest.

2° Duellum suscipi solet ad proprium honorem vindicandum. Atqui, etiamsi ad honoris defensionem illud esset aptum, nequaquam hoc medio, utpote intrinsece iniquo, uti liceret. Nam honor nihil aliud est quam externa existimationis demonstratio. Ergo medium ad honoris defensionem est illud quo fit ut alii homines et internam mei existimationem apud se conservent, et externa mihi indicia observantiæ exhibere non desinant. Atqui etiamsi hominis occisio esset medium idoneum ad internam aliorum existimationem et externam observantiam obtinendas, esset tamen semper actio iniqua. Nam hoc bonum alienæ observantiæ est longe inferius bono quo adversarius quem occidere paro, aliique multi, cognationis et amicitiæ vinculis cum eo conjuncti, privabuntur. Nam virtus utique longe præstantius bonum est quam præsens vita. At hominum quæcumque opiniones et externæ opinionum demonstrationes sunt plane quid levissimum præ ipsa hominis vita, præ damnis quæ in propinquos et amicos ex tali morte proveniunt. Nullum etenim in iis opinionibus ac demonstrationibus reale momentum est. At vita hominis et per se ipsa est bonum maximum tum physice tum moraliter, et ejus amissio gravissimas calamitates aliis multis hominibus plerumque affert. Ergo inter mortem quam adversario inferre duello aggredior et bonum quod duello obtinere volo, nulla est proportio. Ergo duellum est prorsus iniquum.

3° Duellum habet malitiam et homicidii et suicidii et privatæ vindictæ. *Homicidii* quidem, quia sine justa causa et sine ulla propriæ defensionis necessitate hominem occidere contendo. *Suicidii*, quia sine ulla sufficienti ratione præsenti mortis periculo sciens et volens me objicio: quæ duo ex 1ª et 2ª probatione constant. *Privatæ vindictæ* denique malitiam habet evidenter, quia ad injuriam sibi illatam sanguine adversarii abluendam duellum suscipitur: quam vindictæ privatæ malitiam superius, n. 758, demonstravimus.

PROB. 2ª PARS. — Duellum est medium prorsus ineptum ad

obtinendum finem ob quem suscipitur, quin imo huic fini directe adversatur. Nam duellum ad honorem tuendum suscipitur. Atqui 1° armata ejusmodi pugna et adversarii occisio nihil prorsus ad meum honorem conferre possunt. Etenim quod strenue pugnaverim, quod adversarium straverim, nulla ratione probare possunt me virum probum et honestum esse, aut contumeliam qua ab adversario affectus fui, injustam fuisse; quod evidens est.

2° Duellum a me susceptum honori meo plurimum nocere debet. Nam aliena de me opinio non potest aliunde quam ex mea ratione agendi deduci. Atqui duellum privatum ob eas causas, quos nuper indicavimus, inire, barbarum est et iniquum et prorsus inutile ad finem intentum, ut jam vidimus. Ergo duellum a me initum cuicunque viro prudenti opinionem de me ingeret tanquam de homine barbaro et iniquo et furioso. Ad summum tali medio obtinere possum observantiam quamdam externam qua sævum et immitem hominem prosequi solent *omnes* qui illum norunt semper paratum ad ferrum distringendum, quoties vel levi aliqua se affectum injuria putaverit. Nimirum hac ratione honorem illum solum obtinuero, in quo habentur latro et sicarius, quorum scilicet vultus cædem spirantes honestum quemque hominem perterrefaciunt. Ergo, etc.

773. Coroll. 1. — In positione probanda locuti sumus de duello *ad mortem*, supposuimus scilicet duellum iniri cum intentione concertandi donec alter ex adversariis lethali vulnere transfossus cadat. Jam si duellum suscipiatur cum intentione pugnandi solum *usque ad primum sanguinem*, quanquam minor illius immanitas sit, omnia tamen et iniqua et absurda continet quæ in duello ad mortem comperimus. Nam 1° in duello ad primum sanguinem adest sine dubio grave periculum mortis adversario inferendæ. Est enim impossibile ita ictus in certaminis æstu moderari, ut certum sit nunquam fore ut mortale vulnus infligatur. Ergo qui tale duellum ineunt, sese exponunt periculo et homicidii et suicidii committendi. — 2° Privatæ vindictæ malitia etiam in hoc duello adest. — 3° Tale hoc duellum, sicut duellum ad mortem, nec est defensio, nec justa pugna. — 4° Est medium plane ineptum ad finem qui intenditur; quin imo illi vehementer adversatur. — 5° Non est æqua proportio inter vulnus quod adversario infligere quis parat, et honoris vanam illam speciem, ob quam duellum suscipitur. Omnes igitur

rationes quæ duellum ad mortem illicitum et absurdum ostendunt, contra duellum ad primum sanguinem pariter valent.

Coroll. 2. — Duellum olim suscipi solebat ad Dei voluntatem et judicium cognoscendum, et idcirco duellum ipsum *judicium Dei* appellari consueverat. Jam duelli hoc genus absurdam esse superstitionem quisque videt. Est enim manifestum ad Dei judicium ac voluntatem cognoscendam non ensem nobis sed rationem fuisse datam, atque ensem ipsum ratione dirigendum, non autem judicia rationis armorum ictibus subjicienda esse.

Coroll. 3. Duellum igitur nec veritatis, nec honoris, nec religionis tuendæ idoneum medium est, ac latronis aggressione hac solum parte præstat, quod majorem amentiam et absurditatem præseferat.

ARTICULUS VIII.

De dominii natura et origine.

774. Notandum. — Etiamsi nec causarum inanimarum fortuito impetu, nec furentium bestiarum incursu, nec latronum aggressione in mortis unquam discrimen homo quispiam deveniat, attamen brevi consumpta illius vita deficiet, nisi eam et alimentis sustentet, et præsidiis opportunis contra cœli intemperiem foveat. Ergo eadem ratione, qua homini cuique officium suæ vitæ conservandæ incumbit, eidem etiam jus ad media in hunc finem idonea competit. Ex horum mediorum necessitate oritur, ut statim ostendemus, jus dominii. Quod autem dominium proprie appellatur, est *jus certis quibusdam rebus utendi, alios quoscunque homines ab earumdem usu excludendo.*

775. Pos. 369ª. Naturalia duo jura propriæ conservationis et independentiæ necessario jus dominii pariunt.

Prob. — Permulta media ad vitam sustentandam prorsus necessaria talis naturæ sunt, ut, si ab uno homine adhibeantur, iisdem uti alii homines non possint. Nonnulla quidem sunt media ad vitam conservandam maxime necessaria, quæ sic abundant, ut numquam deficere possint, cujusmodi sunt aer quem spiramus, et lux calorque solis quibus illustramur et fovemur. At hæc media tam abundantia et indeficientia pauca omnino sunt. Ad corpus vero alendum et vestiendum aliis plane mediis quam aere ac luce opus est. Quæ ad alimenta paranda vestesque conficiendas materiam suppeditant, e duro telluris sinu multo labore

educta actionem in corpus humanum exercent et efficacia et duratione valde limitatam, ita ut quod uni inservit, nulli alii inservire possit, et brevi priori etiam illi cui prodest, et alii cuicumque inutile prorsus fiat. Vestes nimirum et cibus, ab uno consumpta, ut omnes norunt, ab alio consumi nequeunt, et illum ipsum qui eisdem usus est, brevi novis aliis perpetuoque renascentibus necessitatibus expositum relinquunt.

Quare vitam suam conservare nihil aliud est quam perpetuo contra renascentes hasce necessitates luctari, media quæ in hunc finem tellus perpetuo reproducit, consumendo. Ergo, sicut naturali officio vitæ suæ conservandæ quisquis tenetur, ita etiam naturale jus habet sic utendi illis mediis, quibus vita sustentatur ac fovetur, ut eadem illa media nequeant aliis hominibus ad eumdem finem prodesse. Sine tali quippe jure naturale illud officium observari nequit.

Ergo, ut huic officio suo possit homo satisfacere, debet 1° habere jus eas substantias sibi vindicandi, easque transformandi *atque* in suos usus consumendi.

2° Postquam jure suæ conservationis homo iis substantiis potitus est, debet ex naturali independentia habere jus ne illis ab ullo alio homine privetur. Quum enim homo quisque sit naturaliter a quocunque homine independens in iis omnibus quæ nullo certo officio excipiantur, ut superius ostendimus, a nemine potest juste privari illis mediis, quæ ipse sibi ad suum bonum obtinendum comparavit.

3° At, quoniam ea media sunt limitata, nemo alius potest illis uti quin me iisdem privet. Ergo, sicut ex juribus meæ conservationis et independentiæ habeo jus illis utendi, et impediendi ne illis priver, ita etiam habeo jus ab iis quemcunque alium excludendi, eaque, si fuerint erepta, ab injusto usurpatore repetendi.

Atqui hæc duo jura, certis substantiis utendi et ab earumdem usu alium quæcunque hominem excludendi, constituunt illud jus quod *dominium* appellatur. Ergo, etc.

776. Coroll. 1. — Jus hoc quibusdam substantiis utendi et ab earumdem usu alium quemcunque hominem excludendi est, ut quisque videt, *necessitas* quædam ineluctabilis, antequam sit *jus* : quæ necessitas adeo naturalis est, ut nullus homo in præsenti vita illius immunis cogitari possit.

Jam vero hoc dominium, ut ex superioris positionis probatione patet, acquiritur homini cuique per certarum illarum substan-

tiarum occupationem : scilicet earum occupatio fuit factum concretum quod meum dominium ad certas quasdam substantias determinavit. Attamen primitivi tituli, quibus meum dominium fundatur, sunt jura *conservationis* et *independentiæ*, quæ ad hominem quemcunque in abstracto spectatum pertinent. Ab iisdem hisce juribus enascitur non solum jus meis rebus utendi, sed etiam eas, si ablatæ mihi fuerint, repetendi. Ordo namque facti et jurium per hoc factum determinatorum nequaquam per eorum violationem mutatur, quin imo talis violatio novum præterea jus damni inde exorti resarciendi in parte læsa progignit.

COROLL. 2. — Argumentum rationale quo naturalem dominii institutionem nuper ostendimus, confirmatur facto quodam instinctivo quod tum in hominibus tum in bestiis passim occurrit, indignatione scilicet illa qua ii commoventur, ubi rem a se possessam eripi sibi forte injuria sentiant. Si enim binos pueros ad pomum in horto jacens arripiendum simul currentes observemus, videbimus victorem, qui æquo sane animo tulisset a competitore se fuisse præoccupatum, vehementer tamen irasci, ubi competitor natu major, validioribus suis viribus abutens, pomum illi e manibus, jam a se arreptum, extorqueat. Item, si cani frustum carnis, quod rictu teneat, alius canis eripere tentet, dentibus ille indignatus infrendet.

Nullum sane jus proprie dictum cani competit, ut libro 3° notavimus; et solo instinctu ille movetur. Attamen hoc instinctu manifestum fit necessariam prorsus cuique animali a Creatoris providentia judicatam fuisse pacificam boni a se jam occupati possessionem; cujus possessionis quasi quamdam observantiam ipsis quoque bestiis naturalem indidit, qua non raro fortior bestia ab infirmiore aggredienda retardatur.

777. POS. 270ª. — Dominium est institutum plane naturale.

PROB. EVIDENTER EX POS. 369ª. — Dominium necessario consequitur ex duobus juribus naturalibus conservationis et independentiæ (775, 776). At quod ex causa naturali necessario per se consequitur, et ipsum naturale est. Ergo, etc.

778. POS. 371ª. — Primitiva bonorum omnium apud homines communio impossibilis et absurda est.

PROB. — Primitiva bonorum omnium apud homines communio est dominium quod omnes habuerunt in omnia, nimirum est jus quod omnes habuerunt excludendi omnes alios ab om-

nium rerum usu. Atqui hoc est plane impossibile et absurdum: Nam 1° si omnes habent jus excludendi omnes alios ab omnium bonorum usu, nulli sunt qui ab hoc usu excludi possint.

2° Si adest jus excludendi omnes ab omnium rerum usu, nullus erit qui licite possit aliqua re uti; nempe nullus erit cui tale dominium competat.

779. Coroll. — Postremæ duæ positiones facile cuivis ostendunt quam longe a veritate aberrent nonnulli juris naturalis doctores quum docent : 1° dominium esse institutionem undequaque positivam; 2° apud primos homines omnia bona fuisse prorsus omnibus communia. Quod ad 1um attinet, ratione plane futili atque inani ad illud affirmandum ducuntur. Idcirco enim aiunt dominium esse institutionem omnino positivam quia sine facto aliquo positivo rerum proprietas ad certos quosdam limites nunquam determinatur. Si enim hæc ratio ad id probandum sufficeret, permulta etiam alia jura quæ certissime naturalia sunt, undequaque positiva dicenda essent; quia facto positivo indigent, ut certis limitibus contineantur. Sic, *v. g.*, filiorum minoritas respectu patris esset institutio positiva, quia sine positiva institutione tempus intra quod illa limitatur, nullum est præcise a natura determinatum. Loquela etiam esset institutio positiva, quia sine positiva aliqua inter homines conventione, saltem tacita, tales soni tales ideas minime exprimere possunt.

Diligenter igitur in his omnibus distinguendum est elementum *necessarium*, quod non potest esse nisi aliquid abstractum, et elementum *variabile*, quod est necessario quid concretum. Dominium generaliter est necessaria et naturalis consequentia jurium humanitatis abstracte sumptæ : dominium vero ad hos vel illos temporis ac loci modos limitatum est effectus resultans ex circumstantiis individuantibus, jure illo generali quodammodo informatis.

Quod vero ad 2um spectat, falsa hæc opinio, omnium bonorum communionem inter primos homines statuens, orta est ex eo quod doctores illi, omnia tunc omnium fuisse dicentes, abstractum *humanitatis* sumpserint pro collectivo *omnium hominum*, et *jus sibi* media conservationis *vindicandi* sumpserint pro actuali rerum omnium *dominio*. Quæ opinio quam falsa sit patet tum ex dictis in pos. 371a, tum etiam ex absurda conclusione quam inde deducere liceret, scilicet omnium hominum adversus omnes bellum

esse statum humano generi naturalem; quam conclusionem revera Hobbesius inde deduxit.

Itaque in positiva bonorum communione recte quidem intelligimus omnibus associatis communia esse bona, quia omnes illi excludunt omnes non associatos. At in primitiva hominum societate, quod omnium fuisset, reapse fuisset neminis. Quare fallitur Montesquius, ubi affirmat primos homines *naturali bonorum communioni renuntiasse, ut sub civilibus legibus viverent*. Nulla enim ejusmodi unquam fuit bonorum realis communio : ejusque fictio exoritur ab imaginaria creatione status cujusdam civilis factitii, contra quem satis jam disputavimus lib. 4°, cap. 4, art. 3.

Quod si primitiva bonorum communio constitisse dicatur in hoc solum, quod omnes et singuli homines jure possent terræ fructibus ad suam vitam conservandam uti, huic juri homines profecto nec unquam renuntiarunt, nec renuntiare poterant.

780. Pos. 372ª. — Ex jure naturalis independentiæ et ex facto necessariæ culturæ acquiritur homini naturale dominium, seu *proprietas*, fundi stabilis.

Prob. — Spectata sola communi natura humana, nullus homo obligari potest, ut alteri serviat (447). Quum enim respectu naturæ omnes homines sint æquales, nulla ratio inveniri potest, cur hic serviat, illi vero serviatur. Ergo quidquid meo labore efficio, est mei juris et ad me unum pertinet; quia est quædam mei ipsius pars. Etenim quidquid meo labore produco est meus effectus : effectus autem est pars suæ causæ, quia in illa continetur ab eaque dimanat. Ergo quisquis mei laboris fructum aliquem usurparet, raperet quod *meum* est, idque raperet sine ullo jure quocunque : in hypothesi namque naturalis hominum æqualitatis et independentiæ versamur.

Atqui 1° fundi stabiles sunt omnino ad vitam conservandam necessarii; ex iis namque educuntur alimenta quibus vita sustentatur ac fovetur, et materies unde vestes ac varia utensilia conficiuntur.

2° Fundi stabiles, ut eos fructus easque opes homini suppeditent, longa et laboriosa et constanti indigent cultura : quæ cultura identificatur cum fundo ipso stabili per hominis industriam et laborem exculto. Ergo quum fundum primus quis excolit, fundus ipse sic excultus est ejus effectus, adeoque ad illum unum, ut ad suam causam, pertinet. Ergo, etc.

781. **Coroll.** — Qui cum Mirabello affirmant, statim ac homo ex fundo quem coluit, necessarias sibi fruges fructusque percepit, ad commune omnium dominium ac possessionem, eum fundum redire, debent igitur e sequentibus, quæ evidenter falsa sunt, aliquid affirmare :

1° Terræ arationem ac seminationem, puteos, canales et fossas, plantationem atque insertionem, aliaque ejusmodi permulta nequaquam esse ad terræ fructus educendos necessaria;

2° Iis fructibus homines minime egere;

3° Opera illa ad terram colendam necessaria, nequaquam esse hominis cujusdam opera;

4° Hominem posse terram sic excultam, et varia illa opera quibus ei salubritas et apta dispositio affertur, secum asportare;

5° Alios homines quoscunque jus in opera primi cultoris habere.

Quatuor priores assertiones factum evidens convincit falsitatis; postremæ falsitatem ostendit jus naturalis independentiæ, qua fit, ut sibi quisque, non aliis, laboret.

Ergo acquisitio et constans proprietas fundi stabilis sunt homini naturales, et a legibus humanæ naturæ in abstracto consideratæ oriuntur, a quibus legibus oritur pariter humanæ societatis necessitas. Hujus autem proprietatis concreta determinatio enascitur a facto humano, quod justitiæ legem applicat, materiam determinatam eidem suppeditando.

782. **Pos. 373ª.** — Fundorum divisio in nativo quidem hominum statu nulla est, sed ad *naturalem* eorum statum utique illa pertinet.

Prob. — Nativus entis cujusque status consistit in iis omnibus quæ tale ens in primo suo ortu jam habet. Ejusdem autem statum naturalem constituunt illa omnia, quæ completa ejus evolutio eidem inesse naturaliter postulat. Atqui humano generi naturaliter competit ut sese ipsum multiplicet; et, sese multiplicando, ut pluribus ad vitam conservandam mediis quam terræ fructibus spontaneis indigeat; et, pluribus hisce mediis egendo, ut terram constanter colat; et, sic terram colendo, ut labores suos atque industriam eorumque effectus illi committat; et, sic terræ suos labores atque industriam committendo, ut stabile jus in terram ipsam a se excultam habeat; quæ omnia constant ex pos. 369 et 372. Ergo, etiamsi nulla fuerit, in primo humani generis ortu, terrarum divisio, stabile tamen jus in determi-

nata terræ spatia, quod jus est ipsa fundorum divisio ex naturalibus humani generis necessitatibus sponte sua consequitur.

783. COROLL. 1. — Factum terræ colendæ est sane actus cuique homini plane liber. Attamen exinde nequaquam sequitur institutionem tali facto fundatam minime esse naturalem. Etenim factum matrimonii, *v. g.*, est actus pariter cuique homini liber : nemo tamen inde inferre auderet conjugalia et paterna jura non esse naturalis institutionis. Nimirum distinguendum semper est diligenter *naturale* a *nativo*, ut in postrema positione fecimus. Quidquid societati alicui naturale est, factum individuorum quibus societas illa efformabitur, præsupponit. Quod quidem factum non est singulis hominibus *nativum* ; quia prius existit humanum quodque individuum quam humana quælibet societas. At, quamvis societas nulla nascatur cum ipsa natura humana, *ab* hac tamen natura multæ enascuntur : quæ idcirco generi humano liberæ non sunt, quamvis individuo cuique sint liberæ. Idipsum de stabili fundorum proprietate dicendum est. Factum terræ colendæ singulis quidem individuis est liberum, at generi humano minime liberum est. Ergo constans fundi alicujus proprietas in singulis quidem hominibus seorsim sumptis nulla necessitate postulatur : at quando aliquis terram libere colendo labores suos atque industriam contulit ad opus maxime humano generi necessarium, hæc ipsa talis operis necessitas eidem naturali jure confert terræ ab illo excultæ proprietatem, sicut consimilis necessitas patri, si filios habeat, jura paterna tribuit.

COROLL. 2. — A permultis scriptoribus *primu* terrarum *divisio* ab hominibus facta fuisse passim supponitur, hoc sensu nimirum, quod fundorum proprietas, seu stabile dominium, a pacto sociali, de quo jam superius dictum est, unice sit ortum. Jam ex iis quæ de dominii origine hic disseruimus, constat stabile fundorum dominium non ab hominum conventionibus ortum duxisse, sed esse effectum prorsus naturalem, a propria quadam humanitatis lege, supposita hominum propagatione, resultantem. Attamen hæc locutio, *prima terram divisio*, recto sensu potest adhiberi, ita ut factum quoddam solummodo, non autem juris alicujus causam significet. Indicare namque potest primam illam generis humani evolutionem, qua factum est ut homines multiplicati successive alias et alias terras determinatas constanter excolere cœperint, atque hac cultura stabile dominium in eas adepti sint.

ARTICULUS IX.

De variis dominii acquirendi modis.

784. Pos. 374ᵃ. — Primitivæ dominii cujuslibet acquirendi rationes sunt *occupatio* et *accessio*.

Prob. 1ª pars ex dictis in articulo viii. — Etenim nuper vidimus eum qui fundum immobilem primus occupet, in eoque excolendo adlaboret, dominium in illum acquirere. Id autem in rei quoque mobilis occupatione fieri debet : eadem quippe rei mobilis et immobilis, quoad talem occupationem, ratio est. Si enim quis rem mobilem sibi necessariam aut utilem sibi primus vindicarit, quoniam necessarium prorsus est ut rebus hisce mobilibus homines utantur, et quibus unus homo utitur alius uti nequit, et homo quisque præterea est naturaliter independens, manifestum est ea re mobili illum uti posse ita ut quemcunque alium ab ejusdem usu excludat. Si hoc jus in rem mobilem prima occupatio non daret, pacificus rerum mobilium usus fieret omnino impossibilis. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars. — Accessio sive incrementum, sicut etiam detrimentum, quod sensim in re occupata fit, est naturalis quædam rerum materialium qualitas et conditio. Jamvero qui rem quampiam primus occupavit, eam talem voluit occupare ac possidere, qualis ea in naturali sua conditione existit, et fructus, qui ex illis naturaliter enascuntur, percipere. Item, quæ res simpliciter ad aliquem pertinet, eadem qualis in sua naturali conditione est, ad illum pertinet. Ergo, etc.

785. Coroll. — Dominii natura probe perspecta, facile jam intelligitur quid sit dominii ex alio in alium derivatio. Dominium namque jus quoddam est : jus autem a relationibus facto aliquo inductis enascitur. Ergo, mutatis ejusmodi relationibus, jus ipsum mutatur. Jam relationes facto inductæ mutari possunt vel ex possessoris voluntate, vel contra ejusdem voluntatem : itaque dominii translatio potest aut voluntaria aut necessaria esse. Duplicem ergo modum *derivativum* dominii acquirendi distinguimus, alterum qui ex mutatione voluntaria, alterum qui ex necessaria fit.

786. Pos. 375ᵃ. — Derivativæ dominii acquirendi rationes ex

mutatione voluntaria sunt occupatio post simplicem possessoris dimissionem, et contractus vel unilateralis vel bilateralis.

Explic. — Cujuspiam rei possessor, qui antea jus habebat quemcunque alium a sua proprietate excludendi, si voluntatem qua rei possessionem sibi vindicaverat, retractet, potest id duplici ratione efficere : 1° Potest eam rem simpliciter dimittere, quin alicujus personæ gratia id faciat : tunc ea res dicitur *derelicta*. 2° Si liberam eam rem possessor ita dimittat ut simul velit ejus dominium ad certam aliam personam transire, et hæc alia persona per occupationem acceptet rei proprietatem, hæc dominii translatio fit per *contractum*, idest per consensum plurium personarum quæ mutuo sese obligant, *alienans* quidem ad alium non excludendum a rei dominio et usu, *acquirens* vero per acceptationem ad succedendum in tali dominii jura.

Necessariam autem acquirentis acceptationem dicimus, quia possessor nonnisi conditionate in isto casu rem dimittit, nimirum ut res ad aliam personam transeat. Ergo, si hæc persona non acceptet, conditio essentialis non verificatur, nemo in rei dominium veteri possessori succedit, adeoque res priori domino stat. Ergo sine acceptatione dominium minime transfertur.

Jamvero, quoniam rei alienatio supponitur esse voluntaria seu libera, libere alienans potest apponere alienationi quascunque velit conditiones. Itaque, si suum in rem aliquam jus cedat cum conditione obtinendi in aliam rem jura illius cum quo paciscitur, contractus iste dicitur *bilateralis* : at, si jus suum cedat sine conditione compensationis ullius lucrosæ obtinendæ, contractus *unilateralis* vocatur.

787. Coroll. — Compensatio lucrosa est ea quæ fit per res quæ pretio veneunt. Jamvero in contractu quovis unilaterali, in quo compensatio ejusmodi lucrosa nulla fit, alia compensationis officiosæ seu grati animi obligatio succedit, quæ a justitiæ lege dimanat. Hæc quidem obligatio minus stricta est, quia nulla clara proportio quantitatis in *dato* et *accipiendo* inter contrahentes adest. Non tamen idcirco a tali contractu reciprocitas omnis abesse putanda est. Naturalis quippe hominum æqualitas postulat, ut in omni humana relatione paritas quædam inter datum et acceptum servetur. Quum igitur *unilateralis* hæc contractuum species dicitur, hæc *unitas* spectat humanam voluntatem juri proprio renuntiantem, nullam æquivalentem per bona materialia compensationem exigendo. At hic etiam contractus, complete

spectatus, bilateralis dicendus est, quia pars acceptans contrahit coram recta ratione obligationem compensandi per grati animi officia quod materialibus bonis accepit.

788. Pos. 376*. — Derivativæ dominii acquirendi rationes ex mutatione necessaria tres sunt : mors possessoris, jura competitorum, damnum rei possessæ illatum.

Explic. — 1° Mutatio relationum necessaria, quæ dominii translationem pariat, tres terminos potest respicere : possessorem ipsum, alios qui non sunt possessores, rem possessam. Jam vero mutatio necessaria in possessore, qua fit ut vel invitus jura suæ possessionis amittat, est mors, quæ omnem relationem, adeoque et omne jus, ad hunc mundum pertinentia, destruit. Itaque mortuo possessore, bona illius acquiret is, cui vel naturali successionis jure, vel contractu aliquo jam antea dum ille viveret, facto, vel lege aliqua positiva defertur eorum dominium.

2° Altera mutatio fieri potest in non-possessoribus, scilicet in *aliquo* competitore qui judicio contendat se in bona possessoris habere jura, quibus jura possessoris elidantur. Tunc vero, ubi hoc jus competitoris certo constare probatum sit, translatio dominii fit juxta leges quibus jurium collisio regitur.

3° Mutatio rei possessæ, quæ utpote materialis natura sua labilis et corruptibilis est, per destructionem fit vel partialem vel totalem. Itaque, si hæc destructio sit simpliciter effectus quidam naturalis, dominium rei cessat ob materiæ defectum. At, si per alicujus culpam res destructa sit, hæc culpa possessori naturaliter dabit jus repetendæ rei æquivalentis ab eo qui causa talis detrimenti fuit. Hoc jus, quod *actio* vocari solet, oritur, ut quisque videt a damno illato et ex eo quod certa quædam persona illius causa voluntaria fuerit. Ergo talis actio diversos gradus habere potest pro majore vel minore damno illato, et pro majore vel minore vi, quam ea causa in tali damno inferendo exercuit. Quare justitiæ regula generalis, quæ consistit in dato et accepto coæquandis, talium jurium basis et mensura est.

789. Coroll. 1. — Quando relationes hominis cum rebus hujus mundi per ejus mortem mutantur, quæri potest utrum natura conferat illi jus testamento transferendi dominium quod in certas res habet, an vero natura ipsa hoc jus transferat *ab intestato*. Qua in re pauca hæc notare sufficiet : 1° Siquis est qui jura strictæ justitiæ habeat in bona a defuncto possessa, mani-

festum est eum vi juris præexistentis succedere in defuncti dominium.

2° Si possessor defunctus, dum adhuc viveret, cum alio aliquo pactus est, ad eumque suum dominium transtulit pro suæ mortis die, perspicuum etiam est illum alium contrahentem habere jus ad bona defuncti a die mortis illius vi talis pactionis, sicut alia jura quæcunque vi contractuum acquiruntur.

3° Si nec jus ullum nec ullus contractus adsint anteriora morte possessoris, nullum videtur existere in solo jure naturali principium, quo vel alia quævis successio ab intestato determinetur, vel valor donationis ejusmodi non acceptatæ confirmetur, exceptis solum juribus filii, de quibus inferius agemus.

COROLL. 2. — Plerique juris naturalis doctores, forensibus tractationibus assueti, ubi de dominio per contractus acquirendo disserunt, permultis quæstionibus doctrinisque a jure positivo petitis suos libros inferciunt, omnes inquirendo rationes infinitarum formarum quas varii contractus in foro admissi subire possunt. Atqui tractatio ejusmodi ad jus naturale minime pertinet. Nobis ergo dominii naturam et originem variosque illius acquirendi modos breviter explicantibus, generaliter hæc docuisse, prætermissa illa formarum varietate, quæ in morali theologia et maxime in jure civili positivo traditur, sufficiat.

CAPUT II.

De actione hominis in societate domestica.

ARTICULUS I.

De societate domestica in genere et de societate amicali.

790. POS. 377ª. — Ex naturali indigentia alieni auxilii, colloquii et amoris, per se oritur inter homines associatio ad constantem convictum obligans, seu *societas domestica.*

EXPLIC. — Ubi humana duo individua forte sibi occurrant, jam universali ea lege sociali devinciuntur, qua reciproce tenentur alter alteri cooperari ad consequendum bonum infinitum ad

quod natura homo destinatus est, adeoque ad media etiam adhibenda, quæ ad hoc bonum alteri procurandum necessaria sunt (435). At vero hæc lex amoris universalis ad constantem convictum nequaquam obligat duos illos homines et natura et facto æquales. In hac tamen natura humana adest lex quædam alia non quidem moralis, sed physiologica, quæ, etsi nullam voluntati necessitatem inferat, ad eam nihilominus permovendam efficacissima est, quæ lex in *indigentia* consistit. Si enim duo ejusmodi individua sola in loco deserto sibi occurrant, facillime sentient se vicissim alieno auxilio indigere, ut quietem cum labore alternent, ut operas inter se dividant, ut vires suas sæpe ad communes conatus conjungant; præcipue vero sentient se colloquio egere ad cogitationes animique affectus reciproce inter se communicanda.

Huic legi physiologicæ, indigentiæ scilicet alieni auxilii, colloquii et amoris, in iis loci et personarum adjunctis sese subtrahere difficillimum ac plerumque impossibile prorsus est. Ergo, vel explicita vel tacita pactione, duo illi homines sese mutuo obligabunt ad simul constanter convivendum.

Jamvero hæc mutua obligatio constanter convivendi voluntarie ab illis assumpta sub necessaria legis naturalis regula, continet naturaliter mutuam sponsionem invicem observandi constanter universales eas benevolentiæ leges, quibus antea pro temporaneo solum occursu devinciebantur. Ergo, etc.

791. Pos. 378 [a]. — Ex reciproca indolis proportione et mutua honestatis existimatione et mutua intimorum sensuum communicatione naturaliter oritur *societas amicalis*.

Explic. — Ubi in duobus humanis individuis constanter conviventibus adsit magna quædam alterius ad alterum proportio indolis in cogitationum et affectuum similitudine et convergentia consistens, modo reciproca etiam honestatis existimatio inter illa intercedat, necessario fiet ut cohabitatio evadat utrique jucunda, et animi sensuum communicatio multo frequentior et intimior inter illa statuatur. Ob reciprocam enim illam honestatis existimationem uterque ex iis hominibus in altero perspicit et aptitudinem ad suum bonum efficiendum, et voluntatem illius efficiendi. Tunc vero cooperatio illa socialis ad bonum commune procurandum amplectetur non solum ea quæ universalis benevolentiæ sunt objectum, sed etiam secretiora quæque bona et media quæque delicatiora.

Associatio talibus enata principiis et hanc affectuum et operum communionem pariens, vocatur *amicitia*, seu *societas amicalis*. Quæ quidem societas convictum eorum individuorum physicum sane per aliquod tempus, ut jungatur, necessario postulat. Sed ubi semel ea fuerit efformata, materiali convictu non amplius eget, sed sine morali eo convictu, quo duo amici semper mente et animo et, quantum possunt, etiam corporis præsentia, conjuncti sunt, consistere utique non potest.

792. Pos. 379 [a]. — Societatis amicalis leges sunt personarum honestas, mutua devotio, secretum amicalium relationum et hujus secreti perpetuitas.

Explic. — Societas amicalis, ut ex præcedenti positione constat, longe arctiora vincula inter homines constituit, quam ea quibus ob solam communem humanitatem omnes homines colligantur. Ergo particularibus regi debet legibus quæ fini illius particulari et mediis ejusdem propriis respondeant.

Jam 1° societas amicalis eo tendit, ut inter amicos intimam sensuum et affectuum communionem exerceat. Ergo debet in amicis adesse tum *harmonia* quædam indolis et consensio naturalis, qua illorum animi spontanee concilientur et conjungantur, tum plena *securitas* fundata in eo quod uterque certo sciat alterum nunquam esse abusurum ea fiducia, qua illi mentis et animi penetralia, cuicunque alii homini inaccessa, prorsus aperit. Atqui nec illa spontanea consensio, neque hæc plena securitas constanter haberi possunt nisi inter personas sincera et solida honestate ac probitate præditas. Sola namque honestas ab amico prodendo constanter refugit. Ubi honestas abest, *egoismus* succedit, nimirum proprii commodi materialis studium supremum; omnis siquidem moralis malitia ad egoismum quemdam pertinet, ab eoque enascitur et in illum recidit. Quidquid enim homo peccat, idcirco peccat, quia bonum passionis suæ alicujus, quod est bonum sensibile ad eum solum pertinens, præfert suo bono rationali, quod bono materiali superius, sæpe etiam contrarium est, et aliis quoque hominibus prodesse maxime potest.

Passio vero quælibet, nisi a ratione dirigatur, etiam si possit aliquandiu naturalem suam inconstantiam dissimulare, attamen nihil habet quo pignus constantiæ alteri amico præbeat : quia ut suapte natura inconstantes ab omnibus passiones agnoscuntur. Ergo vera et constans amicitia intercedere nonnisi inter probas et honestas personas potest.

Ergo amicalis societatis prima lex hæc est, ut nonnisi cum persona indolis homogeneæ et exploratæ honestatis rationabiliter jungi possit.

2° Vera amicitia subsistere diu nequit, si alter amicus jure possit timere ne ab altero obstacula sibi opponantur boni sui legitimi consecutionem sibi impedientia : quia societatem amicalem ineundo nequaquam nostro vero bono renuntiamus : quin imo hæc societas, sicut alia quæcunque, rationabiliter a quoquam iniri nequit, nisi ut suum verum bonum facilius assequatur. Præterea, ut sensuum et affectuum intima et plena communio inter duas personas intercedat, necesse est utramque esse penitus persuasam, alteram esse sincere paratam ad ejus bonum, quantum ratio permittit, efficaciter in omni casu procurandum. Nam alium amare est ejus bonum efficaciter velle : specialem autem amorem, qualem amicalis societas supponit, habere non possumus nisi erga illum, quem speciali pariter amore ergo nos affici cognoscamus. Itaque amor parentum in filios improbos et ingratos societatem amicalem minime constituit, quia reciprocus non est. Ergo, ut vera amicitia diu constet, necesse est utrumque amicum esse sincere paratum ad se pro alterius bono devovendum, scilicet ad labores et industrias suas omnes, quantum recta ratio permittit, ad alterius bonum procurandum adhibendos ; quia sine tali devotione, quam alter in altero cognoscat, nec fiduciam et securitatem, nec specialem amorem erga alterum habere quisquam rationabiliter potest.

Hinc vero alia emergit ratio, cur ad veram constantemque amicitiam necessaria omnino sit sincera personarum honestas. Nam, ubi honestas deest, unitas etiam deest mensuræ per quam amicus cognoscere certo possit suas intentiones et consilia ab alterius amici intentionibus non esse dissensuras ; quod tamen, ut nuper vidimus, ad amicalis societatis prudentiam et constantiam prorsus necessarium est. Passionum quippe motus, quum nulla certa ratione dirigantur, per se maxime mutabiles sunt : sola honestas, quippe quæ ratione gignitur, regitur atque informatur, in omnibus hominibus conformis est.

3° Amicitia enascitur e peculiari inter duas personas indolis proportione, ex mutua honestatis existimatione, et ex mutua sensuum communicatione. Item, amicitia plenam fiduciam et securitatem in animo sibi reciproce aperiendo parit. Atqui hæ tales relationes intercedere, salva prudentia, nonnisi inter pau-

cissimas personas et multis cautelis adhibitis, possunt. Paucissimæ namque sunt personæ quæ et talem indolis naturalem proportionem simul et talia honestatis ac prudentiæ pignora certæ alicui personæ exhibeant, ut hæc plenam in iis fiduciam prudenter habere possit. Ergo recta ratio id exigit, ut amicalis societatis relationes nonnisi ad paucissimas personas et non sine præviis multis experimentis et cautelis quisque habeat.

Præterea reciprocæ illæ proportio indolis et existimatio et fiducia eam verborum et actuum facilitatem atque *intimitatem* pariunt, quæ nonnisi personas sincera amicitia conjunctas decere potest, et quæ ab aliis pari indolis proportione et exismatione ac fiducia erga illas personas carentibus, recte judicari nequit. Ergo ut occasio absurdis ac temerariis ejusmodi judiciis auferatur, secretæ illæ relationes societatis amicalis servandæ sunt.

Denique utraque persona, in societate amicali, idcirco et peculiaria amoris ac fiduciæ testimonia alteri præbet, et intimos mentis atque animi sensus affectusque eidem revelat, quia, ob eas causas quas sæpius diximus, plenam erga illam habet fiduciam et securitatem. Ergo quæcunque ob peculiares hasce amicitiæ causas amicus alteri amico revelat, intelligenda sunt ei revelata cum hac implicita conditione, scilicet ne hæc ulli alii manifestet; quia in aliis eædem illæ secreta animi manifestandi causæ nequaquam adsunt. Ergo causæ ipsæ, unde oritur intima sensuum inter amicos communicatio, secretum hujus communionis servari postulant.

4° Amicus animi sui depositum amici manibus non committit nisi cum hoc pacto implicito eum nunquam esse hoc deposito abusurum, illud alii cuicunque revelando : quod constat ex nuper dictis in 3ª parte probanda. Ergo qui secretas amicitiæ relationes quocunque tempore et quacunque ex causa aliis manifestat, fidem in re maximi momenti amico datam turpissime violat. Ergo amicitiæ secretum perpetuo servandum est.

793. Coroll. 1. — Etiamsi ob alterius culpam aut ob alium quemvis eventum amicitiæ vincula quis omnino in perpetuum rumpat, minime tamen per honestatis leges ei licet præteritæ amicitiæ secreta utcunque prodere. Turpissimæ igitur perfidiæ esset epistolas ab amico olim acceptas, amicitiæ secreta continentes, in judicio ad probandum proferre, nisi supremum vitæ periculum ad id vel invitum adigeret : hoc enim in casu talis revelatio excusari potest, si nullum veteri amico grave periculum ex tali

revelatione oriatur. Attamen honestus ac generosus homo veteris amicitiæ, etiam disruptæ, secreta, ne ad capitis quidem periculum vitandum, unquam prodet.

COROLL. 2. — Præter hoc nobilissimum societatis genus, quod in amicali societate consistit, aliæ quoque sunt associationes quædam, quæ et societatem amicalem imperfecte imitantur, et societatis domesticæ subsidium quoddam et appendix sunt. Etenim 1° fieri potest ut quis forti animo præditus, adeoque in plerisque sibi sufficiens, paucis omnino alienis egeat adjumentis et rara cum aliis communicatione relate ad objecta quædam particularia.

2° Sæpe accidit ut quotidianis curis levamen et solatium homo in paucis ac fidelissimis amicis habeat : at relate ad objecta quædam particularia alieno indigeat auxilio. In utroque ejusmodi casu homo, idonea occasione reperta, contrahit cum aliquibus hominibus speciem quamdam socialis relationis, ab amicitia per se tam longe diversam quantum propriæ utilitatis amor ab amore alieni boni differt.

Jamvero talis societatis objecta sunt necessario vel materialia vel spiritualia, aut ad utrumque genus spectantia. Ad primum genus pertinent societates lucrosæ, v. g., mercatoriæ, agricolæ et hujusmodi : alterius generis sunt societates religiosæ, scientificæ, litterariæ, technicæ : in tertio genere sunt societates militares, tutelares, etc.

Has omnes societatum species communi nomine *societates incompletas* vocamus.

Quoniam autem hæ quoque societates, per universale principium socialitatis (742), omnes et singulos socios obligant ad officia generalis benevolentiæ mutuo sibi præstanda, idcirco, ob assiduam eorum sociorum benevolam inter se consuetudinem, facile illæ cujusdam etiam amicitiæ formas induunt. Quæ tamen formæ plurimum absunt ab intima illa communicatione absolutæ devotionis mutuæ, quæ *amicitia* simpliciter appellatur.

ARTICULUS II.

De societate herili.

794. NOTANDUM. — Inter societates incompletas, de quibus n. præcedenti, coroll. 2°, locuti sumus, specialem observationem meretur societas qua herus et servus inter se colligantur. Hæc

societas in summa non est aliud quam societas quædam utilitatis inæqualis (677), in qua servus operam suam præstat, herus ex suis opibus eum remuneratur. Vidimus autem superius (684) serviendi essentiam consistere in se ipso ad alterius bonum ordinando.

795. Pos. 380ª. — Nullus homo potest alterius hominis esse totaliter dominus.

Prob. — Alterius hominis esse aliquem *totaliter* dominum significat licere huic domino illum hominem ad suum bonum *totaliter* ordinare. Atqui nulli homini licet alterum hominem ad suum bonum totaliter ordinare. Nam quilibet homo est essentialiter ordinatus ad bonum infinitum, in cujus possessione proprium suum bonum quærere lege naturali immutabili tenetur. Ergo nullus homo potest quoad ipsum suum *esse*, quod totum ad bonum infinitum a natura ordinatum est, ad bonum cujuspiam hominis esse ordinatus. Ergo, etc.

796. Coroll. — Quoniam dominus et servus sunt duo termini correlativi, sicut nullus homo potest alterius hominis esse totaliter dominus, ita etiam nullus homo potest alterius hominis esse totaliter servus : hujus namque *esse* ad Deum solum ordinari potest.

Duplex itaque servitus generaliter distinguenda est : altera *completa* et *absoluta*, qua homo, totus quantus est, ad domini bonum ordinatur ; altera *incompleta* et *relativa*, qua hominis actiones solæ ad domini utilitatem ita ordinantur, ut facultas tamen servo reipsa remaneat existentiæ suæ, quantum opus est, ad Deum, ultimum suum finem, ordinandum.

Jam ex dictis manifestum est servitutem completam et absolutam, qualis apud ethnicos quosdam populos fuit olim recepta, juri naturali prorsus repugnare.

Igitur qui olim servum inhumane spectabant ut esse quoddam ad domini bonum omnino ordinatum, vocem abstractam *servire* confundebant cum voce concreta *servum*, eodem plane modo quo recentiores multi juris publici doctores auctoritatem abstracte sumptam cum principe concrete existente confundere consueverunt. Et quoniam *servire* ad bonum domini totum ordinatur, ab eoque totaliter dependet, propterea etiam hominem qui servit existimarunt ad domini bonum totaliter ordinari. Hinc vero exortæ sunt immanitates illæ dominorum in servos, quæ maximum veteris societatis paganæ vituperium sunt, atque a

multis, qui christiano tamen nomine gloriabantur, nefando scelere apud recentiores aliquos populos instauratæ sunt.

797. Pos. 381a. — Quilibet homo, qui alterius hominis sit dominus, respectu aliquarum tantummodo ejus actionum dominus esse potest.

Prob. — In homine quocunque actiones aliquæ tantummodo sunt quæ ad bonorum finitorum consecutionem ordinari honeste possunt. Nam esse ipsum hominis ad bonum infinitum essentialiter est ordinatum. Actiones vero illas omnes, quæ suapte natura Deum pro objecto directo et immediato habent, cujusmodi sunt actus religionis, perspicuum est ad ullius hominis bonum ordinari nullatenus posse. Item, actiones quarum vel executio vel omissio divino præcepto necessaria est, hominis voluntati subdi nequaquam possunt, adeoque respectu illarum nemo potest alterius hominis dominus esse.

At vero multæ quoque sunt hominis actiones, et mentales et corporeæ, per quas ille suam activitatem exercet circa objecta creata, illa seligens quæ sibi ad Boni infiniti consecutionem prodesse possint. Jam istæ actiones, etsi in operantis intentione sint *mediate* ad suam propriam felicitatem ordinatæ, ad finem tamen quemdam secundarium obtinendum, qui ad finem ultimum debet posse perducere, per se ordinari possunt. Etenim, si mundi universi ordo hoc habeat, ut homo aliquis rationabiliter bonum alterius consideret tanquam medium opportunum ad seipsum felicem ex honestatis legibus efficiendum, nihil impedit quin ille homo actiones suas, ad bonum finitum ordinabiles, ad bonum alterius ordinet. Ergo, etc.

798. Pos. 382a. — Hominis servitus sub altero homine *incompleta* et *relativa* licita omnino est.

Prob. — Sunt hominis actiones quædam quæ immediate et per se ad bonum aliquod finitum procurandum sunt naturaliter destinatæ, ut terram colere, domos exstruere, telas texere, tabulas pingere, scriptitare, aliæquæ innumeræ. Ergo jus ad has actiones potest quis alteri homini cedere, ut bonum aliquod sibi ab illo vicissim retribuatur. Nihil enim in ejusmodi contractu adest, quod naturali ordini ullo modo adversetur. Ergo, etc.

799 Coroll. — Ex postremis duabus positionibus 1° intelligitur quænam sint actionum species, quibus potest homo homini servire : sunt nimirum illæ omnes, quæ ad bonum aliquod finitum producendum per se tendunt. — 2° Exinde confirmatur

quod superius (795 et 796) monuimus, scilicet servitutem et illicitam et licitam sub diverso respectu dici posse. Quamobrem cavendum est a *philanthropicis* quibusdam declamationibus, quibus hominis servitus quæcunque sub alio homine damnatur tanquam juri naturali contraria. Quæ næniæ ducuntur ex falsa præsertim opinione qua homini cuique jus ad plenam et perfectam suam libertatem externam prorsus inalienabile tribuitur. Hoc autem erroneum principium si ad praxin in humana societate applicaretur, socialem ordinem funditus everteret. Ingenti namque hominum numero, quibus nihil aliud quam quotidiana opera suppetit, necessaria ad vitam honeste conservandam subsidia eriperet; alios vero plurimos necessariis tum ad varia munia vel civilia vel politica vel religiosa obeunda tum ad vitam commode ac decenter pro suo statu agendam auxiliis privaret.

800. Pos. 383ª. — Servitus est vel liberalis vel mechanica, vel partialis vel totalis quoad actiones homini moraliter liberas, vel temporanea vel perpetua.

Explic. — 1° Homo vires habet et mentis et corporis. Potest ergo vel has vel illas ad domini bonum adhibere. Si vires mentis adhibet, actionibus *liberalibus* illi servit; si adhibet vires corporis, actionibus servit *mechanicis*.

Quoniam vero nulla est hominis actio quæ solis mentis, nulla quæ solis corporis viribus fiat, idcirco gradatio quædam servitutum sensim fluens esse debet pro vario gradu vis quam sive mens sive corpus ad actiones cujusque servitutis proprias adhibet : in qua varietate infimus servitutis gradus est ille qui virium mechanicarum exercitio maxime materiali servit, supremus vero est ille in quo actiones mentis omnium nobilissimæ ad alterius bonum adhibentur.

2° Vinculum servitutis potest vel ad vitæ partem solum aliquam vel ad totam vitam obligare. Item, potest vel ad certas aliquas solum vel ad omnes actiones moraliter homini liberas adhibendas obligare.

Qui ad totam vitam et ad omnes actiones adhibendas obligatur, *servus* proprie dicitur : qui vero ad totam vitam sed ad terræ solum culturam olim obligabatur, quod in regionibus quibusdam borealibus etiamnum fit, *servus ad glebam* dicebatur. Qui et ad tempus limitatum et ad opera quædam limitata obligatur, diversis nominibus pro diversitate operum ad quæ adhibetur, *colonus* ruri, *operarius* in artium opificiis, *famulus* domi appellatur.

Hæ omnes, ut quisque videt, sunt veræ societates particulares, in quibus socii bonum illud particulare cujus indigentia talem societatem peperit, reciproce sibi procurant.

801. COROLL. 1. — Tria igitur particularium societatum elementarium genera duobus ultimis articulis consideravimus, consuetudinem scilicet domesticam, communionem utilitatis, amicitiam intimam : quæ tres associationes diligenti observatione dignæ sunt, quippe quæ in plurimis aliis societatibus diverso modo componuntur.

COROLL. 2.— Distinctio illa facultatum mentis et corporis rationem continet variorum graduum honoris in quo variæ servitutum species habentur. Qui quidem honoris gradus minime sunt cum gradibus independentiæ confundendi. Honor etenim ab independentia plurimum differt : honor ab excellentiæ existimatione oritur, independentia enascitur ab indigentiæ immunitate. Itaque poterit quis in gradu infimo serviens evadere respectu domini propemodum independens, si dominus magis ejus opera indigeat, quam ipse domini opibus. E contrario, alius in supremo gradu serviens poterit in totali dependentia versari, si ab indigentia subsidiorum ejusmodi sese nequeat liberare.

COROLL. 3. — Ubinam resideat auctoritas in iis particularibus societatibus, vidimus jam superius (634). Dominus est naturaliter superior, quia naturaliter est minus dependens. Attamen, quoniam alieni auxilii indigentia est quandoque major in eo qui stipendium alteri solvit, quam in eo qui operam suam stipendio præbet, idcirco independentia et superioritas, quando hæ a voluntaria associatione enascuntur, interdum a sua naturali sede in aliam transferuntur. Itaque videmus sæpe milites, stipendio conductos, legitime superiores esse iis pro quibus pugnant, et magistros esse superiores illis, quibus, ad eos edocendos, stipendio inserviunt. Hæ tamen sunt paucæ aliquæ exceptiones a regula generali, juxta quam qui stipendio operatur est magis dependens quam ille qui stipendium solvit, quia facilius est invenire homines qui vires ad operandum quam homines qui opes ad solvendum habeant. Oriuntur autem illæ paucæ exceptiones a peculiari quorumdam munerum natura, quæ essentialiter auctoritatem confert iis in quos tale munus exercendum est. Sic magister et dux militaris nequeunt munere suo fungi, nisi auctoritate, qua superiores efficiuntur, sint præditi ille in suos disci-

pulos, hic in populum universum qui armis est ab hostium aggressione protegendus.

CAPUT III.

De actione hominis in societate conjugali.

ARTICULUS I.

De societatis conjugalis natura et necessitate.

802. Pos. 384ª. — Societas conjugalis ut ab hominibus ineatur, in Creatoris voluntate est.

NOTANDUM. — Societas conjugalis, quæ et *matrimonium* passim appellatur, est viri et feminæ conjunctio ad prolem gignendam apteque educandam idonea. Status autem vitæ matrimonio immunis dicitur *cœlibatus*, et *cœlebs* persona quælibet adulta matrimonio nunquam juncta.

PROB. POS. — Si humanum compositum esset immortale et ad finem ab unoquoque homine seorsim sumpto in terris obtinendum a Creatore illud conditum esset, tres illæ associationis formæ, nimirum domestica consuetudo, communio negotiorum et utilitatum, amicitia intima, omnibus hominis indigentiis plane satisfacerent. At vero ex hominis morali et physica constitutione perspicuum fit, Creatoris voluntatem hanc esse, ut ejus consilia homines per successivam propagationem aliorum ab aliis hominibus paulatim perficiant. Nam, ex altera parte, humanum compositum in singulis hominibus mortale est, atque ad brevissimum temporis spatium singulorum vita protenditur; ex altera vero, unicuique homini Creator indidit vehementes impulsus et rationis et sensus et physici organismi ad perpetuo in aliis atque aliis individuis propagandam eam vitam quæ in singulis perpetuo elabitur ac deficit.

Etenim 1° ratio, hominis excellentiam præ cæteris omnibus creatis rebus ipsi homini ostendendo, facile illi persuadet, hominem esse a Creatore destinatum ad naturæ portenta perpetuo contemplanda et admiranda, ad creatas res in suos usus perpetuo

adhibendas, et ad gratias Creatori pro illis perpetuo agendas. Solus enim homo facultatem habet illa admirandi et gratias pro illis agendi : cæteræ autem omnes creatæ res, nisi homo illis utatur tum ad vitam sustentandam tum ad Dei attributa cognoscenda et laudanda, idoneo fine carent, atque inutilia evadunt ; quia omnes illæ res ad hunc finem conditæ evidenter sunt ut homini inserviant eumque ad Creatorem perducant. At, nisi homines per societatem conjugalem alios homines gignant, brevi totum genus humanum deficiet. Ergo, ut finis terrestrium omnium rerum constet, et gloria Deo debita constanter illi reddatur, ratio suadet societatem conjugalem ab hominibus esse ineundam.

2° Homo naturaliter, vel invitus, acerrimum feminæ amorem persentit, et vehemens desiderium sui corporis cum illa copulandi et prolis exinde obtinendæ. Atqui hic feminæ amor et hoc desiderium conjugalis conjunctionis ac prolis suscipiendæ, quum naturales sint, a Deo sunt inditæ. Naturalis autem quæque tendentia intentionem Creatoris revelat (80). Ergo Deus ipse conjugalem hominum conjunctionem vult.

3° Sexuum diversitas, a Creatore instituta in viro et femina, sicuti aptos illos efficit ad conjugalem conjunctionem, ita manifeste declarat homines esse a Creatore ipso ad talem conjunctionem destinatos. Frustra namque Deus hanc aptitudinem organorum illis dedisset, nisi actus ad quem tales duo diversi organismi apti sunt, ipse vellet; quod jam universe libro 1° (80) animadvertimus. Ergo Deus vult conjugalem conjunctionem et filiorum procreationem et educationem idoneam. Atqui hæc omnia postulant conjugalem societatem. Ergo, etc.

803. Pos. 385ª. — Matrimonium nequaquam est omnibus et singulis hominibus obligatorium.

Prob. — Ut matrimonium esset omnibus et singulis hominibus obligatorium, deberet omnium et singulorum matrimonium esse necessarium vel ob legem Creatoris directe illud singulis præcipientem, vel indirecte ex eo quod sine matrimonio nullus homo possit legis naturalis præcepta omnia observare, vel ex eo quod alienum aliquod jus obligationem matrimonii singulis imponat : nam omnia hominis officia ad tres istas classes pertinent, ad officia erga Deum, erga seipsum, erga alios homines (387).

Atqui I nullum Creatoris præceptum directe matrimonium singulis hominibus jubet. Voluntatem enim Creatoris, ut societas

conjugalis ineatur, cognoscimus naturaliter ex necessaria hominis tendentia et ex humani organismi aptitudine ad matrimonium (POS. 384). At hæc tria ostendunt quidem Creatoris voluntatem, ut aliqui, imo ut plerique homines matrimonio jungantur : at nequaquam ostendit matrimonium a Creatore omnibus et singulis præcipi. Nam ex illa hominis vehementi propensione et communi aptitudine ad matrimonium fit ut certissimum absolute sit plerosque homines, illi tendentiæ cedentes, conjugio vacaturos esse, ac proinde nunquam esse defecturam hominum propagationem, et nunquam defecturos homines qui naturæ miracula atque divina attributa, admirari, et Creatori gratias referre possint. Ergo, etiamsi omnibus et singulis matrimonium non sit præceptum, semper habebitur quod a ratione, ab sensu et ab organismi aptitudine postulari superius vidimus, scilicet humanæ speciei propagatio.

Præterea, et ratio et tendentia illa naturalis directe suadent, Creatorem nequaquam velle omnium et singulorum matrimonium. Nam ratio 1° intelligit, si omnes homines matrimonio copulentur, longe majorem hominum multitudinem inde enaturam, quam quæ ali in toto terrarum orbe possit.

2° Ratio item videt sæpe fieri ut homo vix habeat ea quæ ad victum et vestitum sibi uni sufficiant, adeoque non raro illum esse ineptum ad filios procreandos, quos alere et educare non possit.

3° Eadem observat multos in societate esse homines quorum munia societati utique necessaria ægre admodum cum societate conjugali componi possunt, cujusmodi sunt nautæ et milites.

Naturalis vero ad matrimonium tendentia, ut ostenderet Deum velle ab omnibus hominibus matrimonium iniri, deberet tam efficax esse, ut nemo eam superare posset. Atqui multos homines videmus, qui propensionem illam ad matrimonium superant, totamque vitam in cælibatu tranquillam agunt. Ergo et ratio et naturalis propensio demonstrant Creatoris voluntatem esse ut aliqui, ut plerique homines, at non ut omnes matrimonio jungantur.

Denique naturalis organismi aptitudo ostendit quidem omnibus et singulis hominibus esse facultatem matrimonii ineundi, at præceptum non ostendit. Quum enim Creator hominibus indeterminate matrimonium præcipiat, nullis eorum individualiter designatis, debuit omnibus aptitudinem ad matrimonium dare,

ut quicunque velint, adire illud possint. Omnes autem et singuli homines multas habent alias naturales aptitudines, quas omnes exercere atque evolvere profecto nequeunt, ut jam notavimus libro I° (44). Ergo, etc.

II. Omnia legis naturalis præcepta erga seipsum optime potest homo in perpetuo cælibatu observare. Matrimonium namque nec ad vitam conservandam, nec ad animi vires perficiendas est necessarium, ut satis per se manifestum est, et sequenti positione fusius ostendetur. Ergo, etc.

III. Nullo alieno jure matrimonium potest omnibus hominibus fieri obligatorium. Nam hoc jus, si existeret, esset vel individuale, vel sociale. Atqui 1° individua in communi naturæ ordine sunt per se æqualia; et matrimonium est institutio ad communem naturæ ordinem pertinens : omnes namque homines æquali jure ad matrimonium naturaliter destinantur. Ergo, nisi factum aliquod voluntarium æqualitatem illam naturalem mutaverit, in nullo individuo existere potest jus prævalens quo alterum individuum cogi ad matrimonium possit. Si vero factum ejusmodi aliquod voluntarium intercesserit, jam officium ineundi matrimonii, ex tali facto proveniens, et ipsum voluntarium est; quia voluntas illi facto consentiens officio etiam ex eo facto provenienti consensit.

2° Societas debet quidem individua existentia ad sociale bonum perducere : at nullum habet jus cogendi socios ad nova alia individua procreanda; quod inferius ex professo probabimus. Ergo conjugalis associatio est prorsus immunis ab omni antecedente obligatione ex parte aliorum hominum. Ergo, etc.

804. Pos. 386ª. — Perpetuus cælibatus, virtutis causa susceptus, matrimonio per se excellentior est.

Prob. — 1° Status ille vitæ qui præclarissimis quibusdam virtutibus exercendis obstacula insuperabilia opponit, est profecto minus excellens quam ille qui talium virtutum exercitio omni ex parte favet. Atqui matrimonium, quamquam Creatoris intentionibus, quatenus hæ ad plerosque homines spectant, omnino sit conforme, aliis tamen altioribus ejusdem consiliis ad paucos aliquot homines spectantibus obstat.

Mariti namque plenam illam independentiam quæ animum ad omnia pericula pro patriæ salute adeunda paratum efficit, necessario amiserunt; quia non minus conjugi et liberis quam patriæ subsidia debent. Uterque vero conjux, paternis et conjuga-

libus affectibus et curis necessario implicatus, nec tempus nec animi libertatem sufficientem habet, ut altioribus contemplationibus vacet, ut multiplicibus ac diuturnis illis mentis et animi exercitiis incumbat, sine quibus præstantiores quæque virtutes acquiri ut plurimum nequeunt; necessaria etiam animi vi et robore carebit ad arduas illas virtutum semitas pertentandas, quia conjugalis vita per se animum emollit, animum simul et corpus sensualibus curis et voluptatibus mancipando. Conjugibus denique proprias suas utilitates et fortunas ex aliorum amore contemnere, quas filiis suis debent, nequaquam licebit : nec vitam suam periculo exponere, ut aliis periclitantibus opem ferant, illis fas erit.

Honestus vero cælibatus et otium et mentis libertatem suppeditat, et vim animi ac robur ad ardua quæque suscipienda per se ingerit. Honeste namque vivere in cælibatu nemo potest, nisi contra vehementes sensualitatis passiones fortiter et constanter luctetur, adeoque in præclarioribus quibusque virtutibus sese quotidie exerceat. Ergo, etc.

2° Statum conjugalem magna passionum et appetituum sensualium turbulentia multaque materialia officia naturaliter comitantur : quæ omnia facultates humanas ad res sensibiles necessario inclinant. — Cælibatus vero honeste servatus, passiones illas et appetitus comprimendo et a materialibus illis officiis hominem eximendo, vires hominis omnes ad objecta rationalia et spiritualia suapte natura erigit. Ergo, etc.

805. Pos. 387ª. — Conjugalis societas, quamvis in suo principio sit voluntaria, simul tamen est status undequaque naturalis.

Probata est 1ª pars n° 803. Si enim matrimonium nulli homini individualiter est obligatorium, conjugalis societas est omnibus qui illam ineunt, voluntaria.

Prob. 2ª pars. — Societas conjugalis est per se ipsa status a Creatore pro plerisque hominibus intentus; habet finem a natura ipsa præfixum, humanæ speciei conservationem; legibus subest ab hoc fine naturali manantibus. Ergo et natura hujus societatis, et illius institutio et finis et leges sunt prorsus naturales. Ergo, etc.

806. Coroll. — Matrimonium igitur pertinet ad classem societatum voluntariarum (641). Nequaquam tamen futuris conjugibus liberum est matrimonio jungendo, quascunque velint, conditiones apponere; quia non est illud societas undequaque

voluntaria, sed solum quoad ejus formationem, at non quoad ejus naturam et finem. Itaque integrum fuit conjugibus velle aut non velle matrimonium; at illud velle contra naturales ejus conditiones et consequentias, perinde esset ac velle ordinis naturalis eversionem et Creatoris intentionibus aperte obluctari; sicut ordinis eversio esset velle creatum ens quodpiam a Creatore independens, velle contractum sine conditionum æquitate. Matrimonium igitur fini cuidam a natura determinato essentialiter subditur; hoc fine certæ quædam leges ineluctabiliter determinari debent, quibus societas obnoxia erit, et a quibus sese conjuges eximere nullo pacto poterunt.

ARTICULUS II.

De proprio matrimonii fine naturali.

807. Pos. 388ª. — Matrimonii finis naturalis est humani generis perpetua propagatio.

Prob. — 1° Matrimonium in Creatoris intentione esse non aliter ostendi potest, quam ex eo quod Creator velit humanum genus hominis ipsius opera perpetuari (pos. 384). Ergo unum illud quod in matrimonio ab hominibus ineundo, Creator vult, est humani generis perpetua propagatio. Ergo, etc.

2° Matrimonii finis cognoscitur ex effectu ad quem producendum conjugalis conjunctio est naturaliter apta (80). Nam quod naturaliter quæque res ultimo producit, illud est primum in intentione Creatoris, qui vires ad talem effectum gignendum illi rei dedit. Atqui ultimus conjugalis conjunctionis effectus naturalis est filiorum procreatio. Nam voluptas, quæ conjunctionem maritalem præcedit et comitatur, in prolis conceptionem ac procreationem et ipsa desinit. Ergo voluptas non est finis ei conjunctioni a natura præfixus : præsertim quum voluptas sensuum nunquam sit naturalis finis humanæ actionis ullius, quod jam ostendimus libro I, cap. 2, art. 3, et libro III, cap. 1, art. 2. Ergo, etc.

808. Coroll. — Matrimonii finis est perpetuare hominem qui Dei attributa admiretur, Deum colat, ad Dei possessionem perveniat. Atqui homo nec diu existere, nec gravissimis illis erga Deum officiis satisfacere potest, nisi et physicam et moralem a

parentibus educationem accipiat. Ergo completus matrimonii finis naturalis non solum prolis generationem, sed illius etiam et physicam et moralem educationem complectitur : sine hac enim duplici educatione inutilis, quin imo exitialis esset filiorum procreatio. Ergo pactio qua duo conjuges matrimonium ineunt, includit essentialiter obligationem, utrique conjugi incumbentem, inserendi statim ab infantia animis filiorum suorum veri et honesti ac sinceræ potissimum religionis germina, eaque deinceps sic evolvendi et stabiliendi ut puerilis illa institutio constans norma toti illorum vitæ postmodum futura sit.

809. Pos. 389a. — Matrimonii finis naturalis per se ipse sacer est atque ordinis spiritualis et moralis.

Notandum. — *Sacrum* dicitur quidquid ad Deum Deique cultum directe spectat. *Ordo* autem *spiritualis* in rebus humanis est ille, qui hominem, quatenus rationalis est, apte disponit. *Ordo* denique *moralis* est ille qui hominem dirigit quatenus ad perfectam felicitatem, quæ in Deo est, per rectas actiones debet contendere.

Prob. Pos. — Existere homo nequit sine sua natura et sine essentialibus proprietatibus quæ ab ea proveniunt. Ergo nequit homo existere aliter quam rationalis, et libertate arbitrii pollens, et ad moralem ordinem servandum obligatus, et ad Deum ipsum, in recte factorum mercedem, post hanc vitam possidendum destinatus.

Atqui 1° homo, ut rationalis et libertate arbitrii præditus et ad perfectam felicitatem in Deo possidendam destinatus, est specialis quædam imago divinæ naturæ, est aliquo speciali modo filius Dei, certe illuc naturaliter dirigitur ut fiat amicus Dei et cum illo intime conjungatur tum in hac vita per amicalem et filialem consuetudinem, tum in altera vita perfectissime per divinæ Bonitatis et Pulcritudinis plenam possessionem. Insuper, ob suam libertatem, divina ope adjutus, potest plurima efficere quæ magnam Deo gloriam, magnas hominibus utilitates pariant. Ergo nequit homo existere nisi ut ens *sacrum*, utpote qui speciali modo ad Deum pertinet et cum Deo conjunctus est, adeoque est ens speciali veneratione apud omnia entia intellectualia dignum.

2° Homo non aliunde quam per rationalem suam naturam homo est, et ad rationalem vitam totus est naturaliter destinatus, etiamsi materialibus organis et objectis, per quæ et in quæ suas

vires exerceat, in præsenti vita indigeat. Ergo totus ipse homo ad spiritualem ordinem maxime pertinet.

3° Essentialiter homo totum suum esse totamque suam vitam debet æternis legibus honestatis conformare, et felicitatem suam per Boni infiniti consecutionem sibi inquirere. Ergo totum humanum *esse* ac vita humana ad ordinem moralem spectant.

Jamvero finis ab objecto suo proprio specificatur; finis autem societatis conjugalis est hominis procreatio, nimirum homo, quem vidimus esse ens sacrum atque ordinis spiritualis et moralis. Ergo finis societatis conjugalis est sacer atque ordinis spiritualis et moralis.

810. Coroll. — Quamvis modus procreationis sit omnino in ordine materiali, quia nonnisi per actiones materiales et media materialia obtinetur, ipsa tamen hominis procreatio ratione sui objecti, quod est homo, ad ordinem spiritualem, moralen et sacrum pertinet. Hinc factum est ut omnes populi tum antiqui tum recentiores, qui impiæ cujusdam philosophiæ sophismatibus non *fuerint* corrupti, matrimonium sub tutela veræ aut fictæ alicujus divinitatis collocaverint. Et vero, societatis cujusque natura ab ejus fine proprio, et ab societatis cujusque natura ejusdem leges determinantur. Ergo, quoniam matrimonii finis est spiritualis, moralis et sacer, etiam matrimonium est societas spiritualis moralis et sacra; et præcipuæ matrimonii leges, quibus illius jura et officia continentur, a moralibus ejusdem elementis derivari debent, atque ad spiritualem, moralem et sacrum illius finem, qui est homines Dei amicos et filios, divinorum attributorum admiratores et divinæ Bonitatis futuros possessores, perpetuare, debet potissimum intendere.

811. Pos. 390a. — Matrimonium est societas domestica et amicalis.

Prob. 1a pars. — Matrimonium est associatio quoad ejus formationem libera, sed ad certum finem naturaliter ordinata. Atqui ad hunc finem obtinendum requiritur stabilis aliqua conjugum cohabitatio. Multorum namque annorum spatia emetienda sunt, antequam puer ad eam ætatem perveniat qua seipsum, ut hominem decet, gerere, rationem vitæ suæ ducem sequendo, possit. At pactio eorum qui matrimonium ineunt, includit essentialiter non solum finem immediatum procreandi in humano individuo physicum hominis organismum, sed præcipue alium finem a priore illo inseparabilem, producendi per rectam

educationem ens in morali ordine apte dispositum ad Creatoris intentiones perficiendas, ut vidimus n. 808. Physicæ autem et morali filiorum suorum educationi communiter constanter adlaborare conjuges nequeunt, nisi constanter alter cum altero cohabitent. Ergo pactio qua conjuges matrimonium ineunt, gignit etiam in illis obligationem in eadem domo convivendi. Ergo societas conjugalis suapte natura est societas domestica.

Quare factum illud associationis conjugalis applicat sociali et constanti modo conjugibus officia et jura societatis universalis; quod fieri vidimus in societate quavis domestica (790). Nimirum bona materialia, bona moralia et utrorumque reciproca tutela, sunt finis naturalis, quamvis secundarius, conjugalis conjunctionis. Quæ tria bona sunt plane finis societatis cujuscunque. At, quoniam matrimonium est modo specialissimo societas naturalis, idcirco etiam modo specialissimo illi convenit, ut ad triplicem illam bonorum speciem tendat.

PROB. 2ª PARS. — Finis conjugalis associationis proprius est, ex naturæ ordine, remotissimus a propria cujusque conjugis utilitate : est enim duorum individuorum inter se antehac independentium conspiratio ad existentiam aliis individuis tribuendam, eamque in illis et conservandam et perficiendam suis et labore et pecunia. Atqui talis conspiratio præsupponit intimam conjugum consuetudinem æqualitatis et amicitiæ (802, 808), et ad hanc amicitiam arctiorem semper efficiendam tendit. Ergo (791), etc.

812. COROLL. — Quoniam matrimonium est simul societas domestica et amicalis, intimam ergo et affectuum et bonorum inter socios communionem statuit, adeoque est societas undequaque *completa*. Quinque igitur societatis conjugalis qualitates essentiales jam habemus, quæ omnes et singulæ sunt maxime considerandæ ob graves conclusiones, quæ inde educuntur: scilicet matrimonium est societas *voluntaria*, *humani generis propagatrix*, *completa*, *amicalis* et *sacra*.

Jam ex his qualitatibus quæ matrimonii naturam explicatius ostendunt, præcipuas leges quibus illud regi debet, facile derivabimus : quas leges præcipuas ad quinque revocabimus, quæ sunt : *libertas* in illo ineundo, personarum *aptitudo*, *monogamia* simultanea, *altum dominium* domesticum, *indissolubilitas*. De quatuor prioribus breviter in III articulo, de postrema, quæ a nonnullis in dubium vocatur, in IV articulo disseremus.

ARTICULUS III.

De præcipuis matrimonii legibus naturalibus.

813. Pos. 391ª. Lex 1ª. — Matrimonium libere ab utroque conjuge contrahi debet, adeoque tum violentia tum error quicunque in re essentiali contractum matrimonii nullum efficiunt.

Prob. 1ª pars. — 1° Matrimonium est societas communi jure naturæ omnibus permissa et nulli præcepta. Ergo humana quævis auctoritas, sicut nequit ullum hominem a matrimonio prohibere, ita etiam nullum hominem potest ad matrimonium obligare.

2° Matrimonium est societas intima, amicalis et perpetua. Ergo necesse omnino est ut reciproca indolis proportio, et existimatio et fiducia inter conjuges intercedant. Ergo necesse est ut libere quisque possit vel prorsus a matrimonio abstinere, si talis ei societas non placeat, vel eam personam sibi conjungendam seligere, quæ ipsi arrideat. Si enim quis vel ad matrimonium quod omnino respuit, invitus impellatur, vel cum persona quæ illi non placet, invitus conjungatur, nequaquam poterit erga conjugem habere intimam illam affectuum communionem et fiduciam, quæ societati amicali essentialis est. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars ex priore. — Nam 1° matrimonium est contractus quidam. Atqui contractus quilibet non fit nisi per liberum contrahentis consensum : et ubi violentia intercessit, nequaquam pactio facta est per liberam contrahentis voluntatem. Ergo, etc.

2° Nemo potest velle quod ignorat. Ergo qui tale quoddam matrimonium voluit ex errore in re essentiali, revera illud noluit; quia rem illam essentialem noluit, quæ res a tali matrimonio inseparabilis est. Atqui, ubi deest liber contrahentis consensus, pactio nulla est. Ergo, etc.

814. Coroll. — Est igitur naturale jus cujusque hominis libera sui conjugis electio. Tamen hæc electio debet prudenter fieri : agitur enim de perpetuo duorum convictu adeoque de perpetua utriusque felicitate aut infelicitate in hac vita. Ergo, ubi quis in conjuge sibi eligendo imprudenter agat, prudentiorum consiliis regi debet. Hinc oritur filiorum officium obtemperandi prudenti parentum directioni in negotio hoc gravissimo talis sibi

personæ in conjugem eligendæ, quæ matrimonii officiis tranquille satisfacere cum altero conjuge possit.

815. Pos. 392ª. Lex 2ª. — Ad matrimonium ineundum essentialiter requiritur utriusque conjugis aptitudo ad prolem gignendam : quare, ubi alteruter conjugum ineptus ad hunc finem omnino sit, matrimonium est hoc ipso nullum.

Prob. 1ª pars. — Ad societatem quamlibet rationabiliter ineundam requiritur omnino ut illud quod ejus societatis est finis essentialis, sit possibile. Nam idcirco societas initur, ut ille finis obtineatur. Ergo, si finis ille est impossibilis tunc quum contractus fit, frustra talis associatio jungitur. Atqui finis matrimonii est prolis procreatio. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars. — Pactio de re impossibili est per se ipsa nulla; quia nemo potest sese obligare ad rem impossibilem faciendam. Atqui prolis procreatio est impossibilis, ubi conjugum alteruter ineptus sive impotens est. Ergo, etc

816. Pos. 393ª. Lex 3ª. — Matrimonii natura ipsa postulat monogamiam simultaneam; scilicet tum polyandria, tum polygynia simultaneæ sunt jure naturali illicitæ.

Prob. 1ª pars, scilicet quoad polyandriam. — 1° Polyandria simultanea per se ipsa physice tendit ad prolis conceptionem impediendam; ac proinde essentiali fini primario matrimonii adversatur.

2° Incertum efficit patrem prolis quæ forte enascatur; et idcirco nullus plurium maritorum educationi talis progeniei consulet. Quare iterum ex hac parte essentiali matrimonii scopo repugnat.

3° Maritorum multitudo necessario invidias et rixas inter illos pariet; iras etiam et ultionem adversus uxorem excitabit eorum quos illa uni alicui postponere videbitur. Itaque polyandria domesticam concordiam et pacem adeoque et societatem ipsam conjugum domesticam impossibiles prorsus efficit. Attamen matrimonium est essentialiter societas domestica.

4° Matrimonium essentialiter includit reciprocam conjugum devotionem absolutam et perfectam consuetudinis *intimitatem* : est enim societas in summo gradu amicalis (802, 808). Jam absoluta duorum devotio reciproca hoc postulat, ut alteri alter se totum det : ac perfecta consuetudinis intimitas reciproca requirit ut ea sit utrimque incommunicabilis. Atqui in conjugali societate simultanea unius uxoris cum pluribus maritis, uxor nec se totam

dat ulli maritorum, nec cum eorum ullo habet consuetudinis intimitatem incommunicabilem. Ergo cum nullo ex pluribus suis maritis potest societatem vere amicalem habere. Ergo polyandria cuidam proprietati matrimonii, ab ejus essentia necessario provenienti, nimirum ejus naturæ amicali, repugnat.

PROB. 2a PARS, quoad polygyniam nempe simultaneam. — 1° Hæc polygynia concordiæ domesticæ plurimum obest. Quas enim invidias et rixas nuper vidimus oriri debere inter plures unius uxoris maritos, eædem necessario inter plures unius mariti uxores exstabunt.

2° Honestæ filiorum educationi valde nocet : quia ejusmodi familia pace et concordia ad rectam filiorum educationem necessariis carebit, et malis simultatum et rixarum exemplis abundabit.

3° Si, ad simultates et rixas vitandas, singulæ uxores separatis conclavibus inclusæ teneantur, vehementer id conjugalis vitæ intimitati et æqualitati repugnabit.

4° In simultanea polygynia deest ex parte mariti reciproca devotio absoluta ac reciproca consuetudinis intimitas perfecta, quam ex parte uxoris defuturam vidimus, si hæc plures simul maritos habeat. Ergo, etc.

817. COROLL. — Quisquis rationes quæ et polyandriam et polygyniam simultaneas jure naturali damnari ostendunt, attente consideret, facile intelliget polyandriam simultaneam fini essentiali et proprietatibus necessariis matrimonii vehementer adeo et tam directe repugnare, ut nullo unquam in casu sufficiens existere possit ratio, cur ea permittatur ; e contrario, polygynia quisque videbit difficiliorem solum reddi assecutionem finis et proprietatum matrimonii ; et idcirco intelliget gravissimas aliquando existere posse rationes quibus ea licita efficiatur.

818. POS. 394a. LEX 4a. — Conjugalis associatio naturaliter in conjugibus gignit jus et officium omnia bona et personalia et realia ab singulis familiæ individuis possessa ordinandi ad commune familiæ bonum, nempe gignit *altum dominium domesticum*.

PROB. — Societas conjugalis est societas completa, adeoque debet sociorum operationem conjungere ad communem bonorum et spiritualium et materialium consecutionem. Ergo debet inter conjuges horum omnium bonorum reciproca communicatio existere. Jamvero hæc bonorum communicatio, quoniam ab intentione existentiæ suæ in novis individuis propagandæ orta est,

naturaliter spectat ad media quoque sustentandæ vitæ in iisdem propaganda. Ergo conjugalis associatio naturaliter iis qui principatum domesticæ societatis gerunt, confert dominium quoddam sociale, quo fit, ut illi et jus et officium habeant ordinandi ex justitiæ legibus omnia bona a singulis familiæ membris possessa ad communem ejusdem familiæ utilitatem; quod jus vocari potest *altum dominium domesticum*.

ARTICULUS IV.

De matrimonii indissolubilitate ac de divortio.

819. Pos. 395ª. Lex 5ª. — Conjugalis associatio est jure naturali perpetua et indissolubilis, adeoque divortium juri naturali repugnat.

Notandum. — Prioris conjugii voluntaria dissolutio ad alterum conjugium ineundum dicitur divortium.

Prob. pos. — Quicumque matrimonium adire parant, cum manifesta intentione perpetuo cum conjuge convivendi ad illud accedunt, et perpetuum amorem et tutelam sibi mutuo novi nupti semper promittunt. Eadem quippe naturalis tendentia quæ ad conjugium ineundum impellit, firmam quoque voluntatem perpetuo convivendi in eodem conjugio inducit (808, 811). Ergo Creatoris voluntas, a qua naturalis hæc propensio et intentio hominibus indita est, hoc habet, ut perpetua sit duorum conjugum associatio.

2° Uxor, ubi prolem conceperit, per novem menses infirma utitur valetudine, donec gravi cum suæ vitæ periculo conjugii fructum in lucem ediderit. Jam toto hoc tempore illa viri sui solamine et sustentaculo indiget. Ubi vero proles enata sit, matri ad infantem enutriendum viri subsidia necessaria sunt; atque ad pueri et adolescentis physicam et moralem educationem absolvendam utriusque parentis curæ conspirent oportet. Quæ quidem duplicis educationis necessitas ad totum ferme illud vitæ tempus protenditur, quo tum vir tum uxor ad alia ineunda connubia apti essent. Ergo natura ipsa, quæ prolis generationem atque educationem conjugio finem præstituit, vult etiam constantem conjugum unionem saltem per totum illud tempus quo homo ad nova conjugia aptus esset. Atqui, ubi hoc tempus transactum sit, jam nulla est ratio cur

novum conjugium cum alia persona ineatur, priore relicta : tunc enim finis matrimonii jam nequit amplius obtineri. Ergo, etc.

3° Filii, quum primum adoleverint, lege naturali tenentur parentibus senescentibus eas curas restituere per quas ipsi ad vitam physicam et moralem educati fuerunt. Atqui, ut hoc a filiis adultis fiat, necesse est eorum parentes perpetuo conjunctos manere : nam si alteruter parentum, altero superstite, ad alia conjugia transeat, et filii ex priore conjugio enati et alter conjux nihil se illi amplius debere non injuria existimabunt. Ergo naturalis ordo, sicuti hoc officium filiis adultis imponit, sic etiam unitatis domesticæ perpetuitatem, ad hoc officium implendum necessariam, præcipit.

4° Matrimonium est societas maxime amicalis (811). Atqui societas amicalis suapte natura postulat, ut sit perpetua (792). Et vero vehementer rationi hoc repugnare manifestum est, duas personas quæ secretissima quæque consilia et intimos quosque affectus et carissima quæque negotia reciproce inter se communicaverint, et in assidua et maxime familiari consuetudine vixerint, talis amicitiæ vinculis disruptis, veterem vitæ consuetudinem rejiciant, ut novam cum alia persona societatem ineant. Ergo, etc.

5° Matrimonii natura ipsa requirit plenam inter conjuges fiduciam reciprocam ex rationabili existimatione reciproca enatam. Atqui personæ quæ priorem conjugem deseruerit, nequaquam potest rationabiliter talis existimatio, adeoque nec fiducia erga illam haberi. Qui enim priorem conjugem repudiat ut novas nuptias adeat, et malum amicum et inconstantem hominem evidenter se esse ostendit. Ergo prioris matrimonii solutio aptæ posterioris conjunctioni necessario adversatur. Atqui tamen prius conjugium idcirco dissolveretur, ut alterum ineatur. Ergo, sicut posterius conjugium, priore conjuge superstite, nequit apte juxta naturæ leges adiri, ita etiam recto rationis ordini repugnat prius conjugium dissolvi ut posterius illud adeatur.

6° Divortium ei conjugi qui ab altero repudiatur, gravem injuriam infert.

Nam 1. qui conjux alterum repudiat, veterem existimationem, fiduciam et intimam consuetudinem suam illi aufert, ut in aliam personam hæc omnia transferat. Atqui, si hospitem domo ejicere injuriosum est, multo majoris injuriæ erit eam a se procul amandare personam, quam quis elegerat consortem tanti operis, quantum est nova entia rationalia procreare, novos divi-

norum consiliorum cooperatores, novos mundi materialis dominos, et quam unam affectuum suorum et negotiorum maxime intimorum participem effecerat.

2. Qui a conjuge repudiatur, existimationem apud cives perpetuo amittit, et tanquam rejectaneum quid despicatui ab omnibus habetur. Ergo jus naturale, injuriam tali præsertim personæ, qualis conjux est, inferri vetans, vult matrimonium esse indissolubile.

7° Divortium injuria et ignominia conjugem repudiatum afficiens, hoc ipso etiam omnes, etiam ejus propinquas familias ad iram et indignationem et dedecoris ulciscendi desiderium excitat. Ergo divortium suapte natura tendit ad familias in civitate mutuis simultatibus et odiis separandas, adeoque est germen dissolutionis in societate in qua illius usus frequens fieri cœperit. Ergo divortium est per se ipsum antisociale, ac proinde, etc.

8° Divortium *publicæ honestati* vehementer repugnat. Etenim 1. divortii facultas est conjugibus publicum excitamentum ad passionum intemperantiam, ad mutuas infidelitates et ad conjugiorum inconstantiam. Si enim facultas adsit, priore conjugio soluto, ad novas nuptias convolandi, quoniam conjugem cui quisque adhæret, fastidio plerumque post paucos dies et despectui habet, plerosque conjuges cupido pervadet alias conquirendi ac pertentandi personas vel adhuc innuptas vel jam alteri nuptas, quas melioris ineundi conjugii spe seducere atque ad se trahere omni arte conabuntur. Hinc vero mutuus conjugum contemptus, mutuæ suspiciones et invidiæ, illiciti personarum sive innuptarum seu nuptarum amores, conjugiorum levissima et creberrima mutatio, odia inter familias, ordinis domestici subversio passim orientur.

2. Divortii facultas conjugibus medium facile suppeditat infidelitates, quas alter in alterum commiserit, palliandi. Nam, si alter conjugum aliam personam quam suum conjugem amplexus fuerit, poterit, divortio peracto, cum illa matrimonio jungi et filium ex illicito illo complexu conceptum tanquam fructum legitimi conjugii producere.

Atqui publicæ honestati repugnat ut adsit in societate institutio aliqua legitima, quæ per se ipsa sit ad scelera perpetranda incitamentum, et scelera commissa ita contegat, ut eorum auctor cognosci et puniri nequeat. Ergo, etc.

820. Coroll. — Ex dictis quisque videt divortium et jure

individuali et jure domestico et jure publico prorsus condemnari. Lex igitur non solvendi matrimonii neque libero contrahentium pacto, nec publicæ auctoritatis decreto inducta fuit, sed est plane naturalis, quamvis fatendum sit hanc legem passionibus et appetitibus sensualis naturæ plurimum repugnare. Quæ res ut probe intelligatur, animadvertendum diligenter est, maritalem viri et feminæ conjunctionem posse duplici modo considerari, nimirum vel ex sensuali tantum instinctu, sicut a brutis animantibus sexualis copulatio apprehenditur, vel ex rationis dictatis, sicut ab homine spectari debet. Brutum namque animal, naturali instinctu impulsum, operatur ob finem quem ipsum minime novit, et ad quem a Creatoris providentia per solum appetitum sensualem perducitur. At homo ratione illustratus potest ac debet maritalis conjunctionis finem agnoscere, et libero suo arbitrio potest ac debet instinctus et actiones quæ ad illum spectant, apte dirigere. Quum enim omnes suas actiones ratione ac libero arbitrio debeat homo regere ac moderari, absurdissimum dictu esset solam maritalem conjunctionem, quæ maximi momenti in vita humana est, uno instinctu et appetitu sensuali apud homines licite posse gubernari.

Jam hæc una animadversio satis indicat et veram originem et summam levitatem rationum quibus non pauci vellent divortii naturale jus homini tribuere : hæ namque omnes ducuntur a passionibus illis et appetitibus sensualibus, quos homo non temere et indiscriminatim sequi, sed ex rationis dictatis dirigere ac temperare debet.

Coroll. 2. — Alia duo sunt etiam circa divortii fautores valde notanda. Primum est factum quoddam constans, quod, ab antiquæ Romæ imperio ad usque gallicam sæculi elapsi rempublicam, omnium temporum ac populorum historia exhibet, nimirum apud omnes gentes, quæ morum corruptione præstiterint, crescente morum licentia, pari ratione ardorem divortii crevisse. Cujus facti causa ex dictis in præcedenti corollario facile colligitur. Nam quanto corruptior pupulus quispiam est, tanto ineptior est ut passionibus et appetitibus natura sua mutabilibus ratione dominetur, adeoque tanto etiam ineptior est ad conjugalia vincula et prudenter nectenda, et constanter ferenda, et sapientis amicitiæ suavitatibus allevanda. Ergo quantum corruptio morum crescit, tantum etiam audax divortii studium augeri necesse est.

Alterum est, eosdem esse divortii fautores cum protestantismi,

norum consiliorum cooperatores, novos mun . qui-
minos, et quam unam affectuum suorum et hujus-
intimorum participem effecerat. namque
6. Qui a conjuge repudiatur, ex nimirum
perpetuo amittit, et tanquam rejec æ utilitati-
omnibus habetur. Ergo jus natur omnes enas-
personæ, qualis conjux est, in illuc pullulare
esse indissolubile. enis libertas, et
7° Divortium injuria et libertas, et sui-
cisna, hoc ipso etiam libertas, pullula-
iram et indignationem pacti socialis doctrina
Ergo divortium sus undum est, et revocabilitas
tuis simultatibus astringitur, eodem nituntur prin-
solutionis in *est obligari ad vitam infelicem agendam* :
Ergo divort *unitatem* individualem suicidio dissolvendam
8° Div *pervenitur*.

1. div *divortii* doctrina fundatur hoc principio, quod nemo poss *utrum* cras idem sensurus sit atque amaturus, quod *sentit ac* vult : quo principio ostenditur etiam impossibile *perpetuum* vinculum ejusdem religionis. At vero, ubi com- *ejusmodi* fundamentum hisce omnibus erroribus auferatur, *et perspicue* statuatur, hominis bonum et felicitatem in rationali *ordine* servando totam sitam esse, et semper posse hunc ordinem *homini* ratione prædito innotescere, et semper huic ordini posse *ab homine* libertate arbitrii instructo suas actiones conformari, *statim* evidenter ratio obligationem individualis et domesticæ et *politicæ* et religiosæ unitatum servandarum homini imponet.

COROLL. 3. — Quanquam rationes quibus divortium jure naturali damnari ostendimus, gravissimæ sint, attamen, quoniam illud essentiali matrimonii scopo non absolute repugnat, sed solum multo difficiliorem illius assecutionem efficit, et alia tum individuis tum societati publicæ incommoda parit, potest utique supremus rerum humanarum rector Deus aliquot individua vel populum aliquem ab ea lege divortium vetante eximere; quod Creator sapientissimus sine dubio non faciet sine gravi causa et sine additis conditionibus et cautelis quæ incommoda illa sive ad individualem temperantiam sive ad domesticam pacem sive ad filiorum educationem sive ad publicam honestatem spectantia vel omnino impediantur, vel plurimum saltem minuantur.

...æc indissolubilitas matrimonii tanti momenti est pro
... domestico et civili bono, ut nulli homini liceat
...a immunem facere.

ARTICULUS V.

...ntia a variis societatibus in quibus homo versatur.

...ici societate, domestica, civili et re...
...matrimonio ineundo provenire.

...imonium inire parant, in triplici societate ...ua versantur : in domestica, in civili et in religiosa. ...ique harum societatum certus finis propositus est per certa media consequendus. His autem mediis, quotiescunque ad proprium earum societatum finem sint prorsus necessaria, aut juste a legitima auctoritate præscripta, totidem officia a sociis omnibus servanda respondent. Inter hæc officia potest aliquod esse conjugalibus officiis plane adversum, cum iisque ita pugnare ut nullo pacto possit cum iisdem conciliari. Potest etiam eorum officiorum aliquod adversari matrimonio non quidem simpliciter considerato, sed solum ut contrahendo cum hoc vel illo personarum genere in peculiaribus quibusdam circumstantiis constitutarum. Ergo, quum officia illa, ex variis ejusmodi societatibus provenientia, sint anteriora, et perfecte ante matrimonium contrahendum obligent, perpendendum diligenter erit, quum aliquis conjugium inire meditatur, numquod ejusmodi impedimentum ex præcedentibus officiis socialibus obstet.

822. Pos. 397ª. — A societate domestica provenit lex matrimonium prohibens ob consanguinitatem, vel rectilineam vel collateralem, atque ob affinitatem.

Notandum. — Consanguinitas rectilinea est ea quæ inter parentes et filios intercedit : collateralis vero est ea qua fratres aut sorores, et fratrum vel sororum filii inter se conjunguntur. Affinitas est relatio conjunctionis personalis inter non consanguineum et conjugem consanguinei.

Prob. pos. 1ª pars. — 1° Inter conjunctos consanguinitate rectilinea est immutabilis relatio superioris et subditi quæ essentialiter repugnat matrimonio inter eos jungendo. Nam matrimonio essentiale est societatem perfecte amicalem inter conjuges inducere. Atqui societas amicalis, proprie dicta, ut quæ æquali-

cum politicarum seditionum, cum suicidii fautoribus. Quod quidem necessario ita fieri debet. Etenim inter hæc tria et hujusmodi alia communis quædam relatio logica intercedit. Hi namque errores *principio utilitario* pariter omnes fundantur; nimirum ex pessima hæresi felicitatem hominis in præsentis vitæ utilitatibus et commodis sensualibus constituente pariter omnes enascuntur. Itaque conjugiorum effrenis libertas illuc pullulare debuit, ubi protestantismus, qui est religiosa effrenis libertas, et seditiosum ingenium, quod est effrenis politica libertas, et suicidium, quod est effrenis in individuali ordine libertas, pullulaverint. Revocabilitas mandati vi cujus, ex pacti socialis doctrina (lib. 4, cap. 4, art. 3), principi parendum est, et revocabilitas consensus, quo conjugi quis adstringitur, eodem nituntur principio : *Nemo scilicet potest obligari ad vitam infelicem agendam :* quo principio ad unitatem individualem suicidio dissolvendam facile quoque pervenitur.

Item, liciti divortii doctrina fundatur hoc principio, quod nemo scire possit utrum cras idem sensurus sit atque amaturus, quod hodie sentit ac vult : quo principio ostenditur etiam impossibile esse perpetuum vinculum ejusdem religionis. At vero, ubi commune ejusmodi fundamentum hisce omnibus erroribus auferatur, et perspicue statuatur, hominis bonum et felicitatem in rationali ordine servando totam sitam esse, et semper posse hunc ordinem homini ratione prædito innotescere, et semper huic ordini posse ab homine libertate arbitrii instructo suas actiones conformari, statim evidenter ratio obligationem individualis et domesticæ et politicæ et religiosæ unitatum servandarum homini imponet.

Coroll. 3. — Quanquam rationes quibus divortium jure naturali damnari ostendimus, gravissimæ sint, attamen, quoniam illud essentiali matrimonii scopo non absolute repugnat, sed solum multo difficiliorem illius assecutionem efficit, et alia tum individuis tum societati publicæ incommoda parit, potest utique supremus rerum humanarum rector Deus aliquot individua vel populum aliquem ab ea lege divortium vetante eximere; quod Creator sapientissimus sine dubio non faciet sine gravi causa et sine additis conditionibus et cautelis quæ incommoda illa sive ad individualem temperantiam sive ad domesticam pacem sive ad filiorum educationem sive ad publicam honestatem spectantia vel omnino impediantur, vel plurimum saltem minuantur.

At vero hæc indissolubilitas matrimonii tanti momenti est pro individuali et domestico et civili bono, ut nulli homini liceat quempiam ab illa immunem facere.

ARTICULUS V.

De matrimonii dependentia a variis societatibus in quibus homo versatur.

821. Pos. 396ª. — A triplici societate, domestica, civili et religiosa, possunt variæ leges matrimonio ineundo provenire.

PROB. — Qui matrimonium inire parant, in triplici societate jam natura sua versantur : in domestica, in civili et in religiosa. Unicuique harum societatum certus finis propositus est per certa media consequendus. His autem mediis, quotiescunque ad proprium earum societatum finem sint prorsus necessaria, aut juste a legitima auctoritate præscripta, totidem officia a sociis omnibus servanda respondent. Inter hæc officia potest aliquod esse conjugalibus officiis plane adversum, cum iisque ita pugnare ut nullo pacto possit cum iisdem conciliari. Potest etiam eorum officiorum aliquod adversari matrimonio non quidem simpliciter considerato, sed solum ut contrahendo cum hoc vel illo personarum genere in peculiaribus quibusdam circumstantiis constitutarum.

Ergo, quum officia illa, ex variis ejusmodi societatibus provenientia, sint anteriora, et perfecte ante matrimonium contrahendum obligent, perpendendum diligenter erit, quum aliquis conjugium inire meditatur, numquod ejusmodi impedimentum ex præcedentibus officiis socialibus obstet.

822. Pos. 397ª. — A societate domestica provenit lex matrimonium prohibens ob consanguinitatem, vel rectilineam vel collateralem, atque ob affinitatem.

NOTANDUM. — Consanguinitas rectilinea est ea quæ inter parentes et filios intercedit : collateralis vero est ea qua fratres aut sorores, et fratrum vel sororum filii inter se conjunguntur. Affinitas est relatio conjunctionis personalis inter non consanguineum et conjugem consanguinei.

PROB. POS. 1ª PARS. — 1° Inter conjunctos consanguinitate rectilinea est immutabilis relatio superioris et subditi quæ essentialiter repugnat matrimonio inter eos jungendo. Nam matrimonio essentiale est societatem perfecte amicalem inter conjuges inducere. Atqui societas amicalis, proprie dicta, ut quæ æquali-

tatem vel supponit vel facit, nequit consistere cum relatione illa superioris et subditi. Ergo, etc.

2° Plerumque, ex naturæ ipsius legibus, cessat in parente fecunditas, quum ea perfecte constituta viget in prole. Id manifesto indicio est, nequaquam in Creatoris intentione fuisse ut filii cum parentibus nuberent.

PROB. 2ª PARS. — 1° Facultas connubiorum inter consanguineos collaterales jungendorum maximam in familiis corruptelam morum gigneret, maximam temerariis matrimoniis occasionem præberet. Nam, si inter eos quorum naturalis est cohabitatio, liceret matrimonia contrahere, iisdem etiam liceret sese in hunc finem mutuo quærere et amare, de futuris nuptiis colloqui, et alia peragere quæ ab externis juvenibus fieri solent erga puellas quas matrimonio sibi jungere meditantur. Quæ quidem inter personas non propinquas ac domo externas per se periculosa non sunt, quia virum non propinquum et externum, quandiu is in domo versatur, patresfamilias vel ipso urbanitatis officio assistentes semper observant.

At vero fratres ac sorores in eadem domo diu noctuque cohabitantes tanta a parentibus diligentia observari nequeunt, ut multa illorum colloquia, multæ actiones quotidie parentum vigilantiam non effugiant. Ergo, si nuptiæ inter fratres ac sorores non sint jure naturali illicitæ, si spes illis adsit sese invicem matrimonio conjungendi, et fraternus amor et assidua cohabitatio maritales amores iisdem vel pueris afflabunt. Inde autem quanta morum corruptio, quanta conjugiorum temeritas illico oriri debeant, manifestum est. Ergo naturalis ordo hoc præcipit, ut inter eos quorum naturalis est cohabitatio, nulla sit facultas matrimonii contrahendi.

Jam inter fratres et sorores cohabitatio est maxime naturalis, et minus ac minus naturalis ea fit, prout magis ac magis propagatio generis a communi stipite recedit. Ergo naturalis ordo nuptias inter fratres ac sorores omnino vetat, easque inter alios collaterales consanguineos minus ac minus prohibet, quo magis ac magis eorum consanguinitas sit remota.

2° Facultas connubiorum inter consanguineos collaterales jungendorum domesticam amicitiam eorumdem necessario everteret. Nam, si inter consanguineos collaterales licita conjugia essent, maritales unius erga unam amores necessario alios atque alios a pari amore excluderent. Hi autem peculiares amores quibus unus

et una cæteris præferrentur, necessario invidias, iras, odia, rixas inter eos consanguineos inflammarent. Exclusio namque a communione personarum et affectuum invidias et odia non minora sæpe excitat quam exclusio a dominio fortunarum. Ergo, si nuptiæ in tanta consanguinitatis proximitate possibiles judicarentur, familiæ pene omnes acerrimis rivalitatibus discinderentur: Ergo, etc.

PROB. 3ª PARS. — Binæ rationes, quibus nuptias inter consanguineos illicitas esse ostendimus, quibusdam etiam affinitatis gradibus applicari possunt; variis, inquam, gradibus juxta varias conditiones in quibus socialis ordo versetur. Potest enim in diversis morum circumstantiis assiduitas et intimitas consuetudinis inter affines diversa esse. Attamen generaliter rem spectando, 1° etiam inter affines naturalis est frequens et intima consuetudo. Ergo etiam pro affinibus ordo naturalis universe postulat ut specialis temperatio et verecundia sit obligatoria, adeoque ut omnis connubiorum inter eos jungendorum spes affinibus *naturali* interdictione tollatur.

2° Etiam inter affines orirentur rivalitates, invidiæ et odia, si possibilitas matrimonii amores maritales inter eos accenderet. Ergo, etc.

823. COROLL. — Legem moralem matrimonium consanguineorum vetantem confirmant physiologi nonnullis rationibus a natura organismi animalis deductis, quæ ostendunt hominum non minus quam belluarum progeniem sensim infirmari ac tabescere, nisi mares et feminæ a familiis remotis adducti copulentur. Quod sane iterum probat Creatoris intentionem minime esse ut consanguinei matrimonio inter se jungantur.

824. POS. 398ª. — Legum matrimonia inter consanguineos et affines vetantium determinatio concreta ad supremam socialem auctoritatem pertinet.

PROB. — Hæ leges certa quædam matrimonia vetantes sunt valde indeterminatæ et variabiles ob magnas circumstantiarum differentias quibus eorum objectum et materies obnoxia sunt: quod idem fit in aliis etiam legibus naturalibus, *v. g.*, in ea quæ divinum cultum (576), in ea quæ terrarum culturam præcipit (775,780), in ea quæ jus successionis in bonorum dominio et usu tribuit (797), aliisque hujusmodi. Quare in re ipsa et in concreto eæ leges, sicut hæ aliæ de divino cultu, etc., omni prope suo effectu frustrarentur, nisi aliqua positiva lege earum modi et

limites determinarentur. Etenim, ubi modus et limites actionis faciendæ vel omittendæ non sunt præcise determinati, semper potest humanum arbitrium libere vagari, ac sibi persuadere, passione aliqua præsertim impellente, naturale præceptum aut vetitum nequaquam eo usque pertingere. Ergo, ut leges illæ naturales irritæ ne sint, necesse est ut eorum modi et limites determinentur ab illa auctoritate, quæ toti cuipiam societati aliquid præcipere aut vetare potest, nimirum ab sociali auctoritate suprema.

825. Coroll. 1. — In limite hoc præcise determinando suprema auctoritas utitur quidem directione et vi quæ a lege naturali, quamvis non satis determinata, provenit; sed propria sua vi efficit obligatorium certum limitem; quem nisi hæc positiva lex adesset, prætergredi salva lege naturali homines possent : eo fere modo quo eadem minoritatis terminos præfigit, quanquam adolescens a natura jam illam mentis et animi maturitatem habeat, qua jus et aptitudinem ad se suaque negotia dirigenda plerumque habeat.

Coroll. 2. — Aliud est nuptias præcipere aut vetare, aliud est nuptiarum impedimenta determinare. Auctoritas politica nullum quidem habet jus in individua in iis omnibus quæ ad naturalem cujusque finem pertinent, cujusmodi sunt propriæ vitæ sustentatio et generis propagatio; at illa sane habet jus exigendi quod natura ipsa postulat ad externi ordinis socialis custodiam : hæc enim externa honestas est publicæ associationis finis præcipuus. Ergo qui publicam societatem gubernat, habet et jus et officium definiendi in hac materia quod propter nativam indeterminationem non satis efficax in legibus naturalibus esset. Quare imperativa illius declaratio habet a natura ipsam talem vim, ut, contrahentes ineptos ad eum contractum efficiendo, nullam et irritam ejusmodi associationem reddat, et associatos ad separationem obliget; quia societas inhonesta non habet jus ad sui conservationem. At, si publica auctoritas vellet viros et feminas, *v. g.*, ratione staturæ conjungere, tunc vero naturæ jubentis vi illi deficiente, quodcunque illius decretum esset oppressivum et nullum. Igitur publica societas non habet jus matrimonii pro suo arbitratu impediendi, sed solum imperative declarandi quæ matrimonium ex naturali ordine impedire aut dirimere debent.

826. Pos. 399ᵃ. — Matrimonii leges ab auctoritate religiosa naturaliter dependent.

Prob. — Fingatur publica societas amplexa esse religionem

quamdam supernaturalem, legum honestatis interpretem infallibilem, et promisisse eas honestatis regulas ab ea sese accepturam : quin imo fingatur societas eadem, cum pluribus aliis populis adhærentibus illi religioni supernaturaliter docenti, unicam aggregationem spiritualem efformasse. In tali casu, ex iis quæ de auctoritatis subordinatione in societate hypotactica diximus (lib. VI) evidens fit, ad majorem illam societatem, nimirum ad societatem spiritualem, pertinere imperativam declarationem earum quæ honesta sint, necne.

Etenim 1° tali declaratione debet tota illa major societas dirigi. Ergo ad supremam illius auctoritatem ea pertinet. Atqui suprema illius auctoritas in hypothesi est auctoritas spiritualis seu religiosa, utpote quæ est quacunque alia universalior (725).

2° Debet fieri declaratio honestatis ex lege naturali. Ergo hæc declaratio debet fieri ab illa auctoritate quæ proprie et specialiter est honestatis magistra. At honestatis magistra est auctoritas religiosa.

3° Debent leges indici associationi cujus finis est spiritualis et sacer (809). Ergo eæ leges ab auctoritate spirituali et sacra indicendæ sunt.

827. Coroll. 1. — Si supernaturalis ea religio, conjugali contractu ad actus immutabiliter religiosi dignitatem evecto, illum specialius sanctificaverit, non solum jus, sed officium etiam erit auctoritati religiosæ externas matrimonii formas ad finem illum spiritualem apte disponendi. Hinc vero evidens fit, quum Ecclesia Catholica, jus omne in causis matrimonialibus ad se avocando, futuras hominum progenies in suam tutelam suscepit, nequaquam aliena jura eam usurpasse, sed communi usam esse jure illo, quod in omni composita societate ad protarchiam naturaliter pertinet.

Præterea, sic agendo eadem functa est illo officio quo societas quælibet tenetur majorem curam infirmiorum membrorum habere. At nullus homo est nascituris hominibus infirmior.

Exinde etiam manifeste apparet æquissimo jure ab Ecclesia Catholica vetari matrimonia *mixta*, quæ scilicet catholicos inter et infideles vel heterodoxos junguntur. Talia namque conjugia spiritualem perniciem et conjugis fidelis et prolis nasciturae ut plurimum pariunt. Quam perniciem, ejusque naturalem causam, matrimonia illa mixta, deberent sane summo studio evitare illi ipsi, quos, societatem conjugalem ineundo, in hunc maxime finem

spectare oportet, nimirum ut veros Dei adoratores progignant. At quoniam multi, aliis cupiditatibus immersi, hoc officium negligerent, eam calamitatem et conjugis fidelis et filiorum a domesticis consortiis avertere majoris est auctoritatis illius, cujus est internos animi motus per externum ordinem perducere ad Bonum Infinitum, scilicet auctoritatis religiosæ.

Attamen in catholica societate nequaquam politica auctoritas vetatur effectus civiles matrimonii ad civilem suum finem, utut e re fore judicaverit, disponere. Hi namque civiles effectus politicæ auctoritati sunt obnoxii, et intra limites unius publicæ societatis continentur. At vero in iis effectibus pure materialibus determinandis civilis auctoritas minime potest impedire quin conjugale vinculum indissolubile et a natura ipsa nectatur et a religione revelata specialiter consacretur. Neque hæc vincula sic innexa poterit civilis illa auctoritas pro suo lubitu immutare; quia, catholicæ sese aggregationi subdendo, catholicam auctoritatem ea, juxta catholicas doctrinas, agnovit ac professa est solam judicem et naturalis honestatis et rituum religiosorum et totius ordinis spiritualis, ad quem sane hominis generatio pertinet (810).

Coroll. 2. — Quæ in hoc articulo et in præcedenti de matrimonii legibus disseruimus, facilem suppeditant rationem exhibendi generalis conspectus causarum quæ impedire possunt conjugalem associationem spectatam vel in ipsa vel in tribus societatibus, domestica, civili et religiosa.

I. Quoad matrimonium in se spectatum : 1° *Ignorantia* et *Violentia*. Nam matrimonium est societas voluntaria (803). Ergo, ubi non assentitur voluntas, non fit matrimonium. Voluntatis autem consensus abest tum per ignorantiam, tum per violentiam. Ergo, etc.

2° *Impotentia* vel *physica* vel *moralis*. Nam matrimonium est mutua cooperatio ad finem quemdam : est enim societas (811). Ergo, ubi adest physica vel moralis impotentia obtinendi finis essentialis, nulla esse potest conjugalis associatio.

II. Respectu aliarum societatum, 1° quoad relationes jam existentes inter futuras conjuges : *cognatio*, vel *affinitas*, vel *publica honestas*, quarum varia esse potest et natura et vis.

2° Quoad tertiam aliquam personam : *status conjugalis* et *servitus*. Nam tertia quæpiam persona potest habere jus vel in actiones vel in personam alienas : hoc autem jus anterius posteriora inconciliabilia impedit.

ARTICULUS VI.

De auctoritate in societate conjugali.

828. Pos. 400ᵃ — Auctoritas in societate conjugali est partim democratica, in utroque conjuge æqualiter residens; partim aristocratica, conjugi quoad realia subsidia potentiori competens; partim monarchica, ad virum principaliter pertinens: at elementum monarchicum est in hac societate præcipuum.

Prob. 1ᵃ pars. — Matrimonium est societas voluntaria, et essentialiter statuit inter utrumque conjugem perfectam amicitiam (811). Ergo statuit inter illos perfectam æqualitatem. Nam inter amicos, ut tales, nulla est alterius in alterum dominatio, nullum imperium: quin imo inter amicos essentialis est absoluta devotio reciproca (792). Ergo, quæcunque sit ob alios titulos in societate conjugali sedes et natura auctoritatis, semper in utroque conjuge aderit naturalis quædam auctoritatis æqualitas, qua socialis obedientia plurimum ex divino consilio lenietur.

Prob. 2ᵃ pars. — Matrimonium est etiam societas domestica quotidianis vitæ necessitatibus prospiciens. Jam harum necessitatum omnium urgentissimæ sunt victus, vestitus et tectum; quæ non possunt aliter comparari quam per reales aut personales opes, quæ sunt fortunæ et vires. Ergo qui conjux majoribus pollet divitiis aut viribus, majorem geret auctoritatem (684).

Quare, si apud omnes populos, sicut apud tribus silvestres venatione victitantes, divitiæ omnes a corporis viribus penderent, auctoritas conjugalis societatis in viro semper tota resideret.

At apud populos excultos, quorum animi vi morali flectuntur, et quorum opes tutela sociali proteguntur, vis materialis parvi momenti est. Apud hos igitur viri prævalentia sæpe minuitur, atque uxor eo majorem acquirit independentiam, quo major ibi morum cultura est. Itaque, si ab uxore pene omnes familiæ fortunæ sint, totam pene gerere domesticam auctoritatem illa una poterit. Ergo, etc.

Prob. 3ᵃ pars. — Matrimonium est societas ad generis propagationem naturaliter ordinata. Atqui, omissis etiam quæ physiologi circa leges functionum organicarum in utroque sexu observant, uxor, non solum, ut mulier quælibet, infirmiore utitur intellectu, ad minutas curas aptiore quam ad altiora consilia, et

animo imbecilliore, unde *sexus imbellis* nomen desumpsit; sed præterea in societate conjugali necessario et constanter debet florentis ætatis suæ partem alteram in graviditatis difficultatibus, alteram in pueri lactandi sollicitudine transigere. Ergo, quatenus illa est mulier et uxor, naturaliter est ad operandum multo infirmior et impeditior quam vir. Ergo natura ipsa vult ut in agendo uxor a viro dependeat, nimirum ut vir in conjugali societate auctoritatem domesticam gerat.

Prob. 4ª pars. — Matrimonium est ex naturali ordine præcipue societas generis propagatrix ; hic enim est primus hujus societatis finis essentialis, humana propagatio (807). Atqui in societate conjugali, quatenus illa est propagatrix, domestica auctoritas ad virum pertinet ut modo diximus, 3ª parte. Ergo, etc.

829. Coroll. — Uxoris a marito naturalis dependentia potest sane aliis causis et mitigari et pene deleri, ut in parte 1ª et 2ª postremæ positionis vidimus. Attamen illa dependentia a naturali ordine relate ad præcipuum matrimonii finem necessario exoritur : quare, si matrimonium spectari posset ut societas pure propagatrix, auctoritas in solo viro tota semper resideret. At, quoniam illud a voluntaria associatione enascitur, et sic enascendo societatem domesticam et amicalem necessario producit; idcirco in hujus societatis origine potest conjugalis auctoritas variis conditionibus subdi, modo ne illæ præcipuo conjugii fini repugnent; et in ejusdem progressu potest illa auctoritas impediri alia auctoritate diversæ naturæ, quæ sive in uxore, sive in filiis vigere incipiat. Sic princeps *abdicatarius* supremæ filii qui successerit, auctoritati obnoxius est: et in iis regionibus, ubi lex salica non obtinet, regina hæreditaria in virum suum legitime imperat.

His tamen omnibus non obstantibus, regiminis conjugalis forma proprie et præcipue est *voluntaria monarchica*, quæ oritur ab *electione obligatoria*: quia status electio est voluntaria, sed, hunc statum eligendo, simul necessario eligitur viri dominatio.

Eadem vero societas considerata in factis, quæ ad finem præcipuum minus proprie spectant, sed ab eo fine præcipuo naturaliter tamen proveniunt, naturam habet *mixtam*, adeoque in formis accidentalibus variabilem.

ARTICULUS VII.

De societate paterna, deque illius naturalibus limitationibus.

830. Pos. 401ª. — Societas paterna est societas inæqualis.

Notandum. — A societate conjugali enascitur per naturale factum societas paterna, quæ est filiorum cum parentibus domestica associatio.

Prob. pos. — Quadruplex est filiorum cum parentibus ratio conjunctionis : prima est generatio ; altera, cohabitatio ; tertia, educatio ; quarta, generis continuatio. Atqui ex omnibus hisce rationibus filii in societate paterna sunt parentibus inferiores. Nam 1° quæ filii habent, anima sola excepta, a parentibus omnia acceperunt. Ergo filiis incumbit debitum grati animi et compensationis, quo naturaliter fiunt a parentibus dependentes.

2° Quum filii enascuntur, pater et sub illo mater domesticam auctoritatem jam plenam possident. Ergo filii qui successive nascuntur, huic parentum auctoritati sunt naturaliter subditi.

3° Filii egent sustentatione atque educatione physica et morali a parentibus accipienda. Ergo tum quoad corpus tum quoad animum a parentibus ex alio capite dependent.

4° Filius est quædam *esse* paterni continuatio, et in parentum existentiam succedit, ad Deum in terris adorandum ejusque intentiones exequendas (802). Atqui continuatio essentialiter ab antecedente dependet. Ergo, etc.

831. Pos. 402ª. — Paternæ societatis auctoritas est per se potissimum monarchica, residens in patre, sed variis modis temperata a varia matris potestate.

Prob. — Societas paterna est naturalis quædam matrimonii consequentia, in qua filii successive enascentes nullo modo auctoritatem participant. Ergo talis est auctoritas in societate paterna, qualis est in societate conjugali. At in hac societate jam vidimus auctoritatem esse potissimum monarchicam in viro residentem ; sed eam temperari tum elemento democratico proveniente a natura amicali ejusdem societatis, tum elemento aristocratico emergente ex varia actione factorum peculiarium quæ majorem uxori potestatem tribuunt. Ergo, etc.

832. Coroll. 1. — Miranda est sapientia qua Creator paternam societatem efformavit. Etenim supremam potestatem et vim

ineluctabilem patri dedit; at simul hanc potestatem et vim temperavit naturali suavitate matris, cui *monitionis* officium commisit : *auctoritatem absolutam* in patre constituit, qua societati summa unitas confertur; at simul libertatem maximam in *organo monitorio* ad familiæ bonum reliquit.

COROLL. 2. — Monarchica potestas nunquam in patre solo tam integre coacta residet, ut ejus variæ functiones non debeant in plures personas distribui. Sic potestas *constituens* residet essentialiter in parentis utriusque consensu, a quo societas conjugalis, adeoque et paterna, efficitur : quam societatem constituendo conjuges legem fundamentalem statuerunt, juxta quam princeps familiæ alias regiminis conditiones determinare debet.

Potestas *deliberativa*, quæ ad domesticam inspectionem et admonitionem spectat, uxori potissimum commissa est, quia hæc ordinis domestici custos a natura ipsa est effecta. Vir e contrario ad externa tractanda negotia a natura impellitur, et ad hunc finem tanta mente, vi, alacritate, gravitate præditus est, ut domestici limites eidem nimis angusti videantur.

Ad maritum præcipue pertinet potestas *legislativa*, nisi factis accidentalibus ejus sedes, ut superius diximus, mutetur. At, etiam hæc facta præscindendo, ea potestas naturaliter temperatur per eam dependentiam qua subditur congruæ deliberationi, scilicet uxori quæ hujus deliberationis particeps naturaliter est.

Ob similes causas in uxore est potestas *gubernativa* et *administrativa* interna, cum primo gradu potestatis *judiciariæ*. At gradus alter hujus potestatis quæ in provocatione excipienda consistit, et gubernatio relate ad externa, et administratio universalis, et vis socialis ad maritum pertinent. Itaque huic merito credita sunt quæcunque majorem quamdam efficaciam et robur postulant : immediata vero executio interna, ad quam amor potius quam vis requiritur, uxori commissa est.

Quæ omnis potestatum et munerum distributio, quoniam ipsius est naturæ opus, naturalibus propensionibus amoris, beneficentiæ, dependentiæ, utilitatis statuitur sua sponte et conservatur : sunt enim hæ naturales propensiones vires quædam vivæ, quæ tanto constantius et tutius effectum a natura intentum producunt, quanto illæ sunt ad agendum et efficaciores et minoribus obstaculis impediuntur.

833. POS. 403ª. — Auctoritas paterna in filios non est perpetua, sed certis in sua duratione limitibus continetur.

PROB. — Quadruplex ratio est, ob quam filii parentibus naraliter subditi sunt, ut vidimus n. 830, nimirum generatio, abitatio, beneficia, educatio. Atqui nulla ex his rationibus petuam filiorum subjectionem sub paterna auctoritate postulat. Nam 1° obedientiam filii parentibus debent ob legem universalem societatis ad ordinem concretum applicatum per factum cohabitationis (830). Ergo, cohabitatione cessante, actualis quoque obligatio obediendi ex hoc capite cessat. Atqui factum hoc cohabitationis multis modis cessare potest, ac cessat, ut quotidie fieri videmus. Ergo, etc.

2° Obligatio grati animi habendi et beneficia rependendi nunquam in filiis cessare potest. Hæc enim obligatio oritur ex eo quod ipsum esse et physicum et morale per generationem et educationem filii a parentibus acceperint. Ergo, quoniam semper hoc eorum esse durabit, et nunquam parem gratiam parentibus rependere filii poterunt, quia parentibus existentiam tribuere ipsi nequeunt, semper etiam obligatio illa permanebit.

At vero ex grati animi obligatione officium obediendi nequaquam oritur. Obedientia namque est ea virtus quæ subditum efficit flexibilem a voluntate illius qui societatis ordinator est. Atqui beneficia quæ filii a parentibus acceperunt non habent vim idoneam, qua ex rationis ordine eorum voluntatem erga parentes flexibilem efficiant. Etenim grati animi officium nec materiam ordinis nec ejus principium, scilicet nec societatem nec rationem in eo qui beneficia contulit, necessario supponit. Non societatem, quia beneficium præteritum actualem societatem ordinandam per se non requirit. Non rationem, quia beneficii collatio ideam prudentiæ ad gubernandum aptæ non includit : at ordinatio tunc solum recta est, quando est prudentiæ opus. Ergo idea beneficii nullam relationem habet ad ordinandum. Ergo ex eo quod beneficia quis ab alio acceperit, non sequitur illum debere huic obedire.

3° Quoad conservationem et educationem corporis, quum filiorum vires fuerint evolutæ, poterunt hi per se ipsi necessaria ad victum et vestitum sibi comparare. Ergo tunc eorum cum parentibus conjunctio ob ejusmodi indigentiam, et consequens obediendi obligatio ex hac parte cessabunt. Educatio vero mentis et animi, quantum ad naturalem honestatem ac felicitatem spectat, perpetua institutoris opera non eget. Nam humanus institutor obstacula solum amovet rectæ educationi contraria, et primos

impulsus menti animoque educandis præbet. At pueri educandi progressus ab internis potissimum principiis pendent. Quæ principia ipsi educando interna, ubi actionem suam aliquandiu exeruerint, adolescentem suo institutori parem, vel illo etiam superiorem sæpe efficiunt, aut saltem sufficientem scientiam et virtutem quibus se ipse regere jam possit, eidem tribuunt. Tunc vero nulla erit obligatio ex hoc capite parentibus obediendi, sed potius eisdem resistere quandoque licebit.

4° Filius, quatenus præcise in *esse* paternum succedit, ut divina consilia et admiretur et exsequatur, nulla adstringitur obligatione obediendi parentibus. Nam *esse,* quod filius a parentibus accepit, est esse corporeum seu materiale, quod naturaliter debet a ratione dirigi et gubernari. Atqui ratio ad divinas intentiones intelligendas et per voluntatem exsequendas destinata est. Ergo his solum intentionibus divinis ratio suapte natura subditur. Ergo, nisi alias ob causas, *v. g.,* ob cohabitationem, ob educationem, debeat filius a paternis nutibus pendere, certe quatenus paternum esse accepit, non tenetur parentibus obedire.

834. Pos. 404ª. — Auctoritati paternæ subsunt tum omnes filiorum actus externi ad ordinem societatis domesticæ in qua vivunt, pertinentes, tum eorum actus interni, quantum recta eorumdem educatio postulat.

Prob. 1ª pars. — Auctoritas paterna duplici ratione constat essentiali; est nimirum ordinatrix societatis suæ domesticæ et est filiorum educatrix : parentes enim eodem jure et eadem obligatione sunt in societate sua domestica principes ac proinde domestici ordinis custodes et simul filiorum suorum institutores (808, 830). Ergo parentes jus et officium habent exigendi a filiis quidquid ad commune familiæ bonum requiritur. At hoc bonum postulat ut ordo et honestas ab omnibus sociis in omnibus externis actibus serventur. Ergo parentes, ut societatis domesticæ principes, possunt ac debent omnes filiorum actus externos ad domesticum ordinem pertinentes recte disponere, scilicet modum in quotidianis operibus, in laboribus, in impensis servandum; mutuam concordiam et consuetudinis urbanitatem; externam observationem eorum quæ naturalis honestas et religio divinitus revelata præcipiunt; diligentiam denique in omnibus vitandis quæ vel corpori vel honori vel moralitati eorum nocerent, atque ejusmodi alia.

Prob. 2ª pars. — Educatio est apta intellectus et voluntatis

evolutio et directio. At non possunt hæ internæ facultates dirigi aliter quam eorum actus internos cognoscendo et gubernando. Ergo ad hos actus paterna auctoritas naturali jure et officio tantum extenditur, quantum educationis necessitas atque utilitas in filiis postulant. Ab hac enim educationis indigentia jus illud et officium parentum enascuntur. Filii autem tantum aliena educatione indigent, quantum ipsi sunt ad sese dirigendos inepti. Ergo quo minus filiorum facultates intellectuales evolutæ sunt, eo latius debet porrigi paterna auctoritas in actus filiorum internos; quo magis filii adolescunt et ad se ipsos recte gubernandos idonei fiunt, eo minus auctoritas paterna in internos filiorum actus valere debet.

835. Coroll. 1. — Puerulo primum nullus est moralium facultatum usus. Ergo paterna intelligentia illi finem in quem recta ratio tendit, plane commonstrare, ejusque omnes actus paterna honestas gubernare debet.

Puerulus vero, moralis operationis primum incapax, naturali *instinctu* fertur ad cogitanda, volenda et agenda, quæ parentes suos cogitare, velle atque agere senserit. Qua præsertim ratione parentes in filios suos non solum physicam sed moralem vim efficacissimam habent. Hinc autem quisque intelligit, quam gravis parentibus obligatio incumbat vera judicandi, honesta volendi et agendi.

Verum quidem est primis pueritiæ annis usum rationis adeo tenuem esse atque infirmum, ut impulsus illius paterni communicatio nondum moralis in puero esse possit. Attamen primæ illæ pueruli ideæ et prima judicia ab extrinseco accepta habent jam aliquod moralitatis initium, sicut in puero aliquis usus rationis jam adest. Rationis namque exercitium et moralitatis præsentia non repente, fulguris instar, emergunt, sed sensim ac lente, velut sol oriens, exsurgunt ac progrediuntur. Quare primi rationis et moralitatis actus completi in puero, quoad suam directionem, ab elementis quæ jam a paterna institutione ille acceperit, maxima ex parte dimanant.

Coroll. 2. — Ex præcedente coroll. hæc haud difficulter intelliguntur :

1° Gravissime contra leges honestatis peccant conjuges illi catholici, qui, matrimonia mixta ineundo, hanc contractui conjugali conditionem apponi patiuntur, masculos filios in religione patris, feminas in religione matris educatum iri. Catholicus

enim conjux, qui credit ac profitetur in falsa religione æternam salutem minime obtineri, spirituale infanticidium committit in suos filios, quos publica pactione consentit in falsa religione educari.

2° Optime agit christiana societas, dum filii recens nati mentem ac voluntatem in baptismate a parentibus quasi dono accipit. A parentibus namque totum inditur, ut nuper vidimus (corollar. 1) elementum illud morale, quod teneras puerorum mentes in veri ac recti amorem deinceps impellit. Ergo parentes, si revera credunt catholicam societatem esse veram illam et solam *ecclesiam* quam Deus condidit, quam Deus approbat, cui Deus loquitur, quam Deus regit, cui Deus æternam felicitatem pollicetur, debent, quoniam possunt, infallibili Ecclesiæ catholicæ auctoritati filiorum suorum mentes et animos subjicere, sicut se ipsi jam pridem subjecerunt.

3° Pessimo errore decipiuntur illi qui volunt de religione nullam prorsus notionem filiis ingeri a parentibus, ut, quum illi adoleverint, quidquid maluerint ipsi eligant. Quæ doctrina et impia et absurda est. Impia quidem, quia vetat ne parentes tenera illa pectora, quæ in sua potestate habent, summo Vero et summo Bono mancipent, eaque idcirco passionibus et erroribus quibusque perniciosissimis prædam relinquant. Absurda vero est, quia vult ab humana ratione certum quemdam diem expectari, ut tum primum repente ea sibi pariat scientiam summi Veri et summi Boni, ad quam tamen puer ab infantia contendit et sensim sed continenter progreditur.

COROLL. 8. — Ex dictis facile quoque explicatur, quomodo certæ religionis professio et observatio, quæ non est *socialiter* obligatoria præterquam illi qui eam libere suæ voluntatis actu susceperit, obligatoria tamen sit pueris qui veræ sanctæque religioni, sine ullo personali suo consensu, addicuntur; et quomodo christianus quisque adultus teneatur fidem servare iis promissis, quæ parentes christianæ Ecclesiæ pro filio in ejus baptismate dederunt. Etenim factum evidens est, puerulos in omni materia, sed in religiosa præsertim, a parentibus, a nutricibus, ab institutoribus primas accipere ideas, quibus voluntarias suas actiones deinde dirigant. Evidens etiam illud est, puerum, has ideas ab aliis acceptas in voluntariis suis actionibus sequendo, rationabiliter prorsus agere : quia ineptus ipse est ad notiones veri et honesti religiosi multo abstrusiores et tamen

multo magis necessarias quibuscunque aliis notionibus suo marte acquirendas. Ergò, quoniam a prima infantia debet homo rationabiliter operari et religionem erga Deum addiscere et colere, rationabiliter omnino agunt et parentes filium veræ sanctæque religioni mancipando, et filius religiosas notiones bona fide a parentibus acceptando; sicuti prudenter atque e rationis legibus tutores publicis contractibus obligant pupillum ad ea post annos aliquot præstanda, quæ ipse gravi officio præstare teneatur, vel quæ ipsi utilia futura sint. Quas sane obligationes a tutoribus sibi sine personali suo consensu impositas nequit pupillus, quum adoleverit, retractare.

Puer vero, paulatim mente et corpore adolescens et notionum a se bona fide acceptarum veritatem ac necessitatem agnoscens, liberam suam adhæsionem progressive præbet iis notionibus atque iis promissis.

At, si ætatis et intelligentiæ processu adolescens intelligat erroneas sibi doctrinas prima ætate fuisse traditas, tenebitur ille, post rem summa diligentia prudentiaque discussam, doctrinas ejusmodi religiosas, quamvis a parentibus acceptas, abjicere, veramque fidem quæ illi peculiari Dei providentia affulserit, magno animo intrepidoque sectari. Quæ quidem communis olim fuit adolescentium ab ethnica superstitione ad christianam veritatem traductorum.

Coroll. 4. — Quoniam, ut paulo superius animadvertimus, a diverso genere idearum et judiciorum, quibus ab initio tenera puerorum mens nutrita fuerit, pendet omnino diversa ratio sentiendi, judicandi, volendi, vivendi, quam illi postmodum ineant; et quoniam christianæ religionis doctrinæ et præcepta vehementer pugnant cum acerrimis quibusque naturæ humanæ corruptæ propensionibus; nemo sanus dubitare potest quin pueri sint maxima diligentia, statim a teneris unguiculis et constanter per complures annos, toti christianis dogmatibus, historiis, præceptionibus occupandi, procul ab eorum mente amotis quibuscunque libris qui non sint christiana sapientia et sanctitate undequaque imbuti. Etenim, si semel falsæ ideæ, prava judicia, vel sententiæ ipsæ ac narrationes ordinis mere naturalis ac christiano, ut ita dicam, balsamo carentes puerilem animum pervaserint, hac fece ille infectus, passionibus sensim invalescentibus, ad salutaria, sed initio aspera, christianæ religionis documenta et præcepta amanda et penitus amplectenda ineptus evaserit.

Quare vitiosa prorsus atque exitialis dicenda est methodus illa juventutis instituendæ, secundum quam methodum tenerrimis pueris, ante aliam quamcunque eruditionem, pagani libri quotidie prælegantur et in vulgarem linguam vertuntur, paganæ historiæ narrantur, pagani quique viri illustres, tanquam maxime admirandi et imitandi, proponuntur, paucis interea notionibus quibusdam de re christiana identidem traditis, christianorum auctorum veterum libris, christianorum heroum factis præclarissimis, sacrarum Scripturarum divinis documentis prætermissis.

Hac methodo pagana juventutis instituendæ manifestum est nullum fidei christianæ robur, nullum sanctissimæ religionis ardorem in juvenum pectoribus gigni posse; pallido quodam christianismi colore illitos, paganis tamen, scilicet mere naturalibus, sensibus, judiciis, affectibus, moribus undique perfusos plerosque juvenes e scholis evolare oportere.

Pessimam hanc juventutis erudiendæ methodum, quæ a tribus jam sæculis et amplius magno cum rei et religiosæ et moralis et politicæ damno servatur, nuper Josephus Gaumius, vir pietate, doctrina, pulcherrimis ab eo conscriptis libris præclarus, quum publice edito volumine improbasset, irrisionibus, contumeliis, calumniis innumeris exceptus est ab hominibus quibusdam, quos sibi adjutores in ea peste profliganda esse adfuturos sperare optimo jure debuerat. At hi quidem existimare visi sunt magno id sibi fore dedecori, si ea methodus qua ipsi passim usi fuerant jamdudum atque etiamnum utebantur, vitiosa esse crederetur. Itaque omni arte, omni violentia, dicteriis quoque ac mendaciis, ipsa etiam Josephi Gaumii viri clarissimi persona multis modis vexata, hoc periculum a se propulsare conati sunt.

Quumque doctus ac pius ille vir et qui eidem assentiebantur id unum postularent, ut christianis litteris et doctrinis unice primum christiana pueritia aleretur, additis secundo loco, post aliquot puræ sanctæque illius institutionis annos, paganæ etiam litteraturæ auctoribus rite expurgatis, versuti adversarii clamitarunt antiquæ litteraturæ græcæ ac latinæ auctores quosque præstantissimos a Gaumio ejusque sectatoribus rejici et explodi; *classicis*, quos ita vocant, scriptoribus bellum fieri; *gravem Ecclesiæ catholicæ*, quæ paganos auctores in christianæ juventutis institutione adhiberi semper passa est, *injuriam irrogari*.

Iis clamoribus atque hac præsertim postrema criminatione commoti, nonnulli episcopi insanum ejusmodi consilium poli-

tioris omnis litteraturæ perdendæ atque Ecclesiæ catholicæ condemnandæ gravibus verbis reprehenderunt.

Quapropter quantæ iis episcopis pro vigilanti eorum erga Ecclesiam catholicam studio debentur gratiæ, tanta indignatione à bonis omnibus rejicienda est mendax illa accusatio quam callidi homines in viros pios et prudentes intendere tum maxime ausi sunt, quum Sedes Apostolica, litteris per cardinalem Antonellium ad cardinalem Rhemensem datis, palam testabatur nihil Ecclesiæ catholicæ injuriosum ea contineri controversia, quippe quæ circa *rem plane liberam* versaretur.

Faceta vero est eorum accusatorum querimonia clamantium græci latinique sermonis puritatem et elegantiam in scholis nostris corruptum iri, si, antequam ad paganos libros *classicos* traducantur, in christianis auctoribus græcis ac latinis pueri unice exerceantur. De græci latinique sermonis puritate atque elegantia apud suos discipulos conservanda sollicitos esse nimirum decet illos qui palam fateri coacti sunt nec se nec suos discipulos scire quidquam latine utcunque loqui aut scribere! Christiana ipsa fides, privata et publica hominum salus in periculum adducenda nempe est ut puritas et elegantia latinitatis apud nos retineatur nunc temporis, quum, omnibus fatentibus, ad tantam latinæ linguæ ignorationem deventum est, quanta nunquam apud nos fuit, ex quo romanus sermo est in Gallias invectus !

Christiani igitur præceptoris officium est a pagana illa juventutis instituendæ methodo recedere et ad veterem, quæ semper fuit apud christianos populos, usque ad renatum quintodecimo sæculo in litteris, scientiis et artibus paganismum, observata, spretis stultorum clamoribus, redire. Quo quidem officio parentes christiani multo magis premuntur : eorum namque maxima illa cura esse debet, ut sui liberi ea methodo erudiantur, quæ una apud christianos populos semper in usu fuit, quæque una potest, cum veteris litteraturæ græcæ ac romanæ scientia, christianam mentem, christianum ingenium, christianos mores efficaciter puerorum animis infundere.

Sed de tota hac re fusius alio loco disseremus : hæc pauca hic innuisse sufficiat.

Coroll. 5. — Est parentibus perpetuum jus ad filiorum gratum animum, observantiam et subsidia necessaria ; est iisdem jus pariter immutabile in ordine domestico ad filiorum obedientiam, quandiu filii cum iis cohabitant : at jus est illis ad inter-

nam filiorum *coercensionem* perpetuo decrescens eadem proportione qua in filiis usus rationis crescit : hæc omnia jam n. 833 et 834 constituta sunt. Tertium autem hoc jus vix nomen juris meretur, quum illud ab rationis, quæ omnis juris fundamentum est, absentia quam filius patitur, totum oriatur. Itaque illud est potius *vis* quædam spiritualis, sed physica, a parentibus juste adhibita, quam filii sponte sua sequuntur; est temporarium quoddam subsidium quod infirmæ filiorum rationi natura præbet, donec illa proprio se lumine dirigere possit.

Jam præcipua lex in puerorum institutione servanda exinde colligitur. Etenim, sicut jus educationis est natura sua decrescens temporis processu, ita variam quoque educationis formam pro varia pueri ætate esse oportet. Scilicet infantis educatio pure sensitiva esse debet : institutio pueri debet rationalibus ejus passionibus præsertim uti : at adolescentis jam plene ratione utentis educatio ratione potissimum, veritate ac jure niti debet.

Animadvertendum tamen est nunquam hominem esse solum spiritum, quantumvis et societas et individua singula perfectionem adepta sint; atque ideirco nunquam fore idoneam hominis educationem, quæ sola ratione ad illum formandum utatur. E contrario, quoniam puerulus, saltem ex quo loqui cœpit, nunquam solo sensu utitur, propterea omnia media sensibilia ad puerorum educationem adhibita eo spectare debent, ut vires rationis paulatim aperiantur etiam in illa ætate, in qua perfectæ moralitatis adhuc puer incapax est.

Quam obrem hominis naturam plane ignorare manifestum est tum illos qui putant prava exempla puerulis minime nocere, tum eos qui pueros vellent sine æmulationis ac punitionis præsidiis recte instituere, tum alios demum qui, hisce mediis ad hominem sensitivum excitandum ac propellendum idoneis utentes, tunc puerum se recte instituisse existimant, quum illum tantummodo excusserunt et penitus commoverunt. Nempe formandi sunt in puerorum animis habitus virtutum, qui non sensus, sed voluntatis, seu tendentiæ rationalis proprii sunt (152). Quare nullus homo individuus apte educatus, sicuti nullus populus rite excultus et politus dici potest, nisi adjumenta illa a sensu et passionibus petita ad habitum boni honesti practice amandi in iis efformandum pervenerint.

Denique, etsi optandum maxime sit, pueros rationalibus potius quam sensibilibus incitamentis ad officium adduci, attamen im-

prudentissimus sane ille institutor esset qui ad pueros corrigendos, quibus rationalia media nihil aut parum prosint, sensibilia adhibere non audeat, honoris scilicet ac vituperii stimulos, jejunia, verbera et hujus generis alia. Ad postrema hæc sane adjumenta non est accedendum, nisi quum alia nobiliora et mitiora prorsus inutilia esse compertum fuerit atque exploratum. Attamen pernicioso errore tenentur qui perfectioris institutionis studio præsidia ista materialia prorsus excludunt. Perfecta namque educationis ratio illa est quæ finem suum obtinet per subsidia *efficacia* simul et *suavia*. Jam, si media efficacia suavitate careant, vitium est solum in *modo* educationis. At, si inefficacia illa sint, eorum vitium ad finem ipsum educationis pertinet. Atqui maximum facultatis cujuspiam vitium est, quod illa finem suum non attingat. Ergo maximum institutionis vitium est, quod ea materialibus, quæ sint necessaria, subsidiis uti negligat.

836. Pos. 405ª. — Publica auctoritas nullum jus habet in *filiorum* educationem, nisi vel ad cohibendam et puniendam moralem illius corruptionem notoriam, vel ad tutandum filii adulti jus ad religionem socialem, invitis parentibus, transeuntis, vel ad impediendam involuntariam puerorum a religione sociali defectionem.

Notandum. — *Socialis religio* est quam societas seu natio, quatenus societas seu natio est, amplexa fuit et profitetur.

Prob. pos. 1ª pars. — Filiorum privata educatio naturali jure ad domesticam auctoritatem pertinet (834); est enim illa præcipuum objectum perpetuitatis matrimonii (808). Ergo, siquod superior societas jus habet in privatam filiorum educationem, hoc jus spectabit vel ad hanc dirigendam ad bonum publicum vel ad ejus vitia corrigenda, ut constat ex legibus hypotacticis societatis compositæ.

Atqui 1° ex illo priore capite nullum publica auctoritas tale jus habet. Nam quælibet recta educatio per se ipsa tendit ad bonum publicum, quod in ordine consistit. Quin imo ordo ipse postulat, ut hoc jus integrum parentibus servetur (434). Neque enim possent parentes educationem filiorum apte semper dirigere, nisi plena in hunc finem libertate uterentur. Hoc autem jus parentum est inalienabile, quia cum officio ejusdem rei faciendæ conjunctum est. Præterea, hoc idem jus tutam ac certam habet a natura ipsa exsecutionem tum ob paternam in filios charitatem tum ob assiduam filiorum cum parentibus cohabitationem, tum

denique ob absolutam filiorum ab iisdem dependentiam. Ergo nullum publicæ auctoritati jus competit in privatam filiorum educationem ut eam ad publicum bonum ordinet.

2° Positiva seu mentis seu morum corruptio, quando illa notoria est, publicæ auctoritatis tutelam sine dubio postulat ob leges hypostaticas societatis compositæ (l. VI, c. 6). At nunquam possunt parentes dici domesticæ societatis corruptores, nisi quando filios suos abstrahunt ab illo vero et illo honesto ad quæ ipsi parentes sunt obligati *socialiter*, scilicet quatenus illi sunt publicæ societatis membra. Si enim nulla parentes talis doctrinæ profitendæ vel talis legis moralis observandæ obligatione erga publicam societatem teneantur, nullum ex adverso publicæ societati jus erit ejus doctrinæ professionem aut ejus legis observationem a parentibus eorumque subditis exigendi. Atqui publica societas habet jus et officium exigendi ab omnibus suis membris observationem naturalis honestatis, quæ primum ac præcipuum est cujusvis societatis bonum. Ergo morum corruptio vel religionis socialis, cui parentes se addixerint, depravatio a parentibus in suam familiam inductæ, delicta socialia sunt, ac proinde optimo jure potest societas et jurium paternorum usu privare et positiva pœna mulctare illos parentes, quos horum criminum convicerit.

Prob. 2ª pars. — Si filius adultus religiosam doctrinam a paterna institutione haustam agnoverit esse falsam, eaque rejecta, ad veram religionem transire velit, tunc publicæ societati, veram hanc religionem profitenti, jus iterum et officium erit ejus filii adulti tuendi contra obstacula quæ illi forte a parentibus opponerentur. Etenim filius quisque, ubi ad plenum rationis usum pervenerit, jam est naturali jure arbiter internarum suarum operationum, habetque naturale jus profitendæ ejus religionis quam veram esse judicaverit (833). Ergo, si hoc jus violetur a parentibus, publica auctoritas, cujus est naturalia sociorum jura omnia tutari, potest ac debet eum filium a paterna violentia vindicare, modo publica auctoritas eam religionem cui se filius addicere vult, veram esse et ipsa profiteatur.

Prob. 3ª pars. — Si parentes jam sint voluntaria adhæsione subjecti veræ illi religioni quam publica societas quoque palam sectatur, tunc evidens est, sicut grave crimen ipsi committerent ab ea contra datam fidem deficiendo, ita majoris adhuc criminis eos reos fore, ubi filios suos in sceleris communionem involunta-

riam trahant. Ergo, si hujus facinoris notitia ad publicam auctoritatem deferatur, aderit illi jus et officium domesticæ hujus societatis inspiciendæ, privatæ educationis efficaciter corrigendæ, non solum ad juvenis adulti religiosam libertatem protegendam, sed etiam ad spiritualem infantis salutem a præsenti periculo liberandam. Prudentis namque punitionis ille ordo est, ut delicta quæ in perniciem innocentium et infirmorum cederent, opportune impediantur.

837. Coroll. 1. — Aliud est privatam filiorum educationem sibi vindicare, aliud publica solum subsidia suppeditare quæ aptam juventutis institutionem promoveant. Optime hoc secundum præstat publica societas quæque paulo excultior, collegia et athenæa, ubi artes et scientiæ a doctoribus publica auctoritate designatis tradantur, constituendo, eorumque rectæ gubernationi sollicite prospiciendo, nullam tamen inferendo parentibus vim ut in his potius scholis quam in aliis vel intra domesticos parietes filios suos ad politiores artes informari velint.

Coroll. 2. — Ubi parentes religionem socialem nunquam professi sint, publicæ societati nequaquam licere diximus erroneam filiorum institutionem impedire, etiamsi certa inde filiorum pernicies consecutura sit. Quod quidem mœstissimum dictu est. Sed justo hoc bonorum luctu et miseranda filiorum calamitate futura nequit jus proprie dictum societati publicæ in eam rem creari. Etenim, si tale jus admitteretur, jam publicæ auctoritati jus esset religionis, quam omnes socii profiteri debeant, determinandæ : quæ pessima omnium esset calamitas ut inferius ostendetur. Quum igitur civili societati non liceat parentes juribus paternis spoliare, et jus parentum sit filiorum educationi præsertim religiosæ consulere, evidens est non licere publicæ auctoritati ob quodcunque filiorum bonum eos paternæ educationi subtrahere. Quare æquissimo jure Ecclesia catholica improbavit et compescuit inconsultum eorum zelum qui ethnicis aut hebræis pueros christiano ritu baptizandos subripere audebant.

Manifestum etiam illud est, si publica societas nullam certam doctrinam religiosam, sed *indifferentismum* quemdam profiteatur, vel si, doctrinam divinitus revelatam amplexa, judicet tamen erroneam aliquorum religionem esse tolerandam, in his etiam rerum adjunctis erroneæ doctrinæ quibus forte a parentibus filii imbuantur, non erunt delictum sociale, quia nil parentes sic agendo committunt, quod socialibus suis obligationibus repugnet.

COROLL. 3. — Si parentes absint, universalis charitatis lex ad domesticam societatem applicata per cognationis vel affinitatis vincula proximos cognatos vel affines obligat, ut in munus filiorum educandorum succedant. Quare illis jura omnia ad hoc munus implendum competent. Idem de publica auctoritate dicendum est, si nullus pueri propinquus adsit.

ARTICULUS VIII.

Diluuntur objecta.

838. OBJIC. CONTRA POS. 395^{am} : — 1° Pacti violatio in essentiali aliqua conditione est legitima causa cur contractus quilibet dissolvatur. Ergo etiam matrimonium gravi alterius conjugis infidelitate. — 2° Matrimonii indissolubilitas sæpe finem ipsum conjugalis societatis perpetuo impedit; quia sæpe talis viri cum tali uxore conjunctio est perpetuo sterilis, quæ si cum alia muliere fieret, fecunda esset. Ergo illa indissolubilitas est antinaturalis. — 3° Perpetuitas vinculi conjugalis persæpe etiam debet alteri conjugum esse incitamentum maxime periculosum ad alterum conjugem perimendum; ut conjugi superstiti ad alias accedere nuptias liceat. Ergo, etc.

839. RESP. AD 1um : — DIST. ANT. Pacti violatio dissolvit contractus undecunque voluntarios, a quorum solutione nihil naturali juri contrarium sequitur, conc.; dissolvit contractus naturalem societatem inducentes, cujus solvendæ facultas juri naturali multis modis adversatur, nego ant. Quibus modis conjugalis societatis dissolvendæ facultas cum naturali jure pugnet, luculenter n. 819 explicatum est.

AD 2um : — DIST. ANT. Matrimonii perpetuitas interdum nocet fini particulari aliquorum conjugum, trans.; fini universali tum conjugalis societatis tum humanæ naturæ, nego ant. Matrimonii perpetuitatem universali humanæ speciei et proprio societatis conjugalis bono postulari omnino probatum est loco nuper citato (819). Itaque non est confundendus particularis conjugum finis cum naturæ fine universali. Conjuges nempe bonum suum privatum intendunt. At natura omnibus conjugiis honestatem, concordiam, felicem exitum afferre vult. Ad hunc naturæ finem obtinendum vidimus conjugiorum perpetuitatem esse necessariam. Ergo, etc.

Ad 3um : — Trans. Ant. Nego cons. Innumera sunt alia hujusmodi incitamenta ad scelera varii generis patranda : *v. g.*, hereditas acquirenda filios aut alios propinquos pertentat, munus lucrativum æmulos candidatos, gloria pulchri alicujus operis duos rivales, imperium duos competitores, et hujusmodi sexcenta, quæ nullum evidenter jus pariunt. Pravis nimirum hisce incitamentis necessarios obices ratio, religio, educatio, leges humanæ, propria cujusque utilitas simultanee opponunt, atque efficaciter impediunt ne humana pectora facile his tentationibus vincantur. Hæc eadem principia efficax remedium conjugi prava aliqua passione ad alterum conjugem interficiendum incitato præbebunt.

Denique, si pacate in eadem domo convivere conjuges nequeunt, sufficiet eorum separatio quoad habitationem, quæ graves ob causas rite probatas in omni publica societate permittitur.

Cæterum nulla ferme lex est cui non gravia quædam obstacula adversentur. Quum enim legis proprium sit humanam voluntatem *ligare*, voluntatis reactio adversus hanc legis vim conniti necesse est. At hæc ipsa reactio, quoniam a voluntatis pravitate oritur, clarius ostendit conjugii perpetuitatem a ratione atque ordine requiri.

Nec diffitemur tamen hujus legis observantiam a conjugibus, quantumvis honestis et probis, magnam virtutis vim postulare. Verum ea lex prorsus necessaria est; nec injustum videri potest graves leges ac difficiles tanto muneri impositas fuisse, quantum est hominis procreatio et educatio.

Quod si rationis ac liberi arbitrii vires naturales tanto oneri portando impares videantur, ut revera sunt, hoc unum inde inferre licebit, validiores a religione vires quærendas esse.

LIBER OCTAVUS.

JURIS SOCIALIS PARS TERTIA.

DE ACTIONE SOCIETATIS CIVILIS ERGA SINGULOS SOCIOS.

Jus civile.

CAPUT I.

De civilis actionis natura et proprio modo.

ARTICULUS I.

De varia societatis publicæ jam formatæ actione, deque proprio actionis civilis objecto.

840. Pos. 406ª. — Publicæ societatis jam formatæ triplex operationis genus est : civilis actio, politica et internationalis.

Explic. — Jam lib. VII, cap. I, art. 1, vidimus 1° socialem actionem esse illam quæ a sociali auctoritate vigente in societatis universæ superiore exercetur; 2° societati jus et officium esse adjuvandi in externo ordine omnia et singula individua quibus componitur, ad suam naturalem felicitatem obtinendam, tum illa protegendo in boni sui privati, suis privatis viribus proportionati, consecutione, tum illa conjungendo ad cooperandum illis bonis universalioribus quorum assecutio longe majoribus facultatibus indiget; 3° societatem publicam idcirco debere et ad commune sociorum bonum efficiendum constanter tendere et seipsam ad hoc bonum procurandum idoneam reddere. Jamvero exinde perspicua colligitur distinctio duplicis actionis socialis, videlicet actionis *civilis* et actionis *politicæ*, quarum posterior est medium ad priorem, ac proinde prior respectu alterius habet rationem *finis*.

Itaque societas, quatenus propriam suam unitatem et efficaciam conservat ac perficit, operatur in ordine politico.

At idcirco ea suam perfectionem persequitur, ut individuorum

consociatorum bonum efficere possit. Igitur politicus ordo ad civilem suapte natura dirigitur, eique subditur : et societas, quatenus unitate et efficacia sua utitur ad bonum individuorum efficiendum, operatur in ordine civili.

At societas quæque publica habet semper juxta et circa se alias publicas societates, quæ ab illa bonum vel malum accipere et eidem bonum vel malum afferre possunt. Ergo bonum individuorum in publicam societatem coactorum potest vel augeri vel minui per mutuam plurium societatum publicarum actionem. Ergo publica quæque societas, quoniam ejus finis proprius est temporale suorum membrorum bonum, etiam in iis relationibus inter plures societates publicas debet suorum utilitatibus consulere. Actio qua singulæ societates publicæ suorum membrorum bono prospiciunt in relationibus quas cum aliis publicis societatibus habent, *internationalis* vocatur.

841. Pos. 407ª. — Actionis civilis objectum, quoad civium tutelam, sunt tria sociorum jura, vitæ, fortunarum et libertatis; quoad civium perfectionem, sunt tres individualium facultatum species, corporeæ, intellectuales et morales.

PROB. 1ª PARS. — Societas quæque publica tutelam juribus individuorum debet (l. VII, c. 1, a. 1). At universa hominis cujusque individui jura ad tria præcipua reducuntur. Nam quisque in ordine externo ad hæc tria tantum habet jus : ad vivendum, ad media in hunc finem necessaria possidenda, et ad libere his mediis utendum, scilicet ad sui conservationem, ad rerum suarum dominium et ad suarum actionum independentiam. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Societas perfectionem cujusque individui augere debet eidem positive cooperando in iis omnibus quæ privatis singulorum viribus attingi nequeunt. Atqui vires hominis sunt corpus, intellectus et voluntas. Ergo societas publica cooperari debet ad vires cujusque sui membri corporeas, intellectuales et morales.

ARTICULUS II.

De proprio modo in civili actione servando.

842. Pos. 408ª. — Proprius modus in civili actione servandus consistit in omnium et singulorum sociorum viribus ad commune bonum adhibendis cum proportionali cujusque emolumento.

PROB. 1ª PARS. — Societas civilis, quatenus societas, scilicet quatenus multorum hominum unitas (425), est ens morale nullam realitatem nisi apud mentem habens. Ergo societas civilis, quatenus societas, nullas habet reales alias vires, quam quæ insunt individuis unde componitur. Ergo civilis societas non potest socialiter agere nisi per individuorum actionem. Ergo proprius et unicus modus in sociali actione servandus consistit in viribus individuorum adhibendis.

PROB. 2ª PARS. — Vires, quæcunque illæ sint, quas individua quæque in civili societate ad commune bonum exercent, sunt summa quædam fructifera : nam quælibet vis ad effectum aliquem producendum tendit. Atqui lex ordinis et justitiæ socialis, a duobus principiis abstractæ omnium hominum æqualitatis et concretæ singulorum inæqualitatis proveniens (l. IV, c. 3), postulat ut fructus retribuatur ei qui capitalem summam suppeditat, ac tantus cuique fructus reddatur, quantum capitalis summæ suppeditavit. Nisi enim id fieret, cum individuis æquali jure pollentibus inæqualiter ageretur, ut vidimus (libro 4º), et individua naturali jure libera tanquam serva haberentur, quia in aliorum utilitatem operari cogerentur. Ergo naturalis ordinis et justitiæ lex postulat, ut socialem individuorum cooperationem civilis auctoritas sic adhibeat, ut labores et sumptus in singula individua rite distribuat pro ratione fructus atque utilitatis a singulis percipiendæ, et vice versa fructum atque utilitatem pro ratione laboris et sumptuum a singulis contributorum distribuat.

843. COROLL. — Socialis igitur auctoritas, sive operam sive fortunas sive jura sive aliud quodcunque alteri utile a civibus exquirat, nunquam id exigere jure potest, nisi illud postmodum cum justa emolumenti proportione compenset.

Quanquam, si penitus res consideretur, nihil reapse ab individuis societas publica sibi arrogat, sed solummodo ad majus bonum ordinat privatarum usum virium, quæ cum minore fructu adhiberentur ab individuis singulis communes utilitates vel ignorantibus vel parum curantibus. Etenim qui totum quod accepit, et illo amplius, reddit, non est dicendus aliquid alienum sibi vindicare. Sic, *e. g.*, quo tempore publica auctoritas infirma erat, singulis dynastis castellum sibi exstruere et communire, armatos satellites conducere opus erat, ut suæ suorumque securitati consulerent. Minus tamen adhuc tuta conditione fruebantur, quam quæ nunc temporis, validiore auctoritate publica adstante,

vel levissimo domesticæ januæ præsidio adhibito, ab omnibus obtinetur.

Quamobrem fundamentalis lex civilis actionis hæc esto : Civilis auctoritas debet sic efficere ut singuli et omnes socii ad aliorum sociorum bonum cooperentur cum emolumento suæ cooperationi proportionato.

844. Pos. 409ª. — Civilis auctoritas debet quantitatem socialis cooperationis ab unoquoque cive contribuendæ determinare juxta legem jurium collisorum.

PROB. — Civilis ordo, ut ex postrema positione constat, publicum bonum efficere sine privatorum detrimento debet. Privatorum ergo jura omnia sunt illi integra servanda. Atqui vera privatorum jura sunt illa quæ validiorum collisione jurium non supprimuntur (370). Etenim hæc sola sunt potestates secundum rationem ad alienas voluntates movendas (363) ; jura vero collisa non sunt nisi quoddam hujus potestatis principium, quod jure validiore prohibetur ne ad actum suum perveniat. *Ergo*, etc.

845. COROLL. 1. — Lex jurium collisorum hæc duo fert (370, 371) ; I. Jure validiore jus infirmius supprimitur ; II. Validius illud jus est quod ad majus bonum spectat. Jam bonum honestatis majus est quam bonum vitæ, et bonum vitæ majus est bono fortunarum. Ergo, etiamsi in pari materia jus multorum juri paucorum prævaleat, nunquam tamen fieri potest, ut multorum jus ad fortunas excludat jus paucorum vel etiam unius ad honestatem vel ad vitam.

At, quando jus paucorum vel unius cum jure homogeneo multorum colliditur, evidens est unius vel paucorum jus debere juri multorum omnino cedere, quatenus illud ab hoc jure colliditur (372). Sic, quando publicum jus ad vias commercio necessarias transitum per agrum privati hominis requirit, jurium collisione utrinque in *situm* cadente, privatus municipio situm cedit ; at municipium contra illi compensat fructus ex illa agri parte percipi solitos, quia hos fructus collisio non attingit.

COROLL. 2. — Legem civilis actionis in postremis duabus positionibus explicatam deduximus ab ipsa societatis natura per universalia ordinis et justitiæ principia ; atque ex hac lege socialem civium felicitatem dimanare innuimus (843). Jam e contrario sic argumentari licet : lex illa socialem felicitatem parit : ergo debet illa esse lex naturalis ordinis et justitiæ. Quæ quidem argu-

mentandi ratio fallax est, si notio felicitatis falsa vel incompleta statuatur. At, si utilitatis et felicitatis humanæ recta idea proponatur, potest illa argumentatio a posteriori legitima esse.

Jamvero accurata illius principii jurium collisorum applicatio plurimum confert ad determinandum in quo bonum publicum situm sit. Nisi enim hoc principium firmiter retineatur, boni publici loco haberi poterit quidquid cuique libuerit. Nam bonum publicum a bono individuorum pendet, atque ad illud refertur (840). At bonum suum quisquis statuit in eo quod sibi magis arrideat. Ergo, nisi bonum singulorum civium definiatur per illud jurium collisorum principium, bonum publicum in privato suo commodo quisque collocabit. Nimirum, si jucunditates vitæ præ cæteris bonis optent qui rem publicam gerunt, bonum publicum in voluptatum abundantia consistet: si divitias malint, in commercii prosperitate; si alias atque alias regiones subigere, in bello armisque positum erit.

Hinc vero enascentur 1° infirmiorum ac pauperum oppressio: ubi enim agendi norma libido est, qui viribus et potentia præstat infirmum impune vexare et conterere potest; 2° omnium timor ac trepidatio : nam a bono publico poterit quandoque aliquorum civium pernicies postulari et facile obtineri; 3° legum contemptus atque odium : legibus namque ordinis homines etiam cum suo damno cedunt; at legali ordinis violationi vel tunc resistunt, quum ipsis ea violatio prodesset; 4° auctoritatis aspernatio, legalium interpretationum effrenis licentia, judiciorum arbitraria administratio, et alia mala innumera.

Quamobrem hoc semper memoria retinendum est, bonum publicum nihil aliud esse quam *supremum gradum, quoad ejus fieri potest, justitiæ protegentis et æquitatis promoventis bonum cujusque civis per vires omnium.*

Itaque hoc semper præ oculis auctoritas, dum communibus viribus et facultatibus utitur, habere debet, ut scilicet nullus sociorum de suis juribus deperdat nisi quod et quantum alieno jure colliditur : jus autem sic elisum jam nequit amplius illius civis jus dici. Unde fiet 1° ut nullus civis ullo suo jure *vivo* unquam privetur; 2° ut auctoritati nunquam jus competat naturalium relationum mutandarum, sed mutationis, quæ jam a natura ipsa facta sit, solummodo declarandæ ita ut hæc declaratio debeat haberi tanquam principium ad socialem unitatem servandam prorsus necessarium et obligatorium.

Ex quibus omnibus intelligitur quo sensu dicatur sæpe auctoritas *dominium transferre, jura suspendere*, etc. Quæ sane locutiones duplicem sensum, in partes contrarias longius æquo excedentem, habere possunt:

I. Posset quis existimare auctoritati licere pro arbitrio suo jura mutare; quasi humana auctoritas in leges etiam naturales aliquid posset; quod falsum est.

II. Videri potest declaratio juris ab auctoritate facta nullam habere aliam vim, quam quæ evidentiæ veritatis declaratæ inest; quod iterum a veritate alienum est, quippe quod auctoritati sociali nihil concederet quod non in privati cujuslibet doctoris juribus sit. At declaratio illa ab auctoritate emanans, quanquam, sicuti quæcunque lex, debet utique in veritate fundari, non tamen a sola rei veritate vim obligandi desumit, sed præsertim a superioris declaratione quæ idcirco dicitur *imperativa*.

Coroll. 3. Universale principium legum socialium, *Bonum commune facito*, actioni civili hactenus applicavimus. Jam facile est eidem aptare legem fundamentalem, qua in mediorum electione dirigi quisque debet. Nam, fine determinato, media quoque tum theoretica tum practica sunt hoc ipso definita.

Attamen possunt sæpe media esse subjective indeterminata. Civile igitur societatis officium est mediorum ad proprium civilis ordinis finem pertinentium perspicuam sibi notitiam comparare.

Possunt autem hæc media, ut nuper innuimus, esse vel theoretica vel practica. Nam postquam generaliter jam fuerit constitutum, *v. g.*, bonum publicum obtentum iri commercia promovendo, bonas doctrinas propagando, quærendum adhuc est quibus tandem mediis obtinendi sint hi fines secundarii, qui et ipsi sunt media respectu boni communis universe sumpti. Media theoretica in ordine civili sunt illa quæ ab externo materialis naturæ systemate suppeditantur. Media practica in eodem ordine sunt ea quæ desumuntur a propria hominis natura, quam civilis actio debet ad commune bonum efficiendum permovere. Plena utrorumque cognitio conjuncta cum efficaci voluntate boni communis procurandi, perfectum auctoritatis ordinem ad actionem socialem constituit.

Jam hinc quisque facile intelliget, socialem quamvis auctoritatem plurimum distare ab illo absoluto in re publica gerenda arbitrio, quod illi perperam a quibusdam tribuitur. Etenim illa et fini sociali et mediorum ordini tum theoretico tum practico ads-

tricta est, et omnia jura quæ ab socialibus infinitis collisionibus *viva* emergunt, observare debet; in his juribus protegendis ac promovendis debet certis quibusdam obsequi legibus secundum quas alia media utilia, alia noxia esse noscuntur; denique in his mediis adhibendis debet hominem humano modo movere, nimirum et juris atque officii vi et utilitatum invitamentis.

His socialibus officiis tam vare implexis monarcha pariter et polyarchæ obstringuntur. Utrique possunt facto ipso his officiis deesse; at jure naturali utrique iisdem alligantur. Itaque suprema auctoritas quælibet, sive monarchica sive polyarchica, *in facto* semper est absoluta; quia si quoad factum limite aliquo cohiberetur, non esset suprema; *in jure* autem nulla humana auctoritas est absoluta, quia multis legibus, ut vidimus, obnoxia est.

Coroll. 4. Socialis actionis multiplicitas illa, quam nuper indicavimus, efficit ut auctoritas publica, in communi bono procurando, uti debeat analysi quadam munerum diversorum ad illam pertinentium. Quum enim illa debeat infinita et maxime varia jura tueri et fovere, singula igitur hæc jura et singulos eorum titulos agnoscat oportet. Quumque præterea tam multa individua et variæ indolis consortia ad unam socialem actionem illi sint et rationis et utilitatis impulsibus coordinanda, necesse est eidem infinita propemodum et maxime varia subsidia ad multiplicem illum finem accommodata in promptu esse. Quam plurimæ igitur et artes et scientiæ et vires materiales tum allicientes tum coactivæ, et genere diversæ et potentia ineluctabiles, sociali auctoritati necessariæ sunt ad suum finem consequendum.

Atqui nullum humanum individuum par esse potest tot tantisque artibus, scientiis, viribus possidendis. Ergo debet socialis auctoritas individua et consortia sua in varias classes organice distribuere ita ut unaquæque classis, certo muneri cuidam specialiter addicta, in illo socialibus necessatibus congruentem et peritiam acquirere et facultatem exercere possit.

Itaque ex apta variarum functionum, per auctoritatis unitatem recompositarum, distributione socialis actionis perfectio pendet. Qua in re duo notanda sunt: 1um hanc munerum subdivisionem inter cives magis a natura, indoles et ingenia varia hominibus tribuente, quam ab humana auctoritate et industria perfici; 2um quo amplior quæque societas est, eo majorem munerum illam divisionem esse oportere; cùm sociorum namque multitudine crescit operariorum in quaque arte singulari necessitas.

CAPUT II.

De civili auctoritatis actione ad sociorum jura tuenda contra causas physicas.

ARTICULUS I.

De civili existentiæ individualis tutela adversus causas physicas constantes.

846. Notandum. — Civilis auctoritatis officium esse singulorum et omnium civium existentiam, fortunas, independentiam tueri, superius confirmavimus (841). Jam individualibus hisce bonis causæ physicæ et causæ morales nocere possunt. Ab utrisque cives suos protegere auctoritas debet. Et de oppugnandis quidem causis moralibus quæ civium bona in discrimen adducere possint, libro IX breviter disputabimus. Restat ut de physicis ejusdem generis causis propulsandis hoc libro disseramus.

847. Pos. 410ª. — Civilis tutela existentiæ individualis debet cuique socio consulere tum ad necessitates consuetas abigendas, tum ad mortis ruinas reparandas.

Explic. — Vitalem vim humani corporis sensim ac perpetuo intimum quoddam dissolutionis principium consumit; eamdem innumeræ causæ extrinsecæ undique oppugnant : unde fit ut contra mortis stimulum indesinenter urgentem, plurimis adhibitis præsidiis, omnes homines luctari assidue cogantur. Officium ergo civilis auctoritatis erit omnibus sociis, ubi singulorum cura et industria non sufficit, opem ferre et ad causas amovendas quæ periculum valetudini afferrent, et ad subsidia ad vitam sustentandam necessaria opportune comparanda. Huc pertinent, *v. g.*, annonariæ rei sollicita administratio, munditiæ in urbibus servandæ studium, paludum morbificarum exsiccatio, et hujusmodi infinita.

Quoniam autem certus quidam dies cuique homini constitutus est, quo die nec privata nec publica præsidia satis firma ad mor-

tem ab illo prohibendam erunt, idcirco diligens cura a civili auctoritate ponenda est, ut damnis quibuslibet vel periculis vel necessitatibus, quæ privatas vires excederent, publica pietas prompte amanterque consulat. Ejusmodi sunt pauperum desertorum sepultura, orphanorum educatio, testamentorum exsecutio et similia.

848. Pos. 411ª. — **Civium existentiam debet civilis auctoritas contra individualem inertiam et prodigalitatem, præsertim patrumfamilias, tueri.**

Explic. — Consuetis suis necessitatibus individuum non providet vel quia non potest vel quia non vult. De iis qui ob peculiares causas nequeunt sibi ipsi necessaria comparare, inferius agemus. Alios autem non raro in societate adesse qui sibi suisque necessaria vel quærere vel obtenta conservare negligunt, quotidiana experientia demonstrat. Sæpissime namque videmus non solum homines artibus mechanicis addictos, sed etiam alios vel liberalia munia exercentes vel solidis fortunis ex paterna hereditate instructos in tantam ignaviam delabi, ut vel per crapulam, lusum, libidines consumant brevi tempore quidquid rei possident, vel paternas opes dilabi huc illuc patiantur. Hinc vero miserrimorum hominum mœror et desperatio; hinc furta, latrocinia, suicidia; hinc honestissimarum familiarum luctus, dedecus, fames, depravatio; hinc in domestica societate querimoniæ, discordiæ, rixæ latissime erumpunt.

Atqui funestissimam illam pestem et innumeras ac luctuosissimas inde oriri solitas calamitates impedire, præsertim in patribusfamilias, debet ex legibus hypotacticis societatis compositæ auctoritas civilis (742). Ergo, etc.

849. Coroll. — Inertia illa et socordia nonnullorum in necessariis ad vitam sibi vel comparandis vel conservandis oritur ex eo quod vel futura indigentia ab illis non prævideatur, vel aliunde se posse sperent suis necessitatibus consulere. Civitatis itaque bene constitutæ erit efficere ut duplex ista tantarum ærumnarum causa tollatur, curando solerter ut civis quisque suas suarumque necessitates prævideat tempestive, illisque impigre per se ipse prospiciat. Quod pendet maxime haud dubie ab idonea puerorum institutione, qua illi ad diligentiam, solertiam, honestatem ac religionem formantur.

850. Pos. 412ª. — **Civilis auctoritas jure potest ac debet individualem civium luxum immodicum reprimere.**

Notandum. — Luxus nomine significamus sumptus per ostentationem factos in iis quæ ad honestam sui conservationem pertinent.

Prob. pos. — Civilis auctoritas jure potest ac debet profecto reprimere externos illos actus qui et sociorum officio individuali et publico societatis bono adversantur. Atqui luxus immoderatus est individuorum simul et societatis malum externum.

Nam 1° finis individualis a natura fortunis opibusque omnibus materialibus præfixus non alius est quam corporis sustentatio, ejusque sanitas et robur. Atqui cultus ille corporis immodice sumptuosus vires et corporis et mentis atterit, valetudinem sensim absumit, fortunas brevi exhaurit.

2° Finis socialis sumptuum ad corporis cultum spectantium est *decorum* sive externa decentia. In publica namque societate diversitas et disparitas civilium conditionum et classium omnino necessariæ sunt (845, cor. 4). Ergo necessaria etiam sunt diversæ rationes obtinendi particularem cujusque conditionis finem civilem, diversa vitæ plus aut minus duræ ac rudis genera, diversi honorum externorum gradus, diversa insignia. Miles nimirum nequit iisdem vestibus ac magistratus indui, nec magistratus loricam et galeam ferre potest; qui liberalibus studiis est deditus, non potest eodem cibo uti quo fabri et messores vescuntur; his vero nutriendis delicatiora alimenta essent incongrua; molles ac pretiosæ vestes locupletem ac nobilem matronam non dedecent, plebeiæ mulieri non conveniunt. Ipsa igitur civilis societatis essentia efficitur ut multiplex in ea victus et cultus externi diversitas esse debeat, quum conditionum civilium disparitas magnam quoque propensionum et necessitatum diversitatem pariat.

Jamvero quod propriam cujusque hominis conditionem decet, illud est *decentia :* quod hanc decentiam excedit, est luxus immoderatus. Socialis autem ordo postulat ut civilis decentia constanter servetur. Ergo, etc.

3° Luxus immodicus cum sociali honestate et charitate pugnat, tum quia prodigus iste suis suorumque necessitatibus futuris et infortuniis, quæ repente præter opinionem accidere possunt, non providet; tum quia ineptum sese ad pauperum ærumnas sublevandas efficit sine rationabili causa; tum quia publicæ intemperantiæ et superbiæ exempla præbet. Ergo, etc.

851. **Coroll.** — Inter media quæ a civili auctoritate adhiberi

possunt ac debent ad luxum coercendum, religio sane efficacissimum et suavissimum omnium est. Hæc enim voluptatis horrorem, fastus contemptum, officiorum inviolabile studium docens et leniter in animos insinuans, radices ipsas luxus convellit prudentemque parcimoniam in familias adducit. Itaque religio unica sumptuaria lex utilis futura semper esse visa est : humanas enim ejusmodi leges prorsus inutiles omni tempore fuisse ad luxum cohibendum, ad morum corruptionem impediendam, ad familiarum perniciem avertendam, historiæ omnium populorum testantur.

Cæterum, ubi vis religionis jam animos teneat, humanæ prudentiæ decreta utique profutura sunt, ex quibus canones hi quatuor œconomici præcipui ducuntur :

I. Præferendi sunt semper sumptus qui realibus satisfaciant necessitatibus, cujusmodi sunt *vita, sanitas, beneficentia*. Quare commoditas splendori, solida linteamina tæniolis textisque perlucidis, cibi succosi embammatibus et cupediis, amplæ et firmæ domus magnificis palatiis, viæ necessariæ superfluis anteponenda sunt.

II. Præponendi sumptus in res stabiles et in merces optimæ conditionis facti. Convivia nempe, spectacula, lusus paucis horis ingentes fortunas absumunt, quæ stabilem utilitatem attulissent. Deteriores vero merces, re probe perpensa, quum multo minoris usus sint, majoris demum quam bonæ constant.

III. Optandi sumptus communiter cum aliis pluribus facti. Hinc oritur societatum domesticarum, militarium, religiosarum œconomia. Idem coquus atque idem ignis alimenta viginti hominibus æque ac decem parant.

IV. Potiore semper loco habendi sumptus qui ex moralis honestatis legibus fiant. Quidquid enim ad vitia insumitur, quum rationis ac felicitatis ordini adversetur, multa incommoda et exitium denique et individuis et societati parit.

852. Pos. 413ª. — Debet civilis societas pauperum suorum, qui in magna quavis civitate semper adesse possunt, existentiæ consulere.

NOTANDUM. — Pauper dicitur quisquis, etsi maxime velit, sufficientia ad congruum victum et vestitum sibi comparare nequit. Duplex autem est positionis pars. Etenim 1° contra nonnullos qui negant, præter ægrotos et membro aliquo præcipuo captos, ullos esse veros pauperes agnoscendos, asserimus præter illos in

magna quavis societate veros alios pauperes adesse posse; 2° his pauperibus civilem societatem docemus consulere oportere.

PROB. POS. 1ª PARS. — Vel levissima civilis societatis observatio demonstrat multos esse homines quorum quotidianus labor et industria ad eorum victum, vestitum et domum comparanda vix sufficiens sit. Jam, si talibus individuis filii nascantur; si ab incendio, si ab exundatione fluminis, vastatis eorum domibus, ipsi evaserint; si annonæ charitas magna intervenerit; si in violenti exactoris aut feneratoris manus inciderint; si lite aliqua vexentur; si opera quotidiana, qua una vitam sustentant, illis desit, evidens est impares illos omnino fore necessariis ad vitam utcunque agendam sibi comparandis. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Civilis societas debet omnia jura individualia tueri ut ostensum est superius (841). Atqui singuli pauperes habent jus ad suam suorumque vitam sustentandam : hoc enim, quod natura cuique tribuit, nullo crimine amiserunt. *Ergo*, etc.

853. COROLL. — Debet societas pauperum vitæ consulere eorum individualia jura tuendo. Ergo debet 1° pauperibus faciliorem exhibere modum sua jura vindicandi per civicas leges et civica præsidia peculiaria et per judiciorum formas expeditiores et æquissimas. 2° Divitum misericordiam et liberalitatem fovere debet. Quam in rem, necesse est liberam plane iisdem facultatem concedere suas opes pauperibus distribuendi. Si enim vel immodica illis tributa imponantur, vel eorum largitiones a pio fine ad quem fuerant destinatæ, distrahantur, omnis ratio misericordiæ erga pauperes exercendæ divitibus præripietur. 3° Faciles instituat modos oportet cognoscendi qui vere pauperes sunt eosque a falsis pauperibus discernendi. Hac in re apud catholicos utilissima est parochorum opera. Hi namque, miserrima quæque tuguria quotidie subeuntes, veram per se ipsi paupertatem inspiciunt. 4° Publicis operibus debet pauperibus validis laboris et lucri occasionem suppeditare, et debiliores quosque in publica hospitia recipere.

854. POS. 414ª. — Potest jure ac debet civilis auctoritas falsos pauperes mendicantes coacta detentione mulctare; at nequaquam licet eadem pœna veros pauperes mendicantes afficere.

PROB. 1ª PARS. — Mendicare est sociale delictum, quoties is qui mendicat, potest vel suo labore vel aliunde necessaria ad vitam sibi comparare. Etenim 1°, per fictos ejusmodi pauperes cres-

cento mendicantium numero, quin crescant simul privatorum fortunæ, veri pauperes fraudantur subsidio quod his unis misericordia divitum destinabat.

2° Falsorum pauperum mendicatio est publica fraus et deceptio. Ergo illa et publicam punitionem meretur, et idoneo aliquo modo in posterum est coercenda. Uterque autem iste finis coacta detentione obtinetur. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Coacta in publicis hospitiis detentio est vera punitio : est enim privatio libertatis, boni videlicet maximi et juris præcipui. Atqui neminem sociali auctoritati punire licet nisi ob sociale delictum : veri autem pauperis mendicatio nullum delictum est. Nam quicunque vel occasionem operandi nullam inveniat, vel suo labore nequeat sibi suisque sufficientia lucrari, jus naturale habet opis ab aliis civibus petendæ quovis modo innoxio. Ergo, etc.

855. COROLL. 1. — Ubi divites delicatiores fastidiant questus et pannos mendicantium, possunt illi facile istorum mendicationem de medio tollere tum mercedem pauperibus laborantibus augendo, tum piis societatibus et hospitiis efficaciter opitulando, ita ut hæc veris pauperibus certa subsidia sine libertatis detrimento suppeditare possint.

COROLL. 2. — Cautelæ quas civilis auctoritas adhibet ad annonæ constantem abundantiam obtinendam, constituunt illud quod regimen annonarium seu *politia annonaria* vocatur. Illius regulas particulares docere non ad Jus naturale sed ad *Œconomiam politicam* pertinet. Hujus igitur est decernere, *v. g.*, utrum liberis commerciis an legalibus coercitionibus melius possit annonæ copia in tuto poni.

In ejusmodi tamen controversiis duo principia a morali scientia inculcanda sunt : I. Socialis auctoritas debet illas cautelas anteponere quæ tutiorem annonam efficiant et simul minores libertatis limitationes affert.

II. Quare, si vera esset eorum doctrina qui commerciorum libertate annonæ abundantiam tutiorem fieri existimant, illicita esset legalis commerciorum coercitio.

COROLL. 3. — Ex his duobus principiis intelligitur etiam quandonam possit a publica auctoritate vel exerceri vel permitti mercatura illa exclusiva, quæ dicitur *monopolium*, et quandonam concedi facultates *privativæ* possint. Etenim moralibus iisdem principiis in ejusmodi re insistendum est; quæ principia illo uno

continentur : *Salus populi suprema lex*. At vero quoniam hæc privilegia limites libertati semper ponunt, debet illa exposcere jus aliquod fortius, quo jus libertatis elidatur.

Huc pertinent jura illorum qui novas artes ad publicam utilitatem invenerint. Hi namque, postquam multo tempore, multo labore ac multis sæpe sumptibus eas tandem invenerunt, non possunt profecto sine manifesta injustitia inventionis illius fructibus privari. Societas etiam universa non levi damno afficeretur, si hæc privilegia negaret. Stimulus namque ad novas excogitandas et comperiendas artes omnino deficeret.

ARTICULUS II.

De civili tutela individualis existentiæ contra causas physicas fortuitas.

856. Notandum. — Sive causæ humanam vitam oppugnantes sint consuetæ sive fortuitæ, civilis tutelæ officium ab eodem principio nascitur et ad eumdem finem spectat. Inde fit, ut quæ de causis constantibus in postremo articulo disseruimus, ad causas etiam fortuitas maxima ex parte applicanda sint. Duo tantum hic peculiaria de posteriore hoc causarum genere addenda sunt, alterum ad civilis auctoritatis officia, alterum ad media adhibenda pertinens.

857. Pos. 415ª. — Individualem cujusque civis existentiam contra causas physicas fortuitas tueri magis ad civilem societatem quam ad unumquemque socium per se pertinet.

Prob. — 1° Ille præcipue debet præsidia contra casus fortuitos parare, qui magis est his casibus periculosis expositus. Atqui societas civilis universa est haud dubie iis casibus exposita : at nullum determinate individuum iisdem certe obnoxium est. Nimirum causæ fortuitæ civium vitam in discrimen adducentes sunt pene omnino, ut ita dicam, *sociales*. Etenim solum de societate civili universa certum est eam debere aliquando contra has causas luctari. Singula vero individua rationabiliter sperare possunt nunquam se in hos casus periculosos esse deventuros. Hi namque casus et rari sunt et inopinati, et multi sunt cives qui totum vitæ suæ curriculum emetiuntur quin unquam vel incendium vel naufragium vel prælium aliquod vel obsidionem patiantur aut videant. At publica societas, cujus vita perpetua est, et quæ, ampla

terrarum spatia occupans, cum omnibus mundi physici et mundi moralis elementis colluctari debet, necessario quoad aliquam sui partem labetur identidem in eos casus quos respectu individuorum fortuitos dicimus. Ergo, etc.

2° Singula individua carent facultatibus ad fortuita illa pericula avertenda sufficientibus, quæ facultates civili societati utique suppetunt ad ea plerumque aut prohibenda aut minuenda. Ingentes namque pecuniæ summas postulant eæ cautelæ contra incendia, contra naufragia, contra belli casus, contra pestilentias aeris et mercium et alia hujusmodi. Ergo, etc.

858. COROLL. 1. — Individua civiliter consociata, tum periculi metu excitata, tum impotentia singulorum commota, accidentales sive incompletas (479) associationes sæpe instituunt ad communem tutelam contra peculiare aliquod fortuitum periculum. Quæ *tutelares* societates sunt sine dubio utilissimæ, quia civilem auctoritatem multis expediunt curis, quibus illæ et efficacius et opportunius satisfacere possunt. Efficacius quidem, quia illarum industria et conatus, ad unum quemdam finem limitata, validiora sunt : opportunius autem, quia consiliorum actionumque opportunitas ab individualibus potius quam ab universalibus cognitionibus pendet.

COROLL. 2. — Quanquam hi privatorum conatus plurimum juvant ad eorum malorum fortuito irrumpentium effectus compescendos aut saltem resarciendos, attamen illi nequeunt impedire ne omnino accidant. Quare civilis societatis est earum incompletarum societatum solertiæ opitulari, majoribus quibusdam præsidiis ad ea mala propulsanda adjectis. Quod quidem illa facit multis et variis operibus atque institutis, quorum consideratio a morali scientia prorsus aliena est; aggeres nimirum seu fluminibus seu mari opponendo, canales contra telluris ariditatem et ad faciles commeatus fodiendo, custodes contra incendia statuendo, magistratus *sanitarios* contra pestem creando cum innumeris aliis subsidiis et cautionibus, quæ recensere omnia *Statisticæ* munus est.

859. POS. 416a. — Socialis auctoritas debet associationes contra fortuita mala tutelares protegere, promovere ac dirigere.

PROB. 1a PARS. — 1° Hæ associationes optime consentiunt cum primo sociali principio, *Bonum commune facito*. — 2° Eædem sunt socialis unitatis, cui potissimum commune bonum innititur, utilissimum vinculum. — 3° Hæc consortia plane satisfaciunt

juri, quod singulis civibus competit, auxilii in suis infortuniis a civili societate obtinendi. — 4° Eæ societates sunt aptissimum medium ad civilem auctoritatem in procurando communi bono adjuvandam. Ergo debet civilis auctoritas easdem protegere ac promovere.

PROB. 2ª PARS. — Associationes istæ accidentales, ob ipsam suam vim et efficaciam, possunt publicæ societati, ad cujus bonum essentialiter sunt subordinatæ, fieri periculosæ. Etenim, a proprio suo fine deflectentes, possunt illæ suis uti viribus et facultatibus ad civilem aut politicum ordinem turbandum et labefactandum. Ergo publicæ auctoritatis officium est in ea consortia invigilare, apteque illa, quoties opus fuerit, ad rectum tramitem reducere.

860. COROLL. 1. — Quoniam publica auctoritas potest jure ac debet societates ejusmodi incompletas apte dirigere, perspicuum est iis consortiis nequaquam licere tanto secreto se circumvallare ut illius auctoritatis vigilantiam effugiant. Quare diligenter discernandum est *jus liberæ associationis*, quod populares quædam politici regiminis formæ indiscriminatim concedunt, *a jure secreta conventicula adeundi*, quod cum ordinati cujuslibet regiminis natura ipsa pugnat.

Itaque particulares illæ associationes ita formari ac disponi debent, ut, proprium suum finem persequentes, publico tamen fini semper subserviant. At, præter illa quæ publico bono necessaria sunt, nihil aliud exigere ab iis consortiis civilis societas potest quàm fidelitatem in iis præstandis quæ in sua constitutione promiserunt.

COROLL. 2. — Horum consortiorum fidelitas consistit in subsidiis pacto promissis exhibendis ei qui vere illis indigeat et ad illa jus habeat. Multorum scilicet nequitia his quoque consortiis tutelaribus facile abuteretur, nisi illorum officia certis et perspicius essent definita legibus per quas damna resarcienda rite æstimari possent. Sic, *v. g.*, in suo tugurio socius aliquis posset incendium de industria excitare, si tantam compensationem speraret, quæ ad palatium sibi exstruendum sufficeret.

Quapropter justa proportio servanda est inter damni certitudinem, ejus casualitatem, sociorum tributa, eorum numerum et totius consortii vires.

ARTICULUS III.

De civili individuorum tutela contra mortis effectus.

861. Notandum. — Quid possit ac debeat civilis societas efficere ad individualem existentiam contra mortis pericula sive constantia sive fortuita præmuniendam, in postremis duobus articulis explicatum est. At, postquam mortis falce individuum aliquod jam fuerit excisum, triplici erga illum officio civilis societas obstringitur : 1° Debet illius inanimum corpus ac sepulcrum protegere; 2° Debet jura illius et officia in iis qui mortuo succedunt, tueri; 3° Debet domestico consortio, cui forte ille præerat, peculiari modo, si opus sit, prospicere. Nisi enim civilis auctoritas sollicite caverit, facile usuveniet ut mortui civis ossa et jura et familia superstes, ejus præsidio orbata, ab scelesto quopiam homine violentur.

862. Pos. 417ª. — Corporeis cujusque civis demortui reliquiis earumque sepulcro honorem ac tutelam perpetuam civilis societas debet.

Prob. — 1° Humanum corpus est opus Dei præclarum; animum humanum, qui divinæ ipsius naturæ præstantissima imago est, socium habet cum eoque arctissime in unicam personam conjungitur. Itaque, ubi animus illud deseruerit, pars tamen fuit corpus humani compositi, ac proinde actionum moralium ab animo profectarum particeps, et dignum aliqua parte honoris qui animo debetur.

2° Humanus animus est immortalis, et ad illum pertinet demortuum corpus, quicum olim in terris versatus est. Ergo ille jus habet impediendi, ne suo corpori, quamvis separato injuria ulla inferatur. Atqui non potest id per se ipse efficere. Ergo civili societati officium ejus rei curandæ incumbit. Civilis namque societas tenetur jura cujusque socii custodire tum maxime, quum ille sui tuendi juris impotens omnino est.

3° Publici honores, quibus civium vita functorum sepulturam civilis societas prosequitur multum conferunt ad certo cognoscendum an is qui sepeliendus est, revera sit mortuus : cujus facti cognitio magni omnium refert, tum nequis vivus tumulo obruatur, tum ut ad necem, qua quis fortàsse confectus est a latrone, detegendam, tum denique ob relationum socialium mu-

tationes, quas hominis cujusque mors in multis superstitibus parit.

4° Iidem solemnes ritus, quibus demortua corpora sepulturæ mandantur, memoriam futuræ mortis apud vivorum animos refricando, æternique vel præmii vel supplicii cogitationem inculcando, ad vitam in præsenti honeste agendam vehementer excitant. Ergo, etc.

863. Coroll. — Hæ aliæque similes rationes ostendunt mortuorum hominum corpora voracitati bestiarum ac tempestatum injuriis a societatibus domestica et civili subtrahenda esse, atque illa etiam ab hostibus in ipso pugnæ loco misericorditer et honorifice tractanda esse. Quocirca vel apud barbaras gentes mortuorum ossa et sepulcra magno semper in honore sunt habita, atque ob nullum crimen, nisi ob teterrima quædam delicta, esse quempiam sepultura privandum semper ab omnibus populis judicatum est.

Jam antequam dicamus de tutela quam mortuorum juribus et officiis respectu superstitum civilis auctoritas debet, inquirendum est quænam hæc jura sint atque officia.

864. Pos. 418[a]. — Jura dominii, quæ ad mortuum quemlibet hominem pertinebant, per hujus mortem ad ejusdem familiam lege naturali transeunt.

Prob. — Jus quodcunque dominii individualis per domini mortem procul dubio cessat. Ejus enim radix, quæ est jus et officium corporis sustentandi, ob domini mortem perit. Ergo si aliorum hominum jus nullum in ea bona superesset, mortuo domino, ejus fortunæ omnes vel ad primum occupantem vel ad civilem societatem transire debent. At, jure individuali sublato, superest tamen sociale jus quod propinqui in mortui civis fortunas habent.

Etenim, quum societas quælibet sit plurium conspiratio ad commune bonum per communem mediorum externorum usum, societati domesticæ est jus quoddam in externa omnia bona singulorum de illa familia, quod superius vocavimus *jus eminens* (l. vii). Ergo, si individuum plane solitarium, id est cognatis carens, atque ab omni societate publica independens, moriatur, tunc morte utique abrumpitur ac dissolvitur omne dominium quod solitario illi homini competeret. At, si demortuum individuum in certa quadam familia, tanquam naturale illius membrum, erat, quoniam cætera ejusdem familiæ membra jus habe-

bant fruendi illius bonis, dum viveret, ob eminens illud dominium domesticæ societati universæ competens, ubi unum illud familiæ membrum ex hac vita cesserit, nequaquam ejus bona domino carent : restat namque familia, quæ semper eadem, abeuntibus vicissim atque accedentibus aliquibus membris, permanet. Unde fit, ut quamvis in ordine individuali fiat saltu quodam dominii mutatio, in ordine tamen domestico idem bonorum dominium perpetuo perseveret.

Atqui unitas domesticæ societatis, quæ unitas est principium et communionis bonorum et successionis in jura socii demortui, et naturalis est, et multo propius quam alia quævis societas ad individualem, scilicet perfectam, unitatem accedit. Ergo etiam hoc jus successionis in jura propinqui demortui de eadem familia, prorsus naturale est.

865. Pos. 419ª. — Omne jus successorium ab sociali unitate provenit.

Prob. — Si individuum demortuum, naturali familia carens, voluntariæ tamen alicujus societatis domesticæ completæ, dum viveret, membrum fuit, sicut minus urgentia illius officia sunt erga illam societatem, ita minus etiam firma sunt ejusdem jura in bona illa socialia. Attamen quæ nuper diximus de jure successorio in societate domestica, veritatem quoque habent ubi eadem argumentatio voluntariæ societati ejusmodi applicetur. Idipsum etiam de publica societate affirmandum est. Scilicet completa quævis ejusmodi associatio *jus* illud *eminens* in singulorum sociorum bona societati universæ suapte natura tribuit : ex quo jure eminenti nuper vidimus jus successorium emergere. Et vicissim, nisi ante domini illius mortem ulla completæ societatis conjunctio cum aliis quibusdam hominibus intercesserit, nullum hi jus successorium peculiare in demortui bona obtinere poterunt; quia nullum jus peculiare in hæc bona ante illius hominis mortem habuissent, neque ullum tale jus peculiare iis affert illius hominis mors.

Ergo socialis unitas est fundamentum et principium omnis juris successorii, sicut est fundamentum et principium omnis juris et officii socialis. Itaque ex eodem principio successio domestica et successio publica proveniunt; et successio universe est potius continuatio dominii, quam ejus translatio.

866. Coroll. 1. — Hoc idem socialis unitatis principium respectu juris successorii multis variisque modis ob jurium persona-

lium varietatem et collisionem in re ipsa applicandum est. Domestica nimirum associatio naturalis quodcunque aliud vinculum longe superat, atque idcirco cujusvis alius societatis jus successorium elidit et actione privat.

At vero quærendum hic statim occurrit an jus publicæ societatis successorium consimili aliarum domesticarum associationum juri cedere debeat; item in domestica ipsa naturali societate an jus filiorum prævaleat juri uxoris aut fratrum aut cognatorum ascendentium et hujusmodi aliorum.

Quæ jura ut in variis collisionibus juste definiantur, hæc duo principia simul adhibenda sunt: I. Jus illius successorium prævalet, qui cum demortuo majorem substantiæ, cogitationum, affectuum et actionum communionem atque unitatem habebat; II. Jus successorium illius prævalet a quo magis pendet perpetuitas illius esse cujus propagatio est præcipuus finis juris successorii.

Ex duobus hisce principiis valor jurium ejusmodi respectivus judicandus est. Sic, *v. g.*, si quæratur an in paterna bona succedere filium oporteat potius quam filiam, observandum erit unitatem utriusque cum patre parem esse, at patris perpetuitatem magis per filium servari, ac proinde posse plus aliquid filio ex bonis paternis attribui. Item, si quæratur utrum in jure successorio uxor filiis anteponenda sit, notandum erit unitatem actionis uxori cum viro majorem esse, at in filiis esse majorem unitatem substantiæ. Unde intelligetur usufructum uxori, dominium paternorum bonorum filiis convenire. Denique, si quæratur utrum amico validius competat jus in demortui bona quam publicæ societati, satis erit considerare unitatem amici cum amico totam esse *mentalem* et *affectivam*, socialem autem unitatem esse realem, externam, realibus necessitatibus fundatam, et idcirco societatem esse præferendam.

Coroll. 2. — Familia quæ hactenus a nobis spectata est ut merum consortium ordinis civilis, potest quandoque esse essentialis pars politicæ constitutionis. Hujusmodi erant tribus apud Judæos, familiæ patritiæ apud Romanos, familiæ senatoriæ apud Venetos et Januenses, familiæ nobiles in tota pene Europa sub regimine feudali. Jamvero in peculiaribus hisce rerum adjunctis conservatio talium familiarum est ipsa formæ et organismi socialium conservatio. Quare in societatibus sic constitutis jurium successoriorum valor et ordo plurimum immutari necesse fuit ob

commune bonum, quod ab earam familiarum bono magnopere pendebat. Sic apud Judæos unius tribus exstinctio præcipuas spes totius gentis ac religionis ipsius in discrimen vocasset, atque in regimine feudali eversio unius nobilis familiæ regiam potestatem uno e firmis suis præsidiis privabat. Mirum ergo non est singularibus quibusdam legibus jura successoria apud Judæos et in feudalibus regnis determinata fuisse.

867. Poss. 420ª. — Civilis auctoritas perpetuam successionibus hereditariis tutelam debet.

Prob. — Jus successorium pertinet ad jus dominii *deutarchicum*, scilicet quo consortium civili societati subditum pollet, ut nuper probatum est nn. 864, 865. Hoc autem jus non est transitorium, sed constans et natura sua perpetuum sicut ipsa familia perpetua est. Atqui societas *protarchica* omni juri consortiorum quæ illi subsunt, tutelam debet (l. vi). Ergo, etc.

868. Pos. 421ª. — Civilis societas tutelam debet successionibus testamentariis, etiam carentibus acceptatione quæ testantis mortem præcesserit.

Prob. 1ª pars. — Quandiu quisque vivit, evidens est posse illum de suis bonis libere disponere, illa, prout libuerit, alienando solum pro suæ mortis tempore, salvis tamen alienis juribus, *v. g.*, sustentationis filiis necessariæ, æris alieni solvendi, sumptuum ad sepulturam factorum, et aliorum hujusmodi. Ergo societas debet hoc jus cujusque individui efficaciter tueri.

Prob. 2ª pars. — Alienationis validitas requirit acceptationem illius ad quem bona alienata transire debent (l. vii, c. 9); acceptatio autem, absolute loquendo, supponit cognitionem alienationis et omnium conditionum quæ illi adjectæ sint. Atqui cognitio testamentariarum cautionum ante mortem testantis multa et gravissima pericula ipsi testanti, discordias et odia inter propinquos gigneret. Nam 1° talis cognitio ad iram et indignationem excitaret omnes illos quorum cupiditati non satisfaceret. 2° Eadem in iis qui heredes testamento designati sunt, inflammaret vehemens studium fruendi quam primum bonis testatoris; quo studio incitarentur sane ad insidias illius vitæ struendas. Est tamen cuique jus sua bona libere alienandi, ut in 1ª parte hujus pos. vidimus. Ergo et publica honestas, vetans ulla vigere in hominum societate institutum, quod suapte natura ad crimen aliquod committendum excitet, et tutela quam vitæ ac cæteris juribus cujusque socii civilis auctoritas debet, postulant omnino ut hæc auctoritas exci-

piat, authenticas declaret, suaque potestate confirmet donationes omnes et cautiones testamentarias, etiamsi earum acceptatio mortem testatoris minime præcesserit.

869. Coroll. — Naturalis igitur in bona civium mortuorum successio potest quidem, ipso jure naturali, mutari saltem ex aliqua parte per positivam alienationem et acceptationem inter vivos, at non item ex eodem jure per posthumam voluntatis declarationem. Hoc enim alterum non fit nisi per legem positivam qua publica auctoritas ratas habet confirmatque illas dispositiones ultimæ voluntatis, antequam illæ sint acceptatæ. Quare, extra publicam societatem, nec ulla dominii translatio posthuma, neque jus ullum aliud ultimarum voluntatum quæ ante mortem testantis non fuerint acceptatæ, minime consisterent : hæc enim duo legibus positivis nituntur.

CAPUT III.

De civili sociorum perfectione quoad eorum vires intellectuales procuranda.

ARTICULUS I.

De officio ulterius semper sui perficiendæ, quod civili societati incumbit.

870. Notandum. — Gravis ac perutilis quæstio circa humanam perfectibilitatem statim occurrit, num scilicet civilis societas debeat semper ulterius in majore sibi perfectione comparanda progredi, an vero in aliquo gradu tandem illi consistere liceat. Qua in controversia æstus passionum contrariarum effecit, ut qui socialem ordinem evertere ad homines magis perficiendos nollet, tanquam hostis humanæ perfectionis haberetur, qui vero humanam societatem utiliter atque ordinate progredi vellet, accusaretur tanquam societati publicæ periculosus. Accurata igitur in re tam difficilis aleæ præmittenda terminorum explicatio est.

Societatis cujuslibet perfectio *essentialis* est ordo moralis ; perfectio *accidentalis* ad alios duos ordines, intellectualem et ma-

terialem, spectat. Qui quidem bini ordines posteriores habent aliquando quod ad moralem perfectionem pertineat, scilicet quum illud communi bono est necessarium. Sic, *v. g.*, ubi sociali auctoritati compertum sit quanti ad communem salutem intersit naves mercesque a longinquis ac peste laborantibus regionibus adventantes observari diligenter atque a publico arceri, moralis culpa erit has cautelas negligere, quamvis nullus earum apud antiquos populos usus fuerit.

Attamen major hæc materialium artium evolutio nequaquam est moralis ipsius incrementum perfectionis, quæ tota consistit in perfecta actionis ad ultimum hominis finem directione, neque materiam circa quam versatur hæc directio, considerat : eo fere modo quo perfectior dici nequit justitia debitoris qui centum solvit, quum centum deberet, quam justitia alterius qui solvit quinque tantum, quia quinque solum debebat. Sic societatis perfectio moralis eadem erit, quoties eodem studio omnibus suis officiis, quæ sibi nota fuerint, ea satisfacit : quod enim ignorat, socialis auctoritas nec sibi nec societati debet.

Qui indefinito societatis progressui favent, *progressistæ,* qui eidem progressui indefinito adversantur, *antiprogressistæ* vocari solent.

871. Pos. 422ª. — Societas debet in majore sui ipsius perfectione sibi comparanda semper ulterius progredi.

PROB. — In triplici motu intellectuali, voluntario et materiali, quem habet natura humana, adest naturalis impulsus ad perfectionem majorem indefinite acquirendam; quæ major perfectio nequit extra societatem acquiri.

I. Adest in natura humana impulsus ad perfectionem indefinitam. Etenim 1° intelligentia semper potest novum idearum ordinem complecti; et, in nova hæc elementa magis complexa operando, ad alias atque alias veritates potest assurgere. Sic in primis orationis rudimentis ediscendis intelligentia evolvitur transeundo a litteris ad syllabas, ad verba, ad phrases, etc.; et in elementis matheseos summas et subtractiones contrahit in multiplicationes ac divisiones; tum numericos valores ad universales formulas per signa algebrica evehit, etc.; et in metaphysicis contemplationibus ideas complicat in judicia et in ratiocinia, in theorias partiales et in systemata generalia.

2° Hæc perfectibilitas motus intellectualis debet necessario etiam motum voluntatis, quatenus illa a puro ordine morali se-

jungi potest, perfectibilem efficere. Quum enim ars quædam movendi humanas voluntates, quæ *politica* dici solet, sine dubio existat, quumque ad hanc artem applicari possit intelligentia viribus suis indefinite perfectibilibus instructa, evidens est nullos assignari posse limites efficaciæ, qua hæc ars assensum plus aut minus spontaneum a sociorum voluntatibus obtinere potest. Et vero, si hodierna nostrorum exercituum disciplina cum tumultuaria barbarorum militia, si civitatum hodiernarum *politia* cum turbulenta aliorum temporum agitatione, si severissimæ rationum in nostris administrationibus inspectiones cum veterum bona fide comparentur, facile quisquis intelliget, quam longe civilis industria progressa sit in humanis voluntatibus, vel invitis, ad ordinem servandum compellendis. Jamvero unoquoque sæculo possunt utique novæ observationes fieri, novæ viæ tentari, novæ artes tutiores ac breviores inveniri ad humanas voluntates permovendas. Ergo intelligentiæ perfectibilitas in motum quoque voluntatis redundat, efficitque ut perfectius semper aliquorum voluntas moderetur cæterorum voluntates.

3° Eadem illa mentis humanæ perfectibilitas indefinita multo magis sese in physicis hominis viribus prodit. Eas enim mechanica, et scientia et ars, auget perpetuo, atque augere indefinite potest, quod et theoria pariter et factum ipsum evidenter ostendunt : theoria quidem, quæ humani ingenii indefinitam vim, et materiæ aptitudinem ad omnes humani ingenii impulsus accipiendos statuit : factum vero, quod, vel ultimis solum quinquaginta annis, infinitos in artibus omnibus progressus per electricitatis et vaporis aquei vires obtentos demonstrat. Ergo etiam in ordine materiali habet natura humana impulsum ad perfectionem indefinitam.

II. Impulsus iste non potest extra societatem objectum suum assequi, nimirum hominis perfectio a sociali vita prorsus dependet. Quod jam probatum luculenter est lib. IV, cap. III, art. IV, et manifesta experientia ostenditur. Quisquis enim videt quanta amplitudo intellectui, quanta efficacia voluntati, quantus impetus viribus hominis ex compacta cum aliis hominibus associatione accedat; quantopere cognitionum copia quam singuli homines acquirere possunt, ab cognitionibus omnium cæterorum, qui et antea vixerint et simul vivant, dependeat. Quod enim scientiæ quisque per se solus adipisci potest, minimum quid est præ scientia et artibus, quas omnium hominum per-

petua per omnes ætates cooperatio adepta est. Itaque humanæ scientiæ perfectio non est aliud quam summa cognitionum permodicarum, a singulis hominibus, temporum processu, acquisitarum, et in unum per humanam associationem collatarum; atque illa est socialis potius quam individualis hæreditas. Ergo impulsus ille naturalis effectum suum obtinere nisi in societate et per societatem nequit. Ergo, quoniam naturalis impulsus intentionem Creatoris revelat, et Creatoris intentio obligationem illi obsequendi parit (79, 80), debet societas semper ulterius progredi in majore sui perfectione, quæ individuorum perfectio est, sibi comparanda.

872. COROLL. 1. — Auctoritatis igitur civilis officium est societati quam gubernat, majorem semper ac majorem perfectionem afferre. Qua in re tamen diligenter animadvertendum est, dum societatis ac socialis auctoritatis officium perfectionis socialis procurandæ demonstramus, nequaquam nos humanæ superbiæ assentari, vanas indefinitæ cujusdam perfectionis spes illi ingerendo. Etenim longe aliud est iis qui societatem regunt, ostendere obligationem qua tenentur illius perfectionem semper augere, aliud est individuis quibusque scientiam, potentiam, beatitatem illimitatas polliceri. Ejus quidem perfectionis perpetua incrementa et possibilia et optanda jam sunt. At 1° nequaquam illis bonum societati essentiale continetur, atque adeo parum admodum ad veram ejusdem felicitatem conferunt. — 2° Eorum incrementorum processus potest repentinis commotionibus ac turbis abrumpi, quæ genus humanum in pristinam barbariem, aut saltem in scientiarum atque artium infantiam conjicere solent. — 3° Virium creatarum illimitatus homini quidem est usus; at alias vires creare homo nequit : ac proinde nil humana quæcumque industria potest adversus causas infirmitatis et destructionis quæ a naturæ cujusque legibus enascuntur. — 4° Nunquam hominum conatibus ad socialem perfectionem procurandam erit plena efficacia, et diuturna stabilitas. Non plena efficacia, quia deest perfecta omnium in eumdem finem conspiratio, quum desit unitas consiliorum et voluntatum plena concordia. Non aderit diuturna stabilitas, quia in plerisque sociis bona fide ac solertia, et in rei publicæ administratoribus justitia et communis boni studio deficientibus, ut sæpe deficiunt, paulatim totum etiam ordinem intellectualem et materialem labefactari necesse est.

COROLL. 2. — Contra doctrinam de societatis perfectibilitate

hactenus traditam opponi posset, ex illa id consequi, homini a natura finem quemdam fuisse præfixum, ad quem nunquam ille perventurus sit. At hæc objectio est quidem efficax contra illos omnes, qui humani boni naturam omnem in voluptate atque utilitate constituunt, et idcirco bonum essentiale a bono accidentali distinguere nequeunt : hi namque nihil habent quod respondeant, quum genus humanum universum iis ostenditur carere illis ferme omnibus, quæ ipsi bonum hominis appellant, et cujus consecutionem futuræ cuidam hominum generationi, quam a cæteris diversam comminiscuntur, ii pollicentur.

At ex vera doctrina facilis responsio colligitur. Natura enim hominem quemque ac societatem destinat ad bonum *honestum*, quod omnes et singuli homines quovis sæculo et in quocumque civilis culturæ gradu assequi semper possunt. Etenim non isto potius quam illo civilis perfectionis gradu obtinetur, sed recto usu illius culturæ civilis, ad quam societas jam pervenerit. Omnis autem civilis perfectio est suapte natura *medium* ad illud bonum honesti et ad futuræ vitæ felicitatem subordinatum. Ergo, quantulacunque illa tandem sit, modo ad hanc veram felicitatem assequendam adjuvet, parum refert. Attamen illimitata humani animi natura satis ostendit, ex divinis intentionibus, debere hominem, tum in ordine individuali, tum in ordine sociali, ad majorem semper tendere perfectionem. Quod si ex socordia negligat, naturæ suæ leges violat, spernitque divina consilia.

ARTICULUS II.

De perfectione, quam socialis auctoritas intelligentiæ subditorum procurare debet relate ad Summum Bonum.

873. Notandum 1. — Sociale officium sese perficiendi confirmavimus præcedenti articulo. Jam quænam perfectio et quibus mediis conquirenda sit, doceamus. Et perfectionis quidem illius naturam haud difficulter determinabimus, ejus subjectum considerando : at de mediis ad eam obtinendam idoneis dicemus ea solum, quæ ad moralem doctrinam pertinent, cætera Statisticæ permittentes. Jamvero subjectum perficiendum hominum est multitudo consociata, quorum triplex est facultas perfectionis capax, intellectus, voluntas, vis materialis. De tribus hisce facultatibus socialiter perficiendis agemus tribus singillatim capitibus.

NOTANDUM 2. — Duo sunt objecta, quæ intelligere constanter humana mens nititur. Alterum est Summum Bonum, ad quod voluntas acriter contendit, etiam antequam illud ab intellectu sit objective individualiter determinatum; alterum sunt objecta seu bona particularia, quibus, tanquam mediis, uti debet ad Summum Bonum assequendum. Potest igitur societas suos relate ad utriusque objecti cognitionem perficere.

NOTANDUM 3.— Problema in hoc articulo resolvendum unum est e gravissimis ac difficillimis, quæ in Jure Naturali occurrant. Definiendum namque est quæ officia, quæ jura sint societati ac publicæ auctoritati in communi aliqua religione requirenda. Quæ controversia quanto animorum ardore fuerit non ita pridem agitata, nemo ignorat. Jamvero, quoniam religio, in casu nostro, nihil aliud est quam exercitium officiorum quibus homo directe erga Deum tenetur, quæ officia possunt vel internos vel externos actus spectare, tam evidens est societati nullum esse jus fidei et amoris hominibus imponendorum, quam est evidens eam in tali materia nec legum transgressiones cognoscere nec ad leges observandas cogere posse.

Attamen nemini dubium est, quin unitas religiosa sit socialium vinculorum maximum. Hinc vero enascitur problematis difficultas. Etenim ex altera parte adest naturalis necessitas hujus vinculi socialis; ex altera obest naturalis interdictio ejusdem vinculi imponendi: hæc duo nihilominus inter se concilianda sunt.

874. Pos. 423ª. — Unitas religiosa est ad socialem perfectionem obtinendam prorsus necessaria.

PROB.— Socialis perfectio consistit in perfecta inter omnes socios *animorum*, *utilitatum* et *conatuum* conjunctione (428). Atqui, sine religiosa unitate, nec animorum, nec utilitatum, nec conatuum perfecta inter socios conspiratio haberi potest. Nam I. si ex omnium temporum monumentis colligantur tot illa facta, atque e sophistarum impiorum declamationibus tot illæ querelæ, quibus ostendi solet *fanatismum* et *intolerantiam* a religione esse inseparabilem; detractis inde quæ calumniose exaggerantur, illud sane extra omnem dubitationem ponitur, sociorum in religiosa re dissensionibus occultam quamdam inter eos diffidentiam, æmulationem, odia gigni ac foveri, quæ publicarum etiam turbarum ac seditionum germina continent. Experientia namque omnium ætatum id constat, religionem apud omnes populos pro re om-

nium gravissima fuisse habitam. At socialis dissensio in re omnium gravissima debet profecto publicæ concordiæ vehementer adversari. Et vero athei et sceptici ipsi, qui sæculo superiore christianam et naturalem ipsam religionem tanto furore oppugnarunt, non alia causa impellebantur, quam intolerantia eorum qui aliter atque illi in religiosa re sentiebant. Unde intelligitur eos ipsos qui omnem religionem respuebant, fanatismum et intolerantiam antisociales ex religiosa dissensione hausisse. Ergo constanti et universali facto ostenditur ad publicam concordiam et securitatem prorsus esse religiosam unitatem necessariam.

II. Animorum aversio et diffidentia reciproca inter illos qui diversas religiones sequuntur, ex natura ipsa mentis ac voluntatis humanæ et religionis ipsius necessario enascitur. Nam 1° quum maximum quis intelligit esse bonum *Veri* quod possidet, et illud minui, cæteris communicatum, non posse, quin imo augeri; naturalem beneficentiæ impulsum sequitur ad illud Verum apud omnes homines propagandum : et quo firmius credit se verum religiosum possidere, eo ferventior est ad illius propagationem procurandam. Quare christiana fides, quæ est omnium cæterarum firmissima, ad suam propagandam doctrinam fervidissima omnium et constantissima semper fuit.

2° Sicut opinionum et affectuum consonantia reciprocam inter homines propensionem et amorem sponte sua gignit, ita opinionum et affectuum diversitas suapte natura mutuam inter illos aversionem ac repulsionem animorum parere debet. Id enim omnibus cujusque entis facultatibus commune est, ut tendentiarum similitudo et convergentia mutuam attractionem, earumdem vero divergentia repulsionem mutuam in iis pariat; duæ namque facultates convergentes, quo magis ad suum objectum tendunt, eo propius ad se mutuo accedunt : facultates vero divergentes quo magis ad suum objectum tendunt, eo longius a se mutuo recedunt.

Præterea, quum omnes homines vere illud judicent nihil tanti momenti esse, quanti vera erga Deum est religio, a qua æterna etiam cujusque salus pendet, nulla arctior animorum conjunctio est quam quæ a religionis communione oritur, et nulla major est animorum disjunctio quam quæ ex religionis diversitate enascitur.

3° Quoniam religio est cultus Deo præstitus, et Dei cultus

ille solummodo bonus est, quem Deus approbat, idcirco ex religionis natura ipsa fit, ut qui veram religionem sequuntur, alios homines falsæ religioni addictos considerent ut veritatis hostes, ut Deo rebelles, ut æternis suppliciis destinatos. Qui vero falsæ religioni adhærent, opinionem, quam homines orthodoxi de illis habent, non ignorantes, ira atque invidia permoti, nullam solent rationem negligere, qua orthodoxam religionem criminentur atque omni contumelia afficiant. Ergo, etc.

III. Religionum apud varia ejusdem societatis membra diversitas materialibus etiam sociorum utilitatibus nullam securitatem præbet. Præcipua namque sanctio, quæ utilitates hominum materiales tuetur, religio est. Quare, quo majorem quisque rerum suarum curam habet, eo majorem in aliis quibuscum ille conversari debeat, honestatem, adeoque et religionem, sine qua honestas sincera et constans nulla esse potest, requirit. Atqui nulla religio, præter eam quam ipse veram judico et profiteor, potest necessariam illam mihi de re familiari securitatem præbere. Nam religio cujus doctrinam et præcepta ipse non noverim, potest suis ea permittere quæ mihi maxime noxia sint. Præterea, a religione quam ipse falsam judico, si famuli, si amici, si propinqui eam sectentur, nequaquam sperare possum vim moralem satis efficacem et sanctionem satis validam, quibus illi constanter a delicto absterreantur,

IV. Societati quæ unitate religiosa careat, non solum deest hoc sociale vinculum firmissimum, sed vis omnis quæ ab religiosa unitate provenit, illi plane infensa est. Etenim provinciæ diversis religionibus servientes eo tendunt perpetuo ut sese ab heterodoxa societate, a qua illas multis modis vexari necesse est, omnino separent. Quare Hibernia, *v. g.*, jampridem a Britannico regno sese per vim divulsisset, nisi ferreæ catenæ quibus illa opprimitur, locum moralis vinculi tenerent. Quod autem Hibernis per tyrannidis sævitiam non licuit, id Belgæ feliciter nostra memoria perfecere. Ergo, etc.

875. Pos 424ª. — Civili auctoritati nullum jus est socialis cujuspiam religionis sociis imponendæ.

Prob. — 1° Ut temporalis auctoritas haberet jus religionis socialis determinandæ, deberet illa et habere jus in actus sociorum internos, et esse infallibilis in religiosa veritate cognoscenda. I. Deberet habere jus in actus internos. Nam religio est libera mentis adhæsio ad Deum ut summum verum, libera ten-

dentia voluntatis in Deum ut summum bonum, libera subjectio totius hominis sub Deo, ut summo *esse* (lib. v) : quæ omnia sunt quid essentialiter internum. II. Deberet esse infallibilis. Nam triplex illud voluntarium hominis obsequium erga Deum est essentialiter proportionale ideis quas sibi quisque efformaverit de Dei attributis, deque illius erga nos operationibus. Quare, si bona fide sim persuasus tale dogma fuisse a Deo revelatum, Deo talem inesse perfectionem, a Deo talem præscribi hominibus actionem; hoc dogma credere, hanc perfectionem amare, hanc actionem exequi erunt actus religionis. At, si hæc non habeam penitus persuasa, sed contraria potius credam, tunc externum obsequium poterit esse callida quædam simulatio, sed nunquam erit actus religionis. Religio scilicet internam semper adhæsionem supponit. Ergo auctoritati cuipiam jus esse unitatis religiosæ directe statuendæ perinde est ac eidem jus competere obtinendæ ab omni mente adhæsionis ad eas doctrinas quas talis auctoritas ut veras designaverit.

Jamvero nulla auctoritas habet jus adhæsionis ab intellectu exigendæ ad doctrinam, quam illi ut veram proponat, nisi hæc auctoritas sit in veritate cognoscenda semper ac certo infallibilis. Nam auctoritas fallibilis posset aliquando falsam doctrinam credendam afferre : falsæ autem doctrinæ imponendæ jus nulla auctoritas habere potest; esset enim intrinsece absurdum exigere ab intellectu ut verum judicet, quod falsum judicare debet.

Atqui I. humana auctoritas nullum habet jus in actus sociorum internos, ut superius probatum est (lib. VIII, c. 1, a 1.) : II. politica auctoritas minime est in religiosa veritate cognoscenda infallibilis, quod nemo ignorat. Ergo, etc.

2° Unitas religiosi cultus solum externa, quam a civili auctoritate sociis esse imponendam nonnulli volunt, 1. esset absurda, 2. esset prorsus inutilis ad finem ob quem illa imponeretur. I. Esset absurda; quia plane absurdum est externam religionem internæ repugnantem exigere, quum externa religio suapte natura sit internæ expressio. II. Esset inutilis; quia externæ religionis unitas a civili auctoritate imponeretur ad communem mentium animorumque concordiam tutandam. Atqui mentium ista et animorum concordia non externorum actuum coacta uniformitate, sed spontanea intellectuum consensione et voluntatum conspiratione gignitur. Ergo, etc.

876. Coroll. 1. — Lex civilis, quæ unitatem religiosam sociis

imponeret, ad hanc denique formam reduci potest : « Cives carissimi, ait legislator, quamvis probe sciam talem hanc doctrinam falsam esse posse, volo tamen ac jubeo vos omnes eam habere pro vera, ut omnes idem sentiamus, ac perfecta credendi unitate ad affectuum atque actionum conformitatem ducamur. » Ineptior sane lex ac magis ridicula nulla esse potest.

COROLL. 2. — Qui externam solum religionis unitatem lege civili juberi volunt, ritus religiosos ad fictionem quamdam pantomimicam reducunt. At ii profecto non vana simulatio, sed sincera professio externa eorum quæ interne de Deo sentiamus esse debent. Unde intelligitur quam absurda et impossibilia sint consilia hodierni indifferentismi rationalistici, de quo jam, lib. 5, nonnihil tetigimus. Ille etenim post temerariam doctrinam de mythis eorumque progressiva explicatione constitutam, religiosam unitatem adducturum se sperat per venerationem omnium ejusdem religionis, ut ipse loquitur, formarum. Atqui variæ ejusdem religionis formæ nihil aliud esse possunt quam variæ rationes ejusdem de Deo conceptus exprimendi. Quare, ubi plures conceptus de Deo, de divinis perfectionibus, de divinis doctrinis ac præceptis sunt omnino diversi, mendacium et contradictio impudentissima est eos diversos conceptus identicos appellare.

877. Pos. 425ª. — Socialis unitas religiosa per supernaturalem aliquam religionem solummodo obtineri potest, ac per illam comparari ab civili auctoritate prorsus debet.

PROB. 1ª PARS. — Humanæ societati et necessitatem et desiderium unitatis religiosæ Deus indidit. Ergo debet aliqua esse Dei colendi ratio, quæ naturali huic necessitati ac desiderio satisfaciat. Divinæ namque sapientiæ ac bonitati repugnat, homines a Creatore fuisse ad perfectionem aliquam impossibilem ordinatos, ac vehemens iisdem a Deo fuisse inditum desiderium ejus rei, ad quam obtinendam omni illos medio destitutos dimiserit. Atqui nulla sunt naturalia media idonea ad unitatem hanc religiosam societati afferendam, ut postrema positione ostensum est. Ergo per sola media supernaturalia possunt homines ad hanc unitatem adduci : hæc autem media supernaturalia homines ad unicum Dei cultum perducentia sunt ea quibus constituitur religio supernaturalis. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Socialis quæque auctoritas debet quæcumque ad societatis conservationem et securitatem necessaria sunt, solerter procurare. Atqui unitas religiosa est civili societati vehe-

menter necessaria, et potest illa per religionem supernaturalem, quam Creator, hominibus necessariam, certissime præbuit, comparari. Ergo, etc.

878. Coroll. 1. — Quo pacto per religionem supernaturalem possit a sociali auctoritate unitas religiosa induci, et debeant leges ab eadem in hac re procuranda servari, dicemus sequenti articulo. Unum hic notabimus, quod negotium alicui fortasse facessere posset : si aliquandiu societas caruerit omni religione supernaturali, quam hominibus esse necessariam vidimus, nequaquam id divinæ Providentiæ repugnare. Ad divinæ namque Providentiæ ordinem hoc pertinet, ut creatis entibus facultates ac propensiones nonnullæ sint, quæ non statim ab initio sed solum processu temporis paulatim evolvantur. Etenim mundum quem ad temporis spatia percurrenda Creator emisit, progressivo temporis lapsui commensuravit. Quare mundi vires successive Deus ita evolvit, ut singula ejus entia, in statu quodam valde imperfecto enata, paulatim per suarum facultatum successivam explicationem ad divinorum consiliorum executionem, quæ summa cuique enti perfectio est, progrediantur. Sic, primo creationis die tellus utique ferax erat; attamen in tota terrarum superficie nullum gramen, nulla arbos exstabat. Posteris diebus, pulcherrimis herbis terra jam ubique virente, arboribus optima poma ferentibus, nullum aderat tamen animal, quod iis vesci posset. Jam de his omnibus quisquis tunc facile quæsisset : cur tellus fecunda creata est, quum careat materia in qua vim suam exerceat? Cur herbæ ac plantæ ad animalia nutrienda aptissimæ educta sunt, quum nullum adsit animal nutriendum?

Idipsum quæri potuisset de quovis homine solitarie spectato. Dubitari enim nequit, quin homo naturaliter sit destinatus ad rerum scientiam præclaram, ad socialem ordinem, ad justa quædam vitæ materialis commoda : attamen nullum horum singulis hominibus solitariam agentibus vitam possibile est. Cui quæstioni postremæ omnes respondemus, mediis ad ea bona reapse obtinenda singulos homines solitarie viventes carere, iisque idcirco privatos a Deo fuisse, quia homines in publicam societatem Cerator convenire voluit. Atque aliis similibus quæstionibus eadem responsio est : tellurem scilicet Deus condidit, quia herbarum et plantarum semina illis committere volebat; pulchra et salubria poma a plantis eduxit, quia illis animalia nutrire sta-

tuerat; plurimas animantibus facultates utilissimas dedit, quia illa ut homini servirent, sapienter ac liberaliter creavit.

Eadem ratione hominibus necessitatem ac desiderium unitatis religiosæ indidit, quia homines ad religionem supernaturalem, quæ omnibus communis esset, evehere constituerat.

Coroll. 2. — Quæ coroll° præcedenti breviter notavimus, magnam lucem afferunt generali cuidam theoremati, quod libro I, n. 22, posuimus, ubi diximus naturalem perfectionem in quovis ente posse in duplici statu diverso considerari, in statu *absoluto* atque in statu *relativo* ad ulteriores Creatoris fines. Jam status cujusque entis absolutus, quanquam opus exhibeat divina sapientia dignum, semper tamen nonnulla offert intellectu difficilia, quorum rationem in puro naturali ordine minime reperimus. Itaque his excitata dubitationibus humana mens ad ulterius divina consilia perscrutanda assurgit; atque in eorum cognitione atque executione felicitatem ad quam erat a Creatore destinata, assequitur.

ARTICULUS III.

De legibus ab civili auctoritate servandis in religiosa unitate procuranda.

879. Pos. 426ª. Lex 1ª. — Civilis auctoritas nullum per se jus habet ritus cujuspiam religiosi determinati a sociis exigendi.

Prob. — Ritus quilibet religiosus determinatus supponit determinatam fidem religiosam, ut vidimus nn. 875, 876. Ergo illa sola auctoritas habet jus determinati ritus religiosi exigendi, quæ habet jus fidei religiosæ determinandæ. Nulli namque auctoritati licet ritum externum ab interna fide dissentientem, idest mendacium religiosum, exigere; quod evidens est. Atqui sociali auctoritati nullum jus est certæ fidei religiosæ a sociis exigendæ, ut ante probatum est (875). Ergo, etc.

880. Coroll. — Socialis religio in ordine naturali non est igitur religio *positiva*, quæ scilicet ritus seu formas habeat determinatas. Unitas enim ritus religiosi non potest provenire nisi ab auctoritate quæ habeat jus omnes socios obligandi ad eamdem externam religionem; quo jure civilis auctoritas caret. Creator autem, a quo uno jus illud homines accipiunt, in ordine natu-

rali, ex hypothesi, nec ipse formas ullas religionis determinavit, nec ulli enti creato hoc jus commisit. Quocirca religio illa positiva quam in quibusdam societatibus Moyse antiquioribus invenimus, vel primitivam quamdam revelationem divinam ostendit, vel est cultus religiosus in quem ultro societates illæ convenerunt, vel est religionis forma tyrannice illis societatibus imposita.

881. Pos. 427ª. Lex 2ª. — Civilis auctoritas jure potest ac debet veritates religiosas ordini sociali necessarias negative tueri.

Notandum. — Negative doctrinam aliquam tueri est cavere efficaciter ne quid contra illam doctrinam dicatur aut fiat.

Prob. pos. — Sunt quædam veritates per se evidentes, quibus totus socialis ordo innititur, quibus eversis, totam ipsam societatem subrui necesse est, cujusmodi sunt Dei existentia, immortalitas animæ, Dei providentia, moralis actionum humanarum diversitas, etc. Atqui socialis auctoritas potest ac debet omnia quæ ad societatis conservationem ac securitatem necessaria sunt, efficaciter tueri. Ergo potest ac debet eas veritates efficaci tutela contegere. Non potest autem civilis auctoritas eas veritates positive tueri (875). Ergo saltem negative earum tutelam suscipere debet.

882. Coroll. — Socialis ergo religio in statu naturali esset per se religio mere *negativa*, idest *prohibitoria*. Quod si quis in societate appareret, qui se a Deo missum ad homines divinas veritates docendos affirmaret, evidens est auctoritatis socialis officium tunc esse, factum ejusmodi summa prudentia ac sedulitate examinare, ejusque veritate comperta, debere eumdem principem pro se ipso huic veritati se subdere. At eadem persona, ut publica auctoritas est, nullum jus per se haberet suæ fidei cæteris hominibus imponendæ, sed solum posset mediis ad alios persuadendos idoneis ei doctrinæ propagandæ favere. Quare obligatio credendi ei legato divinitus misso esset cuique individuo personalis; a Dei ipsius, per eum legatum loquentis, auctoritate oriretur, atque ab externis indiciis et argumentis, quibus suam revelationem Deus comprobaret, nullatenus autem a civili auctoritate, cujus in religiosa re judicia minime infallibilia sunt.

883. Pos. 428ª. Lex 3ª. — Civilis auctoritas, in societate quapiam cujus membra omnia religionem divinitus revelatam susceperint, tenetur divinas leges sic revelatas venerari et exsequi socialiter, et omnia removere quæ socios in ea religione observanda exterius impedire possunt.

Prob. — Tum natura, tum finis societatis hanc civili auctoritati obligationem pariunt. 1° Societas suapte natura est entium intelligentium cooperatio (425). Ergo civilis auctoritas, cui totius associationis commune bonum procurandum commissum est, debet his entibus intelligentibus eorumque consortio congruentem perfectionem comparare. Atqui entium intelligentium præcipua et maxime necessaria mentis perfectio est veritas religiosa, sicut præcipua et maxime necessaria voluntatis perfectio est ejus firma ad Deum adhæsio : perfectio autem associationis est religiosa unitas, ut vidimus n. 874. Ergo societas quæ unitatem hanc jam habeat, debet illam studiosissime sibi conservare.

Atqui non potest societas eam sibi servare, nisi socialis auctoritas et veneretur ipsa atque exequatur quæ divina illa religio publice exsequenda præscribit, et procul removeat omnia quæ socios ab ea religione observanda retardare possunt; quæ omnia evidentia sunt. Nisi enim socialis auctoritas ea præstiterit, facile illius vel contemptum vel secordiam religiosam subditi multi imitabuntur; facile aliquorum licentia et petulantia cæteros omnes modestos et pios a religionis observatione avertent; facile nonnullorum vel temeritas vel impietas communem doctrinam divinitus traditam corrumpet, unitatem religiosam dissolvet. Ergo, etc.

2° Socialis auctoritas debet, ut fini societatis essentiali satisfaciat, tale sociis materiale bonum comparare, quod faciliorem illis boni honesti adeptionem efficiat. Atqui a religiosa veritate maximopere utilitates etiam materiales societatis pendent; et veræ religionis observatio est omnium hominum officium adeoque bonum honestum. Ergo, ubi pene omnes cives supernaturalem religionem quamdam amplexi sint, civilis auctoritas debet in ordine externo et ipsa vitare et sociis omnibus interdicere quæcunque hujus religionis observantiam impedire, et hanc religiosam unitatem dissolvere possunt.

884. **Coroll.** — Unitas politico-religiosa igitur a voluntario consensu oritur. Qui quidem consensus est obligatorius apud intimam cujusque individui conscientiam pro ratione evidentiæ qua divina jussa per illam revelationem noverit. Unde intelligere quisquis potest associationem catholicam, voluntaria divinæ revelationis infallibilis fide fundatam, partim voluntariam, partim obligatoriam esse (lib. vi, c. 1, a. 1).

At, quoniam obligatio cuique individuo personalis intimis conscientiæ penetralibus concluditur, ut nuper diximus, idcirco nulli homini jus est cujuspiam cogendi, ut catholicam eam societatem exterius ingrediatur. Quare catholica ecclesia est societas externe omnino *voluntaria*. Potest utique Deus internam pertinaciam in fide deneganda punire : at humana nulla auctoritas, sicut internos hominis sensus cognoscere, ita internos ejus errores punire potest.

885. Pos. 429ª. Lex 4ª. — In societate, quæ revelationem supernaturalem rationabiliter tanquam divinam susceperit, hæc revelatio evadit lex socialis, cujus publica violatio sociale crimen est.

Prob. 1ª pars. — 1° Cuilibet societati officium incumbit impietatis publicæ impediendæ, ut ostendimus n. 881. In societate autem quæ revelatam religionem susceperit, quidquid publice ei religioni revelatæ repugnat, pro impietatis actu a societate ipsa habendum est ; quia talem religionem ut veram et divinitus traditam ea societas suscepit. Ergo quidquid revelationi a societate susceptæ publice adversatur, jam hoc ipso a sociali auctoritate, quæ omnem prohibet impietatem, vetitum est. Atqui quod sociis omnibus publica auctoritate est vetitum, lex socialis est. Ergo, hoc ipso quod tota aliqua societas religionem aliquam revelatam suscepit, hæc religio evadit lex socialis.

Prob. 2ª pars. — Socialis religionis publica violatio est publica infractio legis socialis; eadem vero tendit ad socialem unitatem dissolvendam (874) ; ad infirmandam eam sanctionem quæ vel in ipsis conscientiæ penetralibus viget, quæque idcirco sociorum omnium bona etiam materialia in tuto ponit; denique ad maximum mentis bonum, veritatis scilicet possessionem sociis eripiendam. Ergo et delictum illa et gravissimum delictum contra sociale bonum, nempe crimen sociale est.

886. Pos. 430ª. Lex 5ª. — Societas, quæ religionem revelatam rationabiliter susceperit, potest jure ac debet omni illius mutationi humanæ, pœnis etiam inflictis, obsistere.

Prob. 1ª pars. — Religionem divinitus traditam velle immutare est publicus impietatis actus, et crimen sociale. Nam 1° talem religionem pro humano arbitrio mutare esset divinas doctrinas respuere, et divina jussa rejicere, ad humana commenta suscipienda; quod plane impium est.

2° Religionem veram mutare perinde est ac religionem omnem

evertere : falsa namque religio eo tendit necessario ut nulla religio evadat. Atqui religionem socialem evertere gravissimum delictum est : omnia vero delicta possunt ac debent a sociali auctoritate ex æqua proportione puniri. Ergo potest ac debet societas gravibus pœnis eos coercere qui socialem religionem rationabiliter susceptam immutare publice conentur.

887. **Coroll.** — Pœnæ contra socialis religionis violatores publicos adhibendæ sunt a politica auctoritate, non quidem ut illis fides et pietas per vim ingeratur, sed solum ne socialem unitatem religiosam, quæ ad publicam felicitatem maxime pertinet, vel falsis doctrinis vel pravis exemplis perturbent.

888. Pos. 431ª. Lex 6ª.—Ubi magna societatis pars a religione sociali defecerit, potest et quandoque debet socialis auctoritas civilem tolerantiam erga defectores adhibere.

Notandum. — Triplex tolerantiæ genus in materia religiosa distinguendum est : alia est *dogmatica*, alia *religiosa*, alia *civilis*. Tolerantia dogmatica appellari potest absurdus ille indifferentismus, qui omnes æque de religione doctrinas admitti posse arbitratur; de quo jam nonnihil diximus nn. 582 et 876. Tolerantia religiosa est eorum sententia qui credunt æternam animæ salutem obtinere posse etiam illos qui pertinaciter a catholica ecclesia dissentiunt. Tolerantia denique civilis est socialis auctoritatis lenitas in non puniendo dissensu externo ab aliquibus suis membris in materia religionis socialis manifestato.

Prob. pos. 1ª pars. — Publica societas usque adeo quandoque bellorum tumultibus aut pestilentiæ terroribus aut aliis ejusmodi calamitatibus perturbatur, ut, vigilantia magistratuum in alias res distracta, improbi et impii homines impune potuerint falsas in populum de religione doctrinas spargere et religiosam sociorum pristinam concordiam prorsus evertere. Aliquando etiam potuit, per nimiam securitatem, auctoritatis in religione sociali tutanda sollicitudo tamdiu languere, ut semsim pravæ doctrinæ irrepserint atque invaluerint, et, quum primum de pervagatis erroribus atque impietate palam fit, difficillimum eorum expellendorum consilium evaserit. Tum vero, sive ob temporum iniquitatem, sive ob magistratuum negligentiam, iis qui a sociali religione defecerunt, ignoscendum erit. Præterea, ne publica tranquillitas turbetur, ne dissidentium animi irritentur, ac longius a veritate discedant, prudentiæ civilis erit ab omni punitione supersedere. Ergo potest in iis adjunctis tolerantia adhiberi.

PROB. 2ª PARS. — Si multitudo quæ religionem socialem deserit, nullum unquam ei religioni et obligationibus ab illa consequentibus publicum apud eam societatem consensum præbuerit, tunc nullum sociale delictum committit. Quum enim nunquam ei societati promiserit se tali religioni adhæsuram, ab ea deficiendo nullam societati injuriam infert. Ergo, sicut ad eam sectandam observandamque religionem non erat antea civiliter obligata, ita eamdem postea deserens nihil contra societatem peccat. Atqui socialis auctoritas nullum habet jus puniendi eos qui nihil contra societatem peccaverint. Ergo interdum socialis auctoritas debet omnino civili tolerantia erga illos defectores uti.

869. COROLL. 1. — Sive ex prudentiæ consiliis, sive ex justitiæ legibus auctoritas tolerantia civili erga socialis religionis desertores utatur, semper ea debet alia adhibere media, per quæ religiosam unitatem, sociali bono utilissimam, recuperet.

Quisquis autem videt omnes doctrinas circa religiosam unitatem in societate publica procurandam hactenus traditas magna ex parte societati quoque domesticæ applicari posse.

COROLL. 2. — Ex legibus superius constitutis manifestum fit discrimen quod intercedit inter catholicos principes, quando hi christianos desertores puniunt, et infideles vel hæreticos principes, qui, christianos aut catholicos persecuti, crudelibus eos suppliciis afficiebant. Catholicum namque principem, veritatem socialis suæ religionis certissime cognoscentem, et summa beneficia, quæ tum individuis tum integræ societati eadem affert, non ignorantem, subditis contra prava impiorum quorumdam exempla insurgentibus etiam obsecundantem impedire, pœnis quoque inflictis, ne apostata et rebellis aliquis socios improvidos a recta fide sanaque religione avertat, rationi plane consentaneum et justum et necessarium est. Sic autem agendo, princeps catholicus nequaquam se fidei ac religionis arbitrum præbet, sed suos subditos ab iis qui eorum religionem proditorie corrumpere vellent, solummodo tuetur. Eorum utique fidei ac religionis norma unica est veritas certa, cui tum illi tum ipse princeps sese plane subjicere debuerunt, seque ultro subjecerunt.

E contrario, pagani aut hæretici persecutores, doctrinam sectantes vel aperte absurdam, vel saltem manifeste incertam, consensum a subditis catholicis exigere volunt, quem hi nunquam præstitere, et apostasiam extorquere conantur, cui sine perjurio, sine intima conscientiæ suæ contradictione consentire nequeunt.

890. Pos. 432ª. — Religiosam unitatem ad quam societas adducenda sit, ex materiali illius utilitate determinare et impium et absurdum est.

Prob. 1ª pars. — Impium profecto est officia, quibus homo erga Deum obstringitur, venalia efficere, eorumque observationem certo solum pretio materialium bonorum concedere. Ordo namque, justitia, grati animi debitum homines obligant ad Deum colendum, materialis etiam utilitatis inde percipiendæ spe qualibet sublata. Qui vero religionem venalem efficit, implicite affirmat, neque ex divinis perfectionibus, neque ex beneficiis a Deo acceptis oriri officia religionis Deo exhibendæ ; Deum scilicet nequaquam adoratione et cultu hominis dignum esse ob infinitas suas perfectiones, ob beneficia hominibus collata, sed solum quia religio has vel illas materiales utilitates affert : quod evidenter impium est. Atqui religiosam unitatem ex ejusdem materiali utilitate determinare, idest unam aliquam religionem quam omnes socii sectentur, ob majorem illius materialem utilitatem, constituere, est religionem ipsam venalem efficere, et de officiis religiosis mercaturam facere. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars.—1° Est absurdum, quia supponit religionem veram semper materiales utilitates afferre. Jamvero certum est, veritatem ac probitatem etiam quoad materialia commoda utilem esse universe loquendo : at in casibus particularibus sæpe accidit, ut delictum utilius sit quam honestas; quod sane in populis ac nationibus æque atque in individuis accidere solet, teste potissimum catholica Hibernia.

2° Est absurdum, quia supponit infirmum hominis intellectum posse certo cognoscere num religio aliqua a Deo tradita utilis temporali societati necne futura sit. Quum enim Creator veritatem aliquam hominibus revelat, integram utique seriem effectuum in ea veritate inclusorum et per longos seculorum tractus evolvendorum videt. Qui effectus ab ea veritate in tardos nepotes prodituri ostendent fortasse utilissimam etiam socialiter esse eam religiosam doctrinam, quam avi illis transmiserunt quin ejus utilitatis partem ullam agnoscerent. Ergo religionem aliquam a Deo traditam respuere, eo quod inutilis vel minus favens socialibus commodis ea videatur, absurdæ profecto arrogantiæ est.

3° Est absurdum, quia universim est intrinsece absurdum veritatem aliquam certam admittere aut rejicere, quia utilis illa

vel inutilis futura sit, quasi veritas aut falsitas doctrinæ cujuspiam ab ejus utilitate aut inutilitate temporali penderet. Quare, qui religionem sectandam ex ejus utilitate determinant, similes sunt illi qui theorematum mathematicorum veritatem ostendere vellet præcise ob utiles applicationes, ad quas eorum singula adduci possunt; similes sunt illi, *v. g.*, qui bis duo præbere quatuor mercatori persuadere hac ratione vellet, quia id illi utile futurum sit.

891. Coroll. — Errant igitur vehementer illi juris publici doctores, qui socialem religionem ex ejus utilitate hoc pacto determinari volunt. Reipublicæ, aiunt illi, jus certum est ad suam quærendam felicitatem : sociali felicitati necessaria est unitas religiosa. Ergo cuique reipublicæ inspiciendum est, quænam religio utilior futura sit, ad eamque omnes subditi, quantum fieri potest, adducendi. Etenim, subdunt, si religio vera est utilis, ergo etiam religio utilis est vera. Quod sophisma putidissimum est particularis quædam applicatio systematis *utilitarii* in re morali, quod superius jam a nobis refutatum est (164).

892. Pos. 433ª.— Civilis auctoritas habet jus censuræ in opiniones exterius manifestatas, quoad morales veritates fundamentales, at non item quoad veritates abstrusiores, nisi hæ per revelationem socialiter admissam certæ evaserint.

Prob. 1ª pars. — Sunt profecto veritates quædam, vel per se morales vel indirecte ad moralitatem pertinentes, quæ et semper fuerunt apud homines habitæ pro certis, et sola etiam naturali ratione possunt evidenter demonstrari, et moralitatis ac socialis vitæ sunt essentiale fundamentum, ut Dei existentia, religionis debitum et necessitas, animæ humanæ ab ejus corpore distinctio, immutabile discrimen inter bonas et malas actiones, et hujusmodi. Atqui societas quæque habet jus impediendi, ne sociorum mentes doctrinis evidenter pravis corrumpantur, sicut habet jus repellendi omnia quæ societatis tranquillitati ac felicitati periculum pariunt : veritatum autem illarum primarum necessitas ad socialem ordinem ac tranquillitatem certissima est. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars. — Veritates illæ primæ sic evidentes paucissimæ sunt; atque, ubi mens humana ratiocinio illas evolvere, earumque rationes penitus perscrutari aggrediatur, multis illa statim difficultatibus implicatur, atque in diversas opiniones inter se pugnantes aberrat, nisi fide divinitus revelata illustretur. Jamvero civilis auctoritas, ut religiosarum opinionum censuram sibi

vindicaret, deberet vel unam aliquam seligere ex infinitis opinionibus, in quas philosophi solo rationis naturalis lumine perducti abeunt, quam societati universæ imponat, vel, omni ratiocinio subditis vetito, ut mahometana hæresis facit, doctrinam quamdam unicam a se confictam iis proponere. Atqui primum nequit civilis auctoritas efficere, quia non est infallibilis, ut vidimus n. 875 : alterum absurdissimum dictu et factu est, ut per se patet. Ergo, etc.

PROB. 3ª PARS. — Ubi divina revelatio veritates alias certissimas societati tradiderit; et auctoritas quædam infallibilis in iis veritatibus explicandis et custodiendis fuerit per eam divinam revelationem apud homines constituta; et socii omnes tum divinæ illi revelationi, tum huic auctoritati infallibili sese ultro subjecerint; tunc evidens est socialem contrariarum opinionum publice editarum tolerantiam repugnare essentialiter et debito conscientiæ et unitatis socialis necessitati Et conscientiæ debitum potest quidem apud aliquos, eos perpaucos tamen, per ignorantiam invincibilem submoveri. At unitas socialis, quoniam ad societatis universæ bonum spectat, ut paucorum hæsitatione aut mutatione in periculum adducatur, permittere sociali auctoritati non licet. Ergo societati, quæ divina revelatione ad veritates morales infallibiliter cognoscendas illustretur, nunquam licet permittere, ut publice edantur opiniones contrariæ religioni evidenter veræ ac divinitus revelatæ : nimirum jus censuræ in opiniones religiosas publice manifestatas in societate quæ divinam revelationem susceperit, omnino civili auctoritati competit.

893. COROLL. 1. — Civilis auctoritas igitur potest ac debet primarum veritatum naturalium eversionem impedire : at sine divina revelatione nequit dogmata ulla positiva tuenda suscipere. Ubi vero societas talem revelationem susceperit, ejus civilis auctoritas potest ac debet animorum unitatem in ea sectanda tueri ; et opinionum contrariarum publicam omnem manifestationem vetare. Quocirca civilis censura in opiniones religiosas est essentialiter propria societatis quæ doctrinam aliquam religiosam profiteatur : civilis censura in doctrinas positivas propria est societatis, quæ subditam se divinæ revelationi profiteatur : in omni alia societate censura irrationabilis et tyrannica est.

Hinc vero intelligitur quo pacto argumenta quæ afferuntur pro absoluta publice opinandi libertate, probabilia quibusdam videantur. Quum enim doctrinam omnem divinitus revelatam

isti abjecerint, nullam in societate, quæ talem revelationem constanter retinet, rationem agnoscunt, quæ jus illud censuræ gignere possit.

COROLL. 2. — Ex dictis quisque etiam facile intelligit, 1° quam prudenter apud nationes catholicas publica librorum censura committatur, aut saltem subjiciatur illi auctoritati, quam doctrinæ revelatæ custodem atque interpretem divino jure esse credunt, nimirum Ecclesiæ, atque iis qui ab illa, ut in ecclesiasticis doctrinis probe periti, fuerint designati.

2° Colligitur imprudentissimam esse eorum opinionem, qui plenam libertatem, libris publice editis, de religione disputandi utilem esse arbitrantur. Ex ingeniorum et argumentorum collisione, aiunt illi, lux veritatis emicat. At 1., etiamsi hæc sententia vera esset, nullus tamen hic esset ei locus. Qui enim doctrinam aliquam ut divinitus revelatam adeoque ut certissimam agnoscunt ac venerantur, profecto ejus veritatem in dubium vocare sine injuria non possunt. 2. Illa ipsa sententia et falsa et periculosa et certe noxia est. *Falsa* quidem, quia in re metaphysica et morali disputationibus quæ sola ratione fundentur, dubitationes atque errores augentur, non veritates illustrantur : quod et obvia ratio a quæstionum difficultate et a partium studio petita, et notissima experientia confirmant. *Periculosa* vero, quia defensori ingenium potest esse inferius quam veritatis impugnatori. Tum vero causa vel optima et sanctissima ob defensoris imperitiam apud auditorum vel lectorum mentes vacillabit aut etiam plane concidet. *Noxia* denique, quia quamdiu disputatur, dubiæ mentes hærent : societas vero, quæ doctrina aliqua certa semper indiget, quo se vertat, nescit : quæ fluctuatio magnum et publicæ religioni et privatis moribus detrimentum affert.

ARTICULUS IV.

De perfectione quam societas subditorum mentibus suppeditare quoad bona particularia debet.

894. NOTANDUM. — Duo sunt propria intelligentiæ in hominibus munera : alterum est veritatem, quæ naturale illius objectum est, cognoscere; alterum, hac cognitione voluntatem omnesque facultates a voluntate dependentes dirigere. Bina igitur bona sunt quæ societas individuo afferre potest : eumdem nimirum ad-

juvare ad veritatem cognoscendam, 1° quatenus illa est per se ipsa mentis bonum; 2° quatenus illa necessaria esse potest ad negotia dexterius gerenda. Itaque duo moralia problemata in hac re occurrunt: Quæritur nimirum 1° utrum aliqua societati sit obligatio scientificas, litterarias et technicas disciplinas indefinite in suis membris dilatandi; 2° utrum societas teneatur curare, ut quisque, suas relationes, jura, utilitates cognoscendo, rationem sua sibi conservandæ probe teneat. Posteriorem hanc disciplinam *civicam*, priorem *specialem* appellamus.

895. Pos. 434ª. — Civilis auctoritas tenetur eam omnibus et singulis sociis disciplinam, quæ ad recte ac feliciter in ordine civico vivendum necessaria cuique est, suppeditare.

Prob. — Societas a Creatore ipso inter homines ad eum finem instituta est, ut eos ad congruam hujus vitæ felicitatem obtinendam adjuvet (liv. IV, c. 2). Atqui ad hanc felicitatem obtinendam necessarium in primis est, ut quisque eas cognitiones adipiscatur, sine quibus errores, fraudes, injustitias improborum declinare nesciret. Ergo eas cognitiones singulis suis membris societas civilis, quantum in se est, suppeditare debet. Si enim singuli homines debent, quantum possunt, alios homines promovere ad veritatis adeptionem, quatenus illa est medium ad præsentis vitæ felicitatem, ut vidimus n. 759, multo magis ad hoc ipsum tenetur societas, quæ, tota quanta est, ad omnium et singulorum hominum bonum essentialiter subservire debet.

896. Coroll. — Veritas hujus officii, quo civilis auctoritas constringitur, evidens omnino est. At modus quo huic officio satisfacere illa possit, proprius omnino est societatis quæ gradatim majores ac majores perfectionis suæ partes acquirat: idcirco etiam hoc officium consideramus ut ad societatis *perfectionem* potius quam ut ad ejus *tutelam* pertinens. Si enim societas cives omnes ita solum tueretur, ut quisque veritatem secure inquirere posset, nihil sane aut ferme nihil faceret ad socios in veritatis cognitione adjuvandos: quisquis enim veritatem nosse, præsertim in iis quæ ad suas utilitates et commoda spectant, et maxime vult et diligenter quærit, nisi externa vi impediatur. At vero societas exculta hoc bonum ingens cuique homini præbet, ut scilicet veritatem publice expositam omnes socialis ædificii partes præ se ferant, ita ut fraudes ac deceptio impossibiles essent, si quidquam humanæ nequitiæ esset impossibile: quod bonum quidem eo majus obtinetur, quo major est in quaque societate civilis cultus

atque expolitio. Jam determinare quousque hac in re progredi socialis perfectio possit, tam impossibile est, quam est impossibile ut præsens hominum generatio cognoscat quæ a futuris generationibus excogitata atque inventa erunt. Nobis hic ergo sufficiet generaliter illa indicare quæ ab excultis societatibus fieri solent, ut quisque intelligat, quænam ab iis beneficia in nos proveniant, quid ab iisdem sperandum sit.

897. Pos. 435ª. — Socialis auctoritas civilem societati perfectionem affert potissimum et jurium et personarum et eorum materiæ et legum socialium certam notitiam omnibus et singulis sociis tribuendo.

Explic. — Utilitatum materialium magis vel minus opportuna et prospera procuratio in quoque homine dependet præsertim a majore vel minore, quam quisque habeat, notitia relationum personalium quæ illi cum aliis hominibus sint, jurium realium, quæ ipsi competant, materia circa quam hæc jura versentur, et legum secundum quas juribus illis eorumque materia uti debeat. Quum enim bona sive utilitates quæ cuique homini competere possunt, a quacunque re ab illo distincta provenire queant; quatuor sunt objectorum seu virium genera, quæ quisque extra se invenire potest, personæ scilicet, res, jura et leges; quorum duo priora entitatem physicam, duo posteriora entitatem solum moralem habent.

Jamvero, I. societas certam nobis personarum et physicam et moralem notitiam præbet 1° multis ac prudentissimis cautionibus, quibus cujusque socii nativitas, domicilium, vitæ institutum, matrimonium et mors authenticis testimoniis muniuntur; 2° publica sententiarum ac pœnarum denuntiatione; infamiæ signis impressis, et hujusmodi; 3° publicis honoris insignibus, quæ vel præclare gesta, quibus de societate bene quis jam meruit, vel ejus aptitudinem ad bene de re publica merendum testantur; cujusmodi sunt ornatus vestium uniformes, numismata aut sericæ vittæ pectori affixæ, litteræ patentes et alia similia, quæ contemni solent ab iis qui obtinere illa nequeunt; quæ tamen ex publici ordinatoris instituto nequaquam sunt vanum superbiæ pabulum, sed pariter et ad præclara societati officia præstanda excitant, et optime gestorum vel animi ad optimas res gerendas apti publica documenta sunt.

II. Jurium notitiam præbent non solum leges et civilia judicia, quibus societas jus dicit, nempe jus determinat, sed etiam præsidia

illa et cautiones innumeræ, quibus tum ab hominum fraudibus jura defendit, cujusmodi sunt notarii, testes, publicum sigillum chartæ impressum, etc., tum a temporis injuriis eadem protegit, cujusmodi sunt publicæ tabulæ, archiva, monumenta, etc.

III. Nihil sane jurium notitia prodesset, si impune decipi in eorum materia possemus. At vero, quantum veteratorum ad fallendum versutia acuitur, tantum socialis vigilantia ad socios præmuniendos perficitur. Quare 1° mappæ chorographicæ, custodes campestres, publici agrimensores, termini et alia hujusmodi, certam agrorum, qui primi fortunarum fontes et prima fundamenta sunt, notitiam suppeditant.

2° Publici mercatus, signi publici in merces impressio, privativæ facultates opportune concessæ, judices mercatorii, mercium qualitatem et justa earum pretia revelando, a callidorum fraudibus quemque tuentur.

3° Monetæ sub publica forma impressio, indices nummarii, unitas ponderum et mensurarum, publicæ argentariorum mensæ, certam pecuniæ notitiam et facilem tutamque pecuniæ mercandæ rationem cuique præbent.

4° Quoniam vero sociale commercium crebram inter individua consuetudinem, crebros commeatus postulat; quæ duo crescere solent eadem ratione, qua societatis universæ expolitio crescit; idcirco in societate quavis perfectius constituta videmus a civili auctoritate et viis urbanis nomina et domibus numeros inscribi, et viarum externarum directiones indicari, et distantiam ad uno loco ad alium accurate notari, et dies variis concionibus, religiosis, scientificis, mercatoriis, voluptariis destinatos denuntiari publicis vel proclamationibus vel inscriptionibus vel calendariis vel statutis : quorum omnium compendia quædam utilissima ephemerides quotidie in publicum exhibent.

IV. Denique plurimum reipublicæ interest, ut quisque noverit, quæ regulæ communiter ab omnibus servandæ sint, ut suum bonum proprium per societatis cooperationem obtineant. Id autem præstat civilis auctoritas facilem cuique suppeditando rationem legum socialium cognoscendarum : quod quidem quo pacto fieri possit ac debeat, inferius, ubi de legum promulgatione agendum erit, explicabitur.

898. Coroll. — Ex iis quæ breviter de fine ac de modo civicæ disciplinæ et eruditionis præbendæ attigimus, facile est ejus leges morales colligere. 1° Societatis officium est, civicam hanc socio-

rum disciplinam suppeditare : ergo quo diligentius ea præbetur, eo magis societas in temporali ordine perficitur. 2° Disciplinæ cujusque laudes propriæ sunt, ut ea sit *completa, perspicua, facilis* et *brevis*. Ergo civica hæc disciplina illuc spectare debet, ut quisque possit *omnia* sua jura, officia, utilitates cognoscere, omni procul ambiguitate, omni dubitatione remotis; ut illa omnia *brevi tempore*, quoad ejus fieri potest, cognoscat ; ut ea possit quisque *facile* addiscere, adeoque sine sumptibus, sine exquisitiore eruditione et hujusmodi impedimentis.

899. Pos. 436*. — Debet socialis auctoritas progressivam omnium scientiarum atque artium specialium evolutionem indefinite procurare.

Prob.—Finis societatis civilis proprius est temporalis sociorum felicitas. Atqui finis cujusque entis proprius debet ab illo melius semper ac melius quæri : omnes autem et scientiæ et artes, quo magis evolvuntur, eo fiunt hominibus utiliores, tum per se ipsæ ob veritatis ampliorem cognitionem, tum per earum practicas ad humanæ vitæ commoda applicationes. Ergo, etc.

900. Coroll. 1. — Problema illud : *Debetne societas indefinite apud suos promovere scientificas, litterarias et technicas disciplinas?* est simile alteri problemati, quod superius, n. 44, proposuimus: *Tenenturne singuli homines facultates suas omnes evolvere ac perficere?* At duplici huic problemati diversa plane, ut quisque jam videt, responsio est. Cujus diversitatis ratio in diverso fine, ad quem individuum et societas sunt ordinata, posita est. Individuum namque essentialiter et per se ipsum ordinatur ad Bonum Infinitum, et idcirco præcipue in ordine spirituali suapte natura versatur; brevi utitur in his terris vita, et propterea nequit tam exiguo tempore ipse unus ingentem rerum omnium quæ sciri aut agi possunt, molem complecti. Ergo individuum debet eas tantum vires evolvere, quæ in personalibus ejus circumstantiis eum possunt ad Boni Infiniti consecutionem adjuvare : finis namque totum actionis ordinem determinat.

At vero publicæ societatis finis proprius est sociorum bonum temporale. Et singulis quidem sociis nequit illa circumstantias, in quibus ii versabuntur, determinare. At per sociorum multitudinem facile potest ac debet (856) omnibus prospicere necessitatibus, quibus modo hi, modo illi premantur. Ergo debet societas efficere ut omnes bonæ artes omnibus individuis utiliores semper evadant. Ergo eadem curare debet ut unaquæque majo-

rem semper gradum acquirat perfectionis, quo majus sociorum necessitatibus et commodis subsidium afferre possit. Unde intelligitur universim magna cautela utendum esse in legibus moralibus societatis æquiparandis ad leges morales individui.

COROLL. 2. — Animadvertendum est, ad æqualem omnium scientiarum atque artium progressum obtinendum nequaquam æqualia subsidia esse adhibenda. Diversa enim est aliarum atque aliarum necessitas atque utilitas; diversa sunt obstacula, quæ aliarum atque aliarum progressioni obsistunt. Quare subsidia illa debent ex æqua proportione commensurari 1° utilitati facultatis promovendæ; hæc autem utilitas intelligi debet non e sociorum oblectatione, sed a perfectione sociali superius a nobis descripta (897) quam illa afferat; 2° obstaculis, quæ cujusque progressum retardant, tum ob experimentorum ac tentaminum multiplicitatem, tum ob multarum virium necessariam conjunctionem, tum ob temporis diuturnitatem et sumptus ingentes qui ad hunc finem requirantur; 3° mediis quæ societas in promptu habeat. Etenim, rerum copia affluente, possunt fieri sumptus, qui et imprudentes et injusti in publica egestate essent; injustum namque est necessitati aliquorum negare quod aliorum luxui conceditur.

901. POS. 437ª. — Elementarem institutionem omnibus et singulis sociis, at altiores disciplinas paucioribus tantummodo ingenio præstantibus societas exhibere debet.

PROB 1ª PARS. — Sunt elementares quædam disciplinæ, quæ semper omnibus sociis perutiles per se ac sæpe necessariæ, et perceptu minime difficiles sunt, ut recte loqui, apte legere, correcte scribere, numeros facile supputare, et hujusmodi. Ergo hanc elementarem scientiam debet societas omnibus indiscriminatim sociis suppeditare. Possunt quidem et hac ipsa elementari eruditione aliqui abuti : at non idcirco tam magna illius utilitate cæteri privandi sunt; sicut loquelam pueros minime docendos esse, eo quod multi loquela abutuntur, nemo sanus affirmat.

PROB. 2ª PARS. — Altiores disciplinæ sunt paucis necessariæ, omnibus difficiles, multis impossibiles. 1° *Paucis necessariæ*, quia plerique homines, ut necessaria ad vitam sustentendam suo labore sibi comparent, mechanicas debent artes exercere, et materialibus opificiis incumbere, quæ nullam altiorem institutionem postulant. 2° *Omnibus difficiles*, quod ostendunt diuturna studia, et constantes labores, quibus omnino se subjicere debet quisquis

altiores eas disciplinas percipere aggreditur. 3_0 *Multis impossibiles*, quia exquisitiorem hanc institutionem sibi comparare nemo potest, nisi et bono sit ingenio præditus, et omnem suam operam multos annos ad ingenium excolendum insumere possit. At multi bono illo ingenio carent; multi suam operam ad victum sibi quærendum vel a pueris impendere coguntur.

Præterea altiora hæc multorum studia societati non solum inutilia, sed valde noxia essent. Evidens enim est multo plures homines materialibus operis addictos quam mentalibus studiis vacantes societati esse necessarios. Ad unius enim, *v. g.*, architecti ichnographiam exsequendam centeni sæpe et quandoque milleni homines requiruntur. Materialis autem labor vires corporis atque habitus animi postulat longe diversos a viribus atque habitibus quos mentalia studia efficiunt. Ergo ad altiores disciplinas excolendas vulgus omne advocare perinde esset ac societatem utili ac necessaria privare plurimorum opera, eique otiosam ac turbulentam vapparum multitudinem progignere. *Ergo*, etc.

902. Coroll. 1. — Aliud est igitur progressum omnium facultatum a societate sub certis conditionibus promoveri, aliud est omnes socios in iis facultatibus colendis exerceri. Alterum ad societatis perfectionem pertinet, alterum et plurimis individuis et societati universæ vehementer noceret. E contrario, quanquam altiores disciplinæ non omnibus communiter de vulgo tradendæ sint, cavendum tamen est ne præclaris ingeniis aditus ad ea præstantiora studia præcludatur. Omnium quippe temporum experientia ostendit nobilissima ingenia e plebe non raro prodire; quæ ubi diligenti et apta institutione excolantur, utilissima in societatem officia conferre solent; ac propterea, si inculta et otiosa remaneant, magnis societas utilitatibus nudabitur. Quare tanto perfectior societas quæque dicenda erit, quanto communius elementaris institutionis accessus omnibus sociis patebit, et quanto diligentius ab altioribus studiis inepta ingenia arcebuntur, et ad eadem hæc studia præclaris quibusque ingeniis facilis aditus sternetur.

Unum autem hic notandum superest, terminos illos, *elementaris institutio et altiores disciplinæ*, esse relativos ad societatis cujusque statum civilem et politicum, ad perfectionem scientiarum, quæ apud earum singulas antea colerentur, ad seculum quo forte vivamus. Etenim in quibusdam facultatibus quod nostra

ætate in elementari institutione pueri docentur, aliis temporibus prodigium quoddam scientiæ habitum esset.

Coroll. 2. — Quæ de scientificis ac litterariis disciplinis a societate promovendis hactenus diximus, ad technicam pariter institutionem applicanda sunt. Artium namque mechanicarum perfectio et multum ad morale sociorum bonum confert, et plurimum materiali societatis perfectioni prodest, et prima est quæ in oculos advenæ observatoris incurrat. Nihil hic nobis dicendum est de mediis ad artes perficiendas idoneis; utrum utilius ad hunc finem sit eas opificum industriæ plane permittere, an artificum collegia, quibus earum directio committatur, instituere; utrum privilegia prosint, an obsint; utrum patentes litteræ dandæ sint, necne; et alia hujusmodi, quæ ad ordinem juris publici materialem pertinent. Intra moralis ordinis limites disserendo hic solum notabimus ad technicam sociorum institutionem promovendam teneri socialem auctoritatem, non modo ob materialis perfectionis socialis procurandæ officium, sed etiam ob aliud officium ab universali humanitatis lege et a jure hypotactico proveniens, ut scilicet societas pessimæ occurrat ignaviæ multorum parentum, qui, etsi fortunis carentes, ad aliquam tamen suos filios artem, cujus ope vitam sustentare queant, instituere prorsus negligunt, atque ita per socordiam et inertiam ad pauperiem atque ærumnas, per has ad delicta omnis generis eos miserrime præparant.

903. Pos. 438ª. — Civilis auctoritas potest ac debet technicæ puerorum institutioni opportune prospicere.

Prob. — Parentes quique tenentur suis omnibus filiis media congruentia præbere, quibus illi ad victum cultumque necessaria possint pro familiæ suæ conditione sibi comparare : et superioris auctoritatis est auctoritatis subordinatæ munus explere, quoties hæc officio suo desit. Ergo civili auctoritati jus et officium est curandi efficaciter, ut pueri omnes congruenti institutione excolantur, statim ac vires et corporis et rationis in iisdem evolvi cœperint. Si enim strictum civilis auctoritatis officium est opitulari iis sociis, qui sibi ipsis consulere nequeunt, multo magis tenetur eadem auctoritas opem ferre innocentibus iis pueris, qui, per incredibilem parentum ignaviam et crudelitatem, omni utili educatione destituti abire permittuntur, dum ipsi ad suas miserias non solum propulsandas sed etiam cognoscendas adhuc per ætatem inepti sunt.

904. Coroll — Quisque videt jure optimo nos paulo superius

dixisse technicæ institutionis apud pauperes familias procurationem socialem ad moralem ipsum societatis ordinem pertinere. Illa namque institutione omissa, plerique de plebe pueri vel supremam egestatem pati, vel delictis patrandis se dedere cogentur, vel otio marcescent, vel carceris aut capitis etiam pœnas subibunt.

In ea tamen institutione procuranda non solum parentum sed puerorum etiam jura observare societas debet, artem illis ediscendam atque exercendam quæ cuique illorum apte conveniat, seligendo paterna prorsus charitate, sicut paterna tunc officia supplet.

CAPUT IV.

De civili sociorum perfectione procuranda quoad eorum voluntatem.

ARTICULUS I.

De gravitate officii, quo tenetur societas ad suorum voluntates perficiendas, deque mediis in hunc finem adhibendis.

905. Pos. 439ª. — Maximum officium socialis auctoritatis est sociorum perfectionem quoad eorum voluntatem procurare.

Prob. — Finis proprius humanæ cujuslibet societatis est temporalis sociorum felicitas ad æternam subordinata (751). Atqui hominis felicitas et temporalis et æterna a voluntatis maxime perfectione pendet (42). Nam felicitas est propria et absoluta hominis perfectio : at propria et absoluta hominis perfectio in recto voluntatis illius ordine consistit (154). Quare sola voluntas humanæ et perfectionis et felicitatis propria sedes est (256). Ergo quæ ars hoc objectum sibi proponat, ut homines felices efficiat, ad eorum voluntatem perficiendam omnes suos conatus adhibere debet. Ergo socialis auctoritas totis suis viribus incumbere debet in hanc artem voluntatis humanæ perficiendæ, ad quam artem omnia humanæ politices media convergere oportet.

ætate in elementari institutione pueri docentur,
prodigium quoddam scientiæ habitum esset.

Coroll. 2. — Quæ de scientificis ac li
societate promovendis hactenus diximus
institutionem applicanda sunt. Artium
perfectio et multum ad morale socior
rimum materiali societatis perfec
in oculos advenæ observatoris in
est de mediis ad artes perficien
finem sit eas opificum indu
collegia, quibus earum di
privilegia prosint, an obs
necne; et alia hujusmo
lem pertinent. Intra
notabimus ad techr
teneri socialem a
socialis procur — plerisque
universali hu ...um assensum ob-
scilicet soci ...atio et passiones et sensus,
qui, etsi ...currente, actionem habent legibus
cujus o ...noxiam : et idcirco per hæc eorum ob-
atque ...uctoritas eas facultates determinare ad voluntatem
nas ...uam in eum scopum, in quem voluntas dirigenda est.
...rgo, etc.

907. Coroll. — Politica igitur ars ad voluntates perficiendas ordinata, quæ optime potest *civica populorum educatio* appellari, est ars publice individuis consociatis exhibendi talia objecta intellectionis, imaginationis et sensationis, quæ voluntatem excitent ad honestum, atque ad illud morali quadam necessitate inducant. Jamvero civica hæc educatio duplicem partem habet, alteram *positivam*, quæ objecta illa opportune proponit, alteram *negativam*, quæ contraria objecta procul amovet. Et ad voluntatem quidem a malo quolibet abstrahendam per intellectum pertinent pleraque eorum quæ in præcedenti capite disseruimus de civili sociorum perfectione quoad intellectum et de jure quod civili auctoritati ad errores omnes oppugnandos competit. Itaque restat, ut de positiva ratione voluntatis sociorum excolendæ nonnihil dicamus.

908. Pos. 441ª. — Debet civilis auctoritas voluntatem sociorum ad civilem perfectionem evehere, recta illis judicia ingerendo,

...toritate et ratione, tum indirecte per opportuna ...que opera.

Recta de bono ac malo judicandi ratio est ... tutissimum et omnium suavissimum me... ...luntatis adhæsionem ad bonum; quia ... ut judicia rationis sequatur. At sana ...ri possunt duplici via. Et 1. quidem ...n.

...ut plerosque saltem, socios stet ...e publicam auctoritatem con... ...ajestatis participationem, et ...asum habeant, nihil so... ...narchia; tunc socialis ...ociorum idcirco obe... ...a vel una sufficit ad ...endam, modo illa prudenter ...atur. Huic igitur sociorum ad pa... ...nfisa civilis auctoritas debet iisdem cum ...one præscribere quæcunque et honesta et ad ... bonum necessaria vel utilia sunt.

At 2° si ille qui socialem auctoritatem gerit, sociorum mentibus inserat etiam certam cognitionem rectitudinis, utilitatis, necessitatis eorum quæ ipse præscribat, tum vero voluntatis ad parendum alacritas duplicatur. Quum enim voluntas a cognitione ad agendum impellatur, non solum tunc cognoscunt socii bonum obedientiæ, sed etiam bonum quod obediendo obtinebunt. Sic et in maris tempestate et in prælio nautæ et milites navarcho et duci obediunt, quia obediendum est : at longe promptior et validior eorum et voluntas et actio erit, ubi plenam erga eum qui imperat, fiduciam habeant, et jussorum prudentiam atque utilitatem noverint. Ergo magna imperantis cujuslibet ars hæc est, ut subditis imperiorum suorum prudentiam persuadeat.

Expl. 2ª pars. — Quæ hactenus explicata est, *directa* populi institutio civica appellari potest. *Indirecta* huic alia est addenda, quam qui rem publicam gerunt, facile possunt multitudini præbere per innumera subsidia eorum semper auctoritati subjecta. Hujusmodi sunt publicæ ephemerides, theatra, scholæ et lycæa publica, solemnes ceremoniæ, monumenta et alia hujus generis. Quæ si eosdem sensus civiles et morales diversis suis modis ex-

906. Pos. 440ª. — Sola ratio voluntatis humanæ socialiter perficiendæ est congruus motus intellectui, imaginationi, passionibus ac sensibus hominis a civili auctoritate impressus.

Prob. — Voluntas humana ut perficiatur, debet illi motus in proprium objectum (19, 20) ita imprimi, ut, quamvis ea libera sit, tali nihilominus impulsioni obediat. Ut autem hoc a voluntate libera obtineatur, necesse est eamdem modo ejus naturæ congruente impelli. Impulsibus enim naturæ congruentibus plerique homines et plerumque obtemperant. Jamvero voluntatis natura hæc est, ut non agat nisi post objecti cognitionem (28); ut, objecto cognito, ad bonum honestum tendat (47); ut ejus tendentia ab imaginatione et passionibus vim et impetum accipiat (186) : imaginatio autem et passiones ad sensum pertinent, ut constat ex metaphysicis. In quibus motus principiis evidens est, multa civili auctoritati adesse media, quorum ope, etsi nunquam illa voluntatis reluctantis dominium absolutum adeptura sit, attamen, si prudenter illis utatur, a plerisque voluntatibus liberum quidem, sed certissimum assensum obtinebit. Intellectus enim et imaginatio et passiones et sensus, objecto illorum proprio occurrente, actionem habent legibus plane necessariis obnoxiam : et idcirco per hæc eorum objecta potest auctoritas eas facultates determinare ad voluntatem impellendam in eum scopum, in quem voluntas dirigenda est. Ergo, etc.

907. Coroll. — Politica igitur ars ad voluntates perficiendas ordinata, quæ optime potest *civica populorum educatio* appellari, est ars publice individuis consociatis exhibendi talia objecta intellectionis, imaginationis et sensationis, quæ voluntatem excitent ad honestum, atque ad illud morali quadam necessitate inducant. Jamvero civica hæc educatio duplicem partem habet, alteram *positivam*, quæ objecta illa opportune proponit, alteram *negativam*, quæ contraria objecta procul amovet. Et ad voluntatem quidem a malo quolibet abstrahendam per intellectum pertinent pleraque eorum quæ in præcedenti capite disseruimus de civili sociorum perfectione quoad intellectum et de jure quod civili auctoritati ad errores omnes oppugnandos competit. Itaque restat, ut de positiva ratione voluntatis sociorum excolendæ nonnihil dicamus.

908. Pos. 441ª. — Debet civilis auctoritas voluntatem sociorum ad civilem perfectionem evehere, recta illis judicia ingerendo,

tum directe auctoritate et ratione, tum indirecte per opportunam artium quarumcunque opera.

EXPL. 1ª PARS. — Recta de bono ac malo judicandi ratio est sine dubio et omnium tutissimum et omnium suavissimum medium ad obtinendam voluntatis adhæsionem ad bonum; quia voluntatis natura hæc est, ut judicia rationis sequatur. At sana et recta judicia populis ingeri possunt duplici via. Et 1. quidem per auctoritatem et per rationem.

1° Si firmum apud omnes, aut plerosque saltem, socios stet principium socialis obedientiæ, quæ publicam auctoritatem considerat ut divinæ auctoritatis ac majestatis participationem, et omnes, aut plerique saltem, socii persuasum habeant, nihil societati cuilibet exitialius esse quam sit *anarchia;* tunc socialis auctoritatis decretis ac legibus multitudo sociorum idcirco obediet, quia obediendum est : quæ obedientia vel una sufficit ad societatem et conservandam et perficiendam, modo illa prudenter ac solerter civilis auctoritas utatur. Huic igitur sociorum ad parendum propensioni confisa civilis auctoritas debet iisdem cum debita moderatione præscribere quæcunque et honesta et ad commune bonum necessaria vel utilia sunt.

At 2° si ille qui socialem auctoritatem gerit, sociorum mentibus inserat etiam certam cognitionem rectitudinis, utilitatis, necessitatis eorum quæ ipse præscribat, tum vero voluntatis ad parendum alacritas duplicatur. Quum enim voluntas a cognitione ad agendum impellatur, non solum tunc cognoscunt socii bonum obedientiæ, sed etiam bonum quod obediendo obtinebunt. Sic et in maris tempestate et in prælio nautæ et milites navarcho et duci obediunt, quia obediendum est : at longe promptior et validior eorum et voluntas et actio erit, ubi plenam erga eum qui imperat, fiduciam habeant, et jussorum prudentiam atque utilitatem noverint. Ergo magna imperantis cujuslibet ars hæc est, ut subditis imperiorum suorum prudentiam persuadeat.

EXPL. 2ª PARS. — Quæ hactenus explicata est, *directa* populi institutio civica appellari potest. *Indirecta* huic alia est addenda, quam qui rem publicam gerunt, facile possunt multitudini præbere per innumera subsidia eorum semper auctoritati subjecta. Hujusmodi sunt publicæ ephemerides, theatra, scholæ et lycæa publica, solemnes ceremoniæ, monumenta et alia hujus generis. Quæ si eosdem sensus civiles et morales diversis suis modis ex-

primant, vulgus ipsum vel rudissimum iisdem quoque sensibus imbuetur.

Hæc varia media indirecta quantam vim habeant ad bonas vel malas opiniones toti alicui populo ingerendas, luculenter ostendit funestissima publicæ doctrinæ ac fidei religiosæ corruptio, quam avorum et patrum nostrorum memoria, sophistæ ac seditiosi homines, pessimas opiniones undequaque propagando, invexerunt. At, quoniam error naturæ humanæ essentialiter repugnat, idcirco ejus dominatio semper et tyrannica et labilis erit : sensim etenim sophismata revelata patescunt et oppressores eversi concidunt. E contrario, ubi societas veritatem, eamque ab auctoritate protectam, susceperit, tunc illa et mentes ineluctabiliter subjicit, et suaviter voluntates inflectit. Ergo, etc.

909. Coroll.— Auctoritati diligenter cavendum est, ne, dum decretorum suorum honestatem atque utilitatem subditis patefacere vult, eorum consensum, quasi ad obligationem inducendam necessarium sit, mendicare videatur. Perspicuum est, si tale adesset periculum, ab omni ratiocinio in lege proponenda aut promulganda supersedendum esse. Vis enim auctoritatis per se sola constat, per se sola sufficit : legem autem auctoritas ratiocinio subditis commendans, subsidium quæreret incertissimum. Leges enim vel justissimæ atque opportunissimæ, rationibus sæpe fundantur vulgo inaccessis sive ob mentium hebetudinem, sive ob voluntatum malitiam.

Notetur vero illud, nos hic de suprema semper auctoritate loqui, nimirum de persona illa seu physica seu morali, quæ subditos omnes ordinandi jus habet, de eaque dicimus, eam in subditis per leges ac præcepta regendis, jure suo potissimum inniti debere. Longe aliter agendum esset apud concilium eorum qui jus suffragii deliberativi in re publica gerenda haberent. Hi namque omnes, quum sint supremæ auctoritatis participes, non gubernantur, sed ipsi gubernant. Quare eorum suffragium, non auctoritate ejus qui legem fert, sed rationibus, quæ legis opportunitatem demonstrant, fundari totum debet.

Optandum igitur et laudandum est, ut mentes subditorum ab imperante persuadeantur : at minime id necessarium est, quin imo periculosum sæpe atque impossibile, præsertim quum de præceptis ac decretis particularibus agitur. Facilius id fiet in generalibus et constantibus statutis, quæ proprie leges vocantur.

Qui enim rem abstracte considerat, utilitatum studio immunis, apertius rationis decreta perspicit.

910. Poss. 442ª. — Civili auctoritati potestas judiciaria, ut sociorum voluntates civili perfectione augeat, essentialiter competit.

Prob. — Hominum consociatio multa conjungit individua, a quibus diversa plane jura possidentur (l. 4, c. 2). Hæc autem diversa jura sunt respectu variorum individuorum magis aut minus evidentia, pro majore aut minore evidentia et absoluta et relativa earum veritatum, quibus singula illa fundantur (356). Atqui hæc judiciorum diversitas de juribus diversis perpetuam voluntatum et actionum diversitatem et pugnam etiam apud personas honestas et probas gigneret. Honeste namque et recte quisque vellet juri, quale ab illo cognoscitur, voluntates omnes subdi : jus enim est potestas secundum rationem ineluctabilis (363). Ergo, ut socialis auctoritas possit omnium voluntates conjungere atque in finem socialem ordinare, necesse est eam diversa illa jura determinare et apte componere ita, ut nullius subditi voluntati liceat a via quam auctoritas designaverit, ullo pacto recedere. Hæc potestas determinandi jura et officia inter subditos reciproca, dici solet *potestas judiciaria :* quæ quidem est unum e mediis efficacissimis ad obtinendum per rationis vias voluntatum consociatarum concordiam et perfectionem. Ergo, quoniam supremæ civilis auctoritatis est societatem universam apte ordinare ac perficere, ad supremam hanc auctoritatem, nimirum ad personam seu physicam seu moralem quæ illam gerit, essentialiter pertinet potestas judiciaria.

911. Coroll. — Hæc jurium privatorum determinatio, quæ a publica auctoritate facta sit, longe diversa est ab eorumdem declaratione quæ a privatis doctoribus emanaverit : hi namque nullum per se habent jus alienas movendi voluntates. Itaque eorum declarationes non aliam vim habent, quam eam quæ a veritate et a rationibus, quibus illæ nituntur, forte oriatur. At vero auctoritas, quoniam illa est per se ipsa jus voluntates associatas movendi, jura et officia subditorum efficit, quum illa ad commune bonum declarat, modo tamen in iis definiendis eas regulas sequatur, quibus auctoritatis legitimus usus efficitur, ut inferius dicemus.

912. Pos. 443ª. — Imaginationem et sensus sociorum debet civilis auctoritas perficere et negative, pravas illecebras removendo, et positive, objecta honesta simul et jucunda illis proponendo.

Expl. 1ª pars. — Ad delicta committenda excitantur plerum-

que homines objectis quæ sensus atque imaginationem delectant atque inflammant. Has igitur periculosas illecebras procul amovere debet auctoritas. Quod præstant tum jus pœnale, quo delictum efficitur delinquenti inutile et noxium et infame; tum *politia* quæ illud e latebris educit, atque in publicam lucem exponit, quoties illius revelatio ad ejusdem horrorem gignendum confert; e contrario quoties delicti obscena invitamenta sensus periculose excitarent, politia cavet, ut a publico saltem conspectu repulsum in tenebras abdatur, si prorsus illud impedire nequeat.

EXPLC. 2ª PARS. — Ut imaginatio et sensus prava objecta non concupiscant, debent illis congruentia alia objecta sed nulli virtuti repugnantia exhiberi, talia scilicet, quæ honesta oblectamenta et voluptates ad virtutem invitantes præbeant. Quare et in cæremoniis religiosis splendida ornamenta et pompæ illustres, in theatris actiones admirationem virtutis et odium improbitatis vel cum risu insinuantes vel cum terrore incutientes, in foro ludi et spectacula ad plebem et suaviter oblectandam et utiliter vel edocendam vel exercendam a civili auctoritate comparanda sunt.

913. POS. 444ª. — Honestas passiones ad civilem quamlibet virtutem utiles debet auctoritas, præmiis propositis, excitare.

PROB. POS. evidenter ex superius dictis n. 908. — Quum enim debeat auctoritas voluntatem sociorum per media humanæ naturæ congruentia ad perfectionem civilem adducere, et ad opus quodcunque arduum ac difficile passionum impetus sit humanæ voluntati necessarius (127), debet auctoritas opportune sociorum passiones ad commune bonum commovere. Igitur, sicut passiones ad delictum fugiendum impellentes publicis suppliciis excitantur, ita publicis propositis præmiis passiones ad præclara quæque facinora acuendæ sunt.

914. COROLL. — Princeps, ut superius jam notavimus (685), agere potest vel ut princeps, vel ut civis privatus. Ergo fortunas, sicut etiam amicos et servos, habere potest addictos vel suæ personæ privatæ, vel suæ auctoritati, vel suæ personæ ut supremam auctoritatem possidenti. Prima illa sunt bona *patrimonialia*, altera sunt *nationalia*, altera *regia*, seu *bona coronæ*, ut dici solent. Jamvero princeps, eo quod regia dignitate fulgeat, nequaquam amisit jus disponendi de suis bonis, prout illi visum fuerit: item nec amisit jus amicos et servos, quos peculiari fiducia complectatur, sibi deligendi. Ergo, quoties vel præmia de bonis suis personalibus dat, vel munera assignat ad suæ personæ curam spectan-

tia, in iisdem circumstantiis ac privatus quilibet civis versatur, et nemini licet ejus hac in re libertatem limitare, aut exposcere quod a privato quocunque homine exigi non posset. At, si præmia præter ordinem et jus daret vel de pecunia quam ad communes usus populi contribuunt, vel per munera ad publicam utilitatem destinata, tum hæc præmia essent illegitima et injusta.

915. Pos. 445ª. — In præmiis dandis binæ leges civili auctoritati servandæ sunt : 1ª ut proportio illius adsit ad opus præstitum, ad publicam æmulationem, ad promissionem datam; 2ª ut in præmiis decernendis eorum sumptus, in paribus circumstantiis, magis incumbant illis individuis, quæ majorem inde utilitatem percipiant.

Expl. 1ª lex. — Quo majus et quo difficilius est opus præstitum, eo majus sine dubio, absolute loquendo, præmium illi debetur. At fieri potest aliquando, ut opus quod per se parvi momenti est, et ei qui illud præstiterit, non magnam difficultatem atque incommodum attulerit, magno tamen præmio juste afficiatur sive ad aliorum æmulationem excitandam, ac majorem eo pacto utilitatem indirecte obtinendam, sive ad promissionis datæ fidem servandam. Hujus generis sunt præmia assignata iis qui novas terras in coloniis primi excolant, vel novas domos primi exstruant, et iis qui novas mechanicas artes inveniant. Quanquam enim omnia hujusmodi opera fructum directe illis qui ea præstiterint, majorem quam societati universæ afferant, attamen, quia publica æmulatio ad insuetas vias tentandas, ad novas artes inveniendas sic excitatur, idcirco majora illis præmia decernuntur.

Expl. 2ª lex. — Bonum sociale spectari potest vel ut bonum totius societatis, vel ut bonum singulorum sociorum; et sæpe fit ut quod societati universæ utile est, in aliquorum nihilominus sociorum commodum potissimum cedat. Ergo lex æquitatis tunc postulat, ut ad sumptus necessarios ii potissimum socii contribuant. Sic, *v. g.*, totius civitatis interest, ut fures detegantur, ut latrones comprehendantur. Tota igitur societas debet ad publicæ *politiæ* sumptus contribuere. At, si in graviore aliquo casu majora præmia debeantur ei qui furem detexerit, qui latronem tenuerit, æquum est ut quibus præcipue id utile fuerit, ii maxime ad præmiorum sumptus contribuant.

At vero id de paribus circumstantiis intelligendum est. Etenim, si, *v. g.*, in incendio vel in naufragio, miseri qui evaserunt, suis

fortunis amissis, præmia custodibus rependere cogerentur, immanissimæ id crudelitatis esset.

ARTICULUS II.

De objecto respectu cujus perfectio civilis sociorum voluntatibus comparanda est.

916. Pos. 446ª. — Objectum, respectu cujus debent sociorum voluntates civili perfectione ab auctoritate ornari, est patria.

Prob. — Civilis auctoritas debet voluntates sociorum dirigere ad bonum sociale subordinate ad bonum universale, nimirum debet efficere, ut socii omnes suam propriam associationem ament, juxta æternas leges ordinis. Etenim socialis auctoritatis hoc unum officium est, efficere scilicet ut societas finem suum assequatur. Atqui societatis finis est sociorum temporalis felicitas subordinata ad eorumdem felicitatem perpetuam (741) : ad eam autem felicitatem sociorum temporalem obtinendam necesse est, ut socii omnes ad commune bonum conspirent (n. 427, 746), nempe ut omnes et singuli pro sua virili procurent totius societatis bonum : atque hic ipse suæ societatis propriæ civilis amor est illud quod *amor patriæ* vocatur. Ergo, etc.

917. Pos. 447ª. — Rectus amor patriæ quinque objecta partialia respicit : hominum associationem ipsam, illius leges et instituta, personam quæ socialem auctoritatem gerit, singulos socios, domos ac territorium.

Prob. 1ª pars. — Patriæ nomine plura intelliguntur, quæ vel essentialiter vel integraliter pertinent ad eam societatem quæ patria cujusque hominis appellatur. Patria namque, ut vocis ipsius etymon indicat, est publica illa societas, cujus membrum erat pater, quum ille, de quo patria dicitur, natus est. Atqui 1° publica omnis societas est essentialiter certarum familiarum ac certorum individuorum congregatio. Ergo patriæ amor primum hoc postulat, ut velimus et procuremus bonum hujus integræ hominum congregationis, videlicet eorum omnium individuorum, qui sub eodem civili regimine, sub iisdem legibus, in eodem territorio vitam agunt, quatenus unicum ens morale, unicam associationem efficiunt.

2° Nulla societas consistere potest sine auctoritate, quæ apud illam vigeat (450) : hæc autem auctoritas, in se ipsa abstracte spectata, viget per leges atque instituta cujusque societatis propria.

Ad quas leges atque instituta pertinet etiam in quaque societate judiciorum, sensuum et affectuum complexio quædam, quæ, orta primum ab iis eventibus unde talis societas vel societatis forma emersit, et auctoritati ipsi et societati universæ indidit certam quamdam judicandi rationem, et certum quemdam *politicum* quasi *instinctum*, qui *sensus nationalis*, vel *spiritus publicus* appellari solet. Quævis enim societas particularis sub actione principii cujusdam associantis primum coaluit, atque ex elementis quæ ad certam individualem existentiam ei tribuendam concurrerunt (473). Ergo et leges et instituta cujusque societatis propria, et ejus sensum nationalem seu spiritum publicum amare, conservare ac perficere omnes socii maxima cura debent.

3° Impossibile homini est abstracta entia ita considerare, ut eosdem sensus quos erga illa fovet, non transferat etiam in objecta realia, in quibus illa concrete existunt. Sic odium improbitatis invisos etiam improbos quosque efficit, et absentis personæ amor caram ac venerandam ejus effigiem reddit. Itaque impossibile pariter est auctoritatem socialem amare, quin ametur persona illa seu physica seu moralis, in qua illa concrete subsistit atque operatur.

4° Quoniam integra societas individuis hominibus componitur, sicut societatem universam amare quisque tenetur, ita omnes etiam et singulas ejus partes debet simili amore complecti.

5° Ex amore quo et societatem universam et singula ejus membra quis prosequitur, amorem etiam publicarum ædium et privatarum domorum, quibus pagus aut urbs quæque constat, et territorii quod societas illa incolit, et cæterorum omnium, quæ ad ordinem ejus materialem pertinent, consequi necesse est. Etenim materialia hæc omnia præsidia sunt omnino necessaria societatis atque individuorum quibus ea componitur, conservationi. Ergo, etc.

918. Coroll. 1. — Quoniam quinque illa objecta partialia patriæ nomine comprehenduntur, evidens est patriæ amorem varios gradus variasque formas assumere posse pro diversis objectis illis ad quæ referatur.

Notandum præterea est incrementum multitudinis ad societatis cujuspiam perfectionem utique pertinere. Quare boni civis est curare ut patriæ amplitudo latius semper protendatur. Jamvero populi barbari, ideis materialibus unis affixi, et socialem magnitudinem aliam nullam quam materialem agnoscentes,

patriæ amorem convertere solent ad ampliores illi terras vi et armis occupandas. At populi humanis artibus exculti, quamcunque reipublicæ magnitudinem ordini et justitiæ subordinantes, patriæ amorem ita moderari debent, ut omnis generis incrementa rei publicæ semper per juris usum, nunquam per violentiam, quærant.

Coroll. 2. — Sensus nationalis, seu spiritus publicus, cujus conservatio certum amoris patrii argumentum est, duplici modo immutari potest : vel perfectionem acquirendo, vel in corruptionem abeundo. Et 1° quidem sensus nationalis perficitur eadem ratione qua societas et in ordine morali et in materiali cultu perficitur. Etenim moralis ordinis apud socios perfectio et mores publicos emendatiores, et delicta rariora, et pœnas mitiores paulatim reddit. Commerciorum autem socialium quoad extensionem perfectio sensim in societatem inducit prudentem quemdam *cosmopolitismum*. Per eam quippe socii assuescunt omnes orbis terrarum populos spectare tanquam plures unius societatis universalis familias, quin tamen peculiaris erga suam particularem societatem amor idcirco minuatur. Cultus denique materialis perfectio et morum urbanitate ac suavitate, et vestium decore, et domuum commoditate externas formas sociales expolit, animosque emollit quin eos enervet, ita ut, post aliquot lustra vel etiam secula sensus nationalis non propriam suam indolem amisisse, sed in melius provexisse reperiatur.

At 2°, si sensus nationalis in aliqua societate ad corruptionem vergat, ita mutabitur, ut propriam suam naturam prorsus amittat. Et primum quidem judiciorum et affectuum unitas ab ea recedet, sociorum opinionibus et voluntatibus in diversa abeuntibus; deinde majorum suorum vestigia legesque fundamentales, a quibus propriam suam formam societas illa desumpserat, delere omnino plerique conabuntur ; denique non jam arctiorem cum universali hominum familia conjunctionem, sed sui proprii esse mutationem in aliam formam extraneam et adventitiam affectando, servilis et misera morum externorum imitatrix societas illa evadet, cuidam addicta *cosmopolitismo,* qui vera apostasia nationalis est.

Coroll. 3. — Quæ in coroll. præcedente breviter indicata sunt, ostendunt quodnam sit essentiale discrimen inter societatem *stabilem* et *stationariam,* inter socialem *progressum* et *perturbationem* seu *revolutionem*. *Stabilis* nimirum est ea societas, apud

quam ordinis amor ita socios cum unitatis principio, idest cum auctoritate, conjungit, et auctoritatis intentiones ad æquum et justum ita dirigit, ut ordinatus in ea fiat progressus et quasi evolutio eorumdem principiorum, a quibus initio talis societas emersit. Contra *stationaria* est ea societas quæ omnem principiorum socialium progressum et evolutionem interdicit, ut apud Sinenses fit.

Quod si non eorumdem principiorum evolutio promoveatur, sed, veteribus eversis, alia principia, fortasse prioribus contraria, in eorum locum substituantur, societatis non progressus, sed *perturbatio* seu *revolutio* tunc habetur

Societatis perpetuo sine ulla perturbatione seu revolutione progredientis exemplum præclarissimum habemus in societate christiana, quæ, in ipso humani generis ortu per Adamum et Evam fundata, ulterius semper processit per successivas ejusdem principii evolutiones apud familias Sethi, Noëmi, Abrahami, tum apud gentem hebræam, tum demum in Ecclesia christiana, per talem formarum socialium mutationem, ut forma posterior nihil aliud sit quam ordinata explicatio jurium, promissionum et legum societatis præcedentis, quin ulla unquam interruptio seu saltus interveniat.

Socialium perturbationum seu revolutionum e contrario miserrima exempla nuper Gallia nostra præbuit. In ea namque societate, quam monarchiam ab episcopis constitutam merito appellare consuevimus, regimine monarchico repente et religione catholica sublatis, principium a quo illa constituta fuerat, et formam quam inde acceperat, prorsus amisit, neque amplius eadem societas est, quamvis idem elementum materiale, scilicet populum terras gallicas incolentem, servaverit.

Quod si, impiorum hominum violentia procul amota, apud Ludovicum XVI, et Carolum X, reges optimos, ex ordinis et justitiæ legibus actum esset, omnes profecto mutationes, quas præcedens rei publicæ mala administratio, quas temporum et morum diversitas revera postulabant, facillime obtentæ fuissent, quin tamen propria gallicæ nationi forma auferretur; atque ita Gallia per tutas ordinis et boni socialis vias progressa fuisset, quin veterem suam indolem per tot tantasque omnis generis calamitates repudiaret.

Coroll. 4.— Duo potissimum sunt ad quæ præstanda tenemur officio amoris erga personam quæ auctoritatem supremam in so-

cietate gerit. Quum enim aliquem amare sit ejus bonum velle, bonum personæ auctoritatem gerentis duo complectitur, auctoritatis nempe conservationem et ejusdem perfectionem. Jamvero 1°, quod ad auctoritatis conservationem spectat, quoniam auctoritas in tali persona concrete existens est compositum quoddam ex physica persona et ex morali potestate, velle bonum personæ auctoritatem gerentis est velle ut ea persona vivat, atque ut auctoritatis suæ possessionem retineat. Hinc vero officium concrete diversum in diversis politici regiminis formis enascitur. Nam in monarchia electiva amor ille principis debetur individuo regnanti; in monarchia hereditaria, regnanti familiæ seu dynastiæ; in polyarchia, pluribus illis vel personis vel familiis vel cœtibus, in quibus suprema auctoritas residet. Itaque patriæ amor essentialiter includit officium auctoritatis conservandæ in individuis, ad quæ illa jure pertinet. Quod quidem non solum ordinis et justitiæ lex, sed publica etiam utilitas omnino postulant. Stabilitas namque illius qui rem publicam gerit, ad publicum bonum prorsus necessaria est.

2° Quod vero pertinet ad perfectionem principis procurandam, perfectio cujusque entis consistit in eo fine obtinendo ad quem illud a Creatore destinatum est. Jam finis hujus entis ex homine et ex suprema auctoritate compositi duplex esse debet, alter ad hominem, alter ad auctoritatem spectans. Ergo subditi omnes debent efficaciter optare, 1. ut persona supremam auctoritatem gerens et Bonum Infinitum, quod est finis hominis, et bona finita, quæ sunt media ad Infinitum obtinendum, assequatur; 2. ut ejus suprema auctoritas societatem ab eo gubernatam felicem in temporali ordine efficiat; ad hunc enim finem publica auctoritas ordinata est; atque ut ad hunc finem per vias ordinis et justitiæ perveniat : ordini quippe ac justitiæ humana quævis felicitas essentialiter est subordinata.

Coroll. 5. — Quæ de persona principis efficaciter amanda diximus, eadem ad personas auctoritate aliqua inferiore instructas, et ad ipsas quoque personas subditorum quorumlibet ex æqua proportione applicanda sunt. Sociorum enim quorumvis bonum velle erit velle et bonum illud quod omni homini debetur, et peculiari modo illud bonum quo individuum quodque associatum eget. Posterior hic amor appellari *amor civicus* potest, quippe qui fundetur in relatione civica, nimirum in eo vinculo, quo plura individua obligantur ad convivendum in eadem publica

societate. Bonum autem quod immediate per talem associationem exquiritur, est major quædam honeste vivendi facilitas (735) seu naturalis felicitas temporalis (270). Et officium quidem inde proveniens eo spectat, ut ad publicam felicitatem sub auctoritatis publicæ directione quisque pro virili cooperetur (842). Jam, quoniam auctoritas ordinatrix dupliciter potest commune bonum procurare, nempe et liberum cuique jurium suorum usum servando, et positivam directionem et subsidium addendo (841, 739), hic amor civicus pariter duobus modis exerceri potest, scilicet vel ex positivo civilis auctoritatis præcepto, vel ex libero generosi animi impulsu.

919. Pos. 448ª. — Amor patriæ in amore parentibus debito, in officio fidelitatis erga societatem, in privata cujusque utilitate fundatur.

Prob. 1ª pars. — Amor patriæ est amor ejus societatis cujus membra erant parentes quum ille de quo patria dicitur, natus est. Ergo eatenus quisque homo tenetur ad patriam suam amandam, quatenus ejus parentes erant membra seu partes certæ cujusdam societatis, quæ patria pro illo vocatur. Atqui amor partis alicujus non potest ab amore totius separari, quando bonum quod nobis a parte provenit, essentialiter a toto illo dependet. Porro autem a patria securitatem et parentum et nostram pro bonis omnibus et personalibus et realibus et moralis et materialis ordinis habemus : patriæ item debemus quidquid parentes nostri de communi bono seu physice seu moraliter participant. Ergo, sicut parentes nostros, ita etiam patriam, a qua parentum bona omnia dependent, amare debemus. Ergo amor patriæ est necessaria consequentia sive extensio amoris quem suis quisque parentibus debet.

Prob. 2ª pars. — Si ejusdem societatis, ad quam parentes nostri pertinebant quum nati sumus, etiamnum ipsi membra esse pergamus, tunc, hoc ipso quod sumus cum cæteris associati, profitemur nos ad commune bonum conspirare (425). Ergo, ne huic publicæ professioni desimus, debemus bonum societatis procurare pro viribus.

Prob. 3ª pars. — Maxima bona quæ a societate quisque pro se accipit, a tranquillo et prospero societatis universæ statu dependent. Atqui, ut tranquillus hic et prosper societatis universæ status habeatur, necesse omnino est singulos socios ad commune bonum conspirare. Ergo privata etiam cujusque utilitas, etc.

920. Coroll. — Hæc sunt præcipua fundamenta officiorum, quibus erga patriam quisque suam obstringitur, et quorum exsecutionem ordinatam promovere apud sociorum voluntates publica auctoritas debet. Ordinatam, inquam, exsecutionem : quia manifestum est varios gradus in vi obligante horum officiorum adesse respectu variorum objectorum, quæ patriæ nomen complectitur. Arctior namque est obligatio quæ ad totum, quam quæ ad partem, quæ ad partem intelligentem, quam quæ ad materialem, quæ ad ordinantem, quam quæ ad ordinatam refertur, atque ita porro de cæteris, juxta leges quæ proportionalem jurium et officiorum valorem dirigunt (371,379).

CAPUT V.

De civili sociorum perfectione procuranda in ordine materiali.

ARTICULUS I.

De generali justitiæ lege pro contractu omni bilaterali.

921. Notandum. — Omnia quæ ad materiale societatis bonum pertinent, ad hæc tria capita reduci possunt : ad populi multitudinem, ad territorium, ad divitias. Igitur explicandum hoc loco esset, quænam socialia officia sint in conservandis atque augendis et populi multitudine, et territorio, et divitiis societatis. At vero populi multitudo ac territorium ad ordinem politicum potius quam ad civicum referenda sunt, scilicet ad societatis universæ unitatem et efficaciam perficiendam potius quam ad singula individua, et in se ipsis et in mutuis eorum relationibus, ad perfectionem ducenda pertinent. Quare, ad 10um librum, ubi juris politici principia trademus, priora illa duo capita rejicientes, hic solum agemus de socialibus officiis quibus commerciales relationes inter cives dirigendæ sunt.

Qua in re duplex boni genus associatio individuis affert : 1° Eorum divitias per media et moralia et physica auget;

2° præscriptionis lege pacificam bonorum possessionem confirmat. Jamvero ad Statisticam et ad Œconomiam Politicam pertinet inquirere quænam omnium opportunissima sint e tot mediis physicis, quibus civium divitias augere societas potest. Hoc unum hic nos in memoriam revocabimus, quod jam ante dictum est (841), quoniam divitiæ sunt in ordine materiali *verum* quoddam *bonum utile*, auctoritatem teneri ad eas comparandas civibus opitulari per ea præsertim media, quæ vires individuorum excedunt, cujusmodi sunt publici cursores ad epistolas transmittendas, viæ ferratæ, telegrapha, et alia multa quorum ope locorum distantiæ, montium asperitates, oceani furores multo minora celerrimis hominum et mercium commeatibus et negotiorum promptissimis tractationibus obstacula opponunt.

At nostri instituti ratio, quum morales tantum humanæ actionis proprietates ac leges considerandas susceperimus, postulat ut de mediis tantummodo moralibus, per quæ dirigere ac perficere commerciales relationes potest societas ac debet, hic breviter disseramus. Quocirca proponenda primum est contractus bilateralis accurata notio; tum ea mutuationi ac fenerationi inter privatos applicanda; denique ad publicam societatem eadem est extendenda.

922. Pos. 449ª. — Fundamentalis lex justitiæ pro contractu quovis bilaterali est valorum utrinque mutuatorum æqualitas.

Prob. — Contractus quilibet est pactio libera, idest quam nec violentia extorqueat, nec jus prævalens imponat (641) : hæc enim est idea, quam nomine *contractus* omnes significamus. Ergo in contractu bilaterali unaquæque pars debet talia jura cedere quæ alterius partis cessionem ex æquo compensent. Quod si cessio minime sit alterutri parti libera, contractus vel nequaquam dominium transfert coram ratione et conscientia, vel hæc translatio in sua ipsa radice injustitiæ labe inficitur. Atqui in contractu bilaterali voluntas utriusque contrahentis est non quidem donandi, sed permutandi, scilicet valorem æquivalentem obtinendi. Ergo, quoties, vel fraude vel vi vel metu injuste imminuta aut prorsus extincta contrahentis in consensu dando libertate, plus aliquid ab illo extorquetur, quam is cedere voluisset, illud plus præter valorem æquivalentem est injuste acquisitum, sicut injuste a latrone acquisita est viatoris pecunia, quam hic metu mortis imminentis solummodo cessit. At, si plus illud libere a contrahente concedatur, quoniam jurium suorum alienabilium

quisque dominus est, non potest solo jure naturali hæc voluntaria alienatio interdici. Ergo, etc.

923. Pos. 450ª. — Rerum valori quatuor sunt præcipuæ bases reales : publica æstimatio, raritas, operositas, atque utilitas.

PROB. 1ª PARS. — Hominum æstimatio sine dubio aliquid ad rerum valorem confert. Eo majorem etenim quæque res valorem habere dicitur, quo pluris, non unus aut alter quilibet homo, sed plerique homines illam æstimant.

PROB. PARTES 2ª ET 3ª. — In rebus æstimandis nequaquam sunt homines omnino liberi. Quum enim æstimatio sit judicium quoddam, nequaquam liberum nobis est judicare, *v. g.*, cadum aeris atmosphærici plenum tantidem valere, quanti valet vini aut olei cadus. Jamvero, si apud nostram conscientiam quæramus, quam ob causam tale nobis judicium impossibile sit, inveniemus primam causam esse, quod aër atmosphæricus in omnium potestate sit, nullaque sit illius sibi comparandi difficultas ; at vinum et multo rarius sit, et multas ad illud conservandum curas exigat. Ergo binæ aliæ valoris causæ sunt rei, raritas et operositas.

PROB. 4ª PARS. — Rei cujuspiam raritas et operositas ad illam obtinendam necessaria nequaquam sunt primæ et præcipuæ causæ quæ publicam illius æstimationem gignunt, sed in perspecta et explorata rei utilitate primum ac potissimum ejus æstimatio fundatur. Etenim existimatio est judicium approbationis ; approbatio autem supponit solidum aliquod in re approbata bonum. Jamvero bonum quod in rebus materialibus unum adest, in earum utilitate consistit. Ergo, etc.

924. Pos. 451ª. — Unicuique rei materiali est utique certus valor objectivus, minime arbitrarius.

PROB. — 1° Si rerum valor nihil aliud esset quam arbitraria hominum æstimatio, nulla jam amplius justitia contractuum objectiva superesset, sed omnes contractus essent justi aut injusti pro diversa contrahentium persuasione. Atqui hoc evidenter falsum est. Totum namque humanum genus contra contractus in se ipsis læsivos et injustos clamat. Ergo, etc.

2° In præcedenti positione ostendimus certas quasdam valoris determinati objectivi bases reales adesse : quibus profecto basibus valorem determinatum minime arbitrarium fundari necesse est, ut ex terminis ipsis constat. Etenim contrahentes minime possunt rerum naturam mutare efficiendo ut quod rarum inventu, operosum obtentu, utile adhibitu est, vel rarum non sit, vel non ope-

rosum, vel inutile. Ergo nec rerum valorem mutare possunt, scilicet judicium quod de quaque re plerique homines ferunt. Ergo, etc.

925. Coroll. — Falluntur igitur vehementer qui existimant rerum valorem esse arbitrariam voluntatum contrahentium creationem. Evidens est, eos valorem objectivum cum subjectivo, *pretium reale* cum *pretio affectionis*, confundere. Itaque prima valoris basis est objecti utilitas, ita ut quæ res omnino inutilis esset, nullum etiam valorem haberet. Deinde raritas objecti, et labor ad illud obtinendum necessarius sunt circumstantiæ quæ illius valorem augent. Communis denique opinio his basibus nititur et judicium ab iis causis deductum confirmat.

Quare quicunque necessariam rem quampiam alicui esse sentiens, hac necessitate abutitur, ut rei pretium obtineat superius valore, quem causæ nuper expositæ determinant, justitiam revera lædit, et contractum injustum facit. Alter namque contrahentium spoliatur jure, quod cedere minime vellet, quia æquivalens sibi nequaquam reddi intelligit.

Itaque 1° rerum æquivalentia bases omnino reales habet, variabiles utique, sicut variabiles sunt omnes relationes facto fundatæ, e quibus jura individualia enascuntur: 2. Rerum æquivalentia est conditio essentialis omnium contractuum bilateralium, æquivalentia, inquam, non ab eorum voluntatibus positivis, sed sinceris eorum judiciis constituta; quam quidem æquivalentiam postulat et contractus natura ipsa et naturalis hominum æqualitas (447). 3° Injustus est contractus omnis bilateralis in quo reciproca compensatio æquivalens non sit.

ARTICULUS II.

De mutuationis, de commodationis, et de pecuniæ natura.

926. Pos. 452ª. — Commodatio est temporaria translatio juris in rem quæ usu non elabitur: mutuatio est temporaria translatio juris in rem quæ usu amittitur.

Explic. — Quotiescunque rem aliquam alteri utendam tradimus ita ut ei cedamus temporarie jus disponendi de illa re, quam tamen nobis debeat postea restituere, eam rem illi *commodare* vel *mutuare* dicimur. At res, quas utendas alteri tradimus, diversæ naturæ esse possunt. Aliæ namque sunt, quæ usu sta-

tim elabuntur, atque ab utente nequeunt eædem amplius haberi : aliæ sunt quæ usu minime amittuntur. Quare, quum prioris generis objecta alteri utenda tradimus, totam rem ipsam ei cedimus : at quum objecta posterioris generis commodamus, rei commodatæ solum usum temporarie concedimus. Sic, si librum alteri commodem, dominium libri nequaquam cedo. Si enim illud cederem, posset ille alter librum vel in ignem conjicere vel in frusta lacerare. At, si panem alteri utendum tradam, quoniam panis utendo absumitur, totum ipsum panem eidem cedo. Jamvero temporaria cessio rei quæ usu non amittitur, *commodatio ;* temporaria vero cessio rei quæ usu elabitur, *mutuatio* proprie appellatur. Ergo, etc.

927. Coroll. — Est igitur objectivum discrimen inter duas illas commodandi rationes : neque ridiculæ abstractionis loco habenda est, ut aliqui volunt, distinctio illa commodationis solum usum, et mutuationis rem ipsam cedentis. Ex quo quidem objectivo discrimine magna quoque oritur diversitas legum moralium quibus commodatio et mutuatio subsunt.

Jamvero, duplici commodationis specie explicata, quærendum jam est, ad quam speciem commodatio pecuniæ pertineat, ut leges, quibus hæc parere debeat, determinari possint. Quocirca pecuniæ natura primum declaranda est.

928. Pos. 453ª. — Pecunia, seu moneta, est corpus quodpiam, sed præcipue metallum publica auctoritate signatum, ad rerum valorem indicandum et alio transferendum.

Explic — 1° Est corpus signatum ad valores indicandos et alio transferendos. Si commercia inter homines per simplicem rerum permutationem fieri oporteret, difficillima illa semper atque angustissimis circumscripta limitibus fuissent, ac porro essent. Si enim ipso mearum domuum, aut meorum agrorum, aut mearum frugum fructuumque valore, sine pecunia, merces quædam in America coemendæ mihi essent, agri et domus in Americam transvehendi essent, quod est impossibile ; fruges ac fructus illuc essent asportandi, quod est persæpe difficillimum ob locorum distantiam et mercium pondus, ac præterea plerumque prorsus inutile ; merces enim omnes ad hominum victum cultumque necessariæ ubique terrarum fere inveniuntur. Igitur, ut commercia facile ubique fierent, statuendum omnino aliquod medium fuit, quod et rerum valores fideliter repræsentet et parvæ molis sit, ut in regiones vel remotissimas facile trans-

vehi possit. Hoc medium est pecunia seu moneta : adeoque illa nihil aliud est quam *valorum vehiculum.*

2° Est corpus quodlibet, sed præcipue metallum, signatum ad eum finem. Pecunia profecto non est metallum quodvis signatum : tunc enim omnia numismata essent pecunia; quod nequaquam ita esse nemo ignorat. Contra, si pecunia esset solummodo metallum signatum, nulla esset pecunia sine metallo. Atqui et fuerunt et adhuc sunt, præsertim apud cultiores populos, monetæ non ex metallo, sed ex levi alia quavis materia, sed potissimum ex charta, constantes. Igitur tota pecuniæ essentia est in rerum valore constanter repræsentando et transferendo, quæcunque tandem illius materia sit : quod sane indicat *monetæ* nomen, a *monere* proveniens. Attamen metalli ductilitas, durities, divisibilitas et pretium intrinsecum effecerunt ut metalla potissimum ad hunc finem adhiberentur, tanquam aptissima ad valorum transferendorum signa accipienda et retinenda, ad eosque valores varia et quantitate et qualitate fideliter repræsentandos.

3° Pecunia est medium institutum ad valores indicandos et transferendos in hominum commerciis. Ergo debet talis esse, ut omnes socii teneantur ad eam pro certis valoribus accipiendam. Atqui sola publica auctoritas potest omnes socios sie obligare. Ergo pecunia seu moneta debet publica auctoritate cudi et signari.

929. Pos. 454ª. — Pecunia pertinet ad illud genus rerum quæ usu amittuntur.

PROB. — Pecunia nobis commodatur, ut illa utamur : utimur autem pecunia, eam alteri tradendo pro quapiam re quam hic nobis cesserit. Atqui evidens est pecuniam amitti ab eo, qui illam alteri tradat, nec posse illam amplius mutuanti identice reddi. Si enim identice pecuniam mutuanti reddere deberem, ab omni illius usu mihi esset abstinendum, atque illius mutuatio inutili metallo solummodo me oneraret. Ergo, etc.

ARTICULUS III.

De commodationis et mutuationis legibus,

930. Pos. 355ª. LEX 1ª. — Et damna et emolumenta ex rei traditæ dominio provenientia in commodatione cedunt commodanti, in mutuatione cedunt mutuatario.

PROB. — Uniuscujusque contrahentis voluntas sola est, quæ

qualitatem et quantitatem jurium alteri a se traditorum determinat (922). Atqui in commodatione qui rem commodat, solum usum rei tradere vult (927); in mutuatione contra mutuans rem totam ipsam mutuatario tradit. Ergo in commodatione dominium rei commodanti perstat; in mutuatione dominium rei transit ad mutuatarium. Etenim commodatarius, quoniam solum rei usum habet, non potest de illa disponere, debet eamdem numerice postea reddere. Ergo rei dominium non habet. At mutuans ita rem mutuatario tradit, ut ei permittat rem pro suo lubito dimittere aut destruere, dummodo suo tempore non quidem rem illam numerice eamdem, sed ejusdem speciei tantumdem illi reddat. Ergo mutuatarius habet absolute jus rei pro suo arbitratu consumendæ; ac propterea dominium in eo casu integre transfertur necessario ob rerum mutuatarum naturam. Atqui omnia quæ dominium rei cujuspiam consequuntur, naturali jure pertinent ad illum qui tale dominium habet. Ergo, etc.

931. Pos. 456ª. Lex 2ª. — Fundamentalis lex mutuationis est æquivalentia promissionis et pecuniæ præsentis.

Notandum. — Quoniam mutuatio pecuniæ præcipua est ac maxime usitata, idcirco mutuationem pecuniæ deinceps mutuationem simpliciter appellabimus.

Prob. pos. — Fundamentalis lex justitiæ pro contractu quovis bilaterali est, ut vidimus nº 922, valorum utrinque mutuatorum æqualitas, nimirum æqualitas dati et accepti. Atqui in pecuniæ mutuatione datur pecunia, et accipitur restitutionis promissio. Ergo ita debet fieri mutuatio, ut restitutionis promissio præsenti pecuniæ æquivaleat.

932. Pos. 457ª. — Restitutionis promissio interdum præsenti pecuniæ plane æquivalet, interdum inferioris valoris est.

Prob. 1ª pars. — Quotiescunque mutuans absolutam habet certitudinem, fore ut promissa restitutio a mutuatario revera fiat, hæc promissio prorsus præsenti pecuniæ æquivalet : quin imo, valoris illius dominio plane retento, per talem mutuationem pondere et mole pecuniæ liberatur. Atqui hæc certitudo sæpe habetur. Nam quotidie homines vel prudentissimi argentariis pecuniam suam tradunt, ut promissionem restitutionis sibi alibi faciendæ accipiant : hanc autem promissionem non solum tantidem, sed pluris etiam quam pecuniam præsentem habent : quod profecto non facerent, nisi certissimi essent se pecuniam suam sic non posse amittere. Et vero tot tantisque cautelis mu-

tuationes ejusmodi apud argentarios, et nonnullæ aliæ, munitæ sunt, ut nullum pecuniæ suæ amittendæ periculum supersit : quod sane experientia quotidiana ostendit. Nunquam enim accidit ut pecunia sic mutuata amittatur. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Æquivalentia promissionis et pecuniæ præsentis pendet tum a valore promissionis tum a valore summæ præsentis. Atqui I. promissio interdum non habet valorem æqualem pecuniæ præsenti. Nam promissionis valor, in restitutionis faciendæ certitudine consistens, a tribus elementis pendet : a promittentis fidelitate, ab ejusdem facultate, a cautelis quæ tutum restitutionis effectum reddunt. Jamvero, 1° promittentis fidelitas a duobus principiis oritur ; ab ejus probitate, quæ intimo virtutis amore illam recte disponit, atque ab utilitate quam in promissis ejusmodi fideliter et semper servandis promittens inveniat. Sic, *v. g.*, magnus quivis mercator, non solum iniquus, sed amens etiam esset, si levis alicujus lucri causa a data fide deficiens, existimationi suæ noceret, atque gravissima in suis commerciis, quæ fiducia potissimum nituntur, detrimenta pati vellet.

2° Promittentis facultas hypothecis et pignoribus tuta et secura aliquando effici potest, aliquando non potest.

3° Cautelæ, quibus restitutionis effectui prospiciendum est, tum a particulari cujusque providentia, tum præsertim a publica auctoritate pendere possunt. Quare, quanto firmius politica auctoritas in se ipsa erit constituta, quanto congrua tutela individuorum bonis fidelius et promptius ab ea præstabitur, tanto certior futura erit restitutio. E contrario, difficiliores mutationes fient, quando vel publicum regimen vacillat, vel magistratuum judicia aut venalia aut lenta sunt.

Atqui, ut quisque videt, hæc tria elementa, vel omnia simul, vel partim, minus ac minus firma esse possunt : ab humana quippe libertate atque a fortuito rerum eventu pendent. Ergo restitutionis certitudo illis innixa, ac proinde etiam promissionis valor, potest minor ac minor fieri, et præsenti pecuniæ inferior esse.

II. Pecunia pro quodam tempore commodata potest valorem habere majorem præsenti summa : potest enim hæc summa esse destinata ad negotiationis industrias, quibus illa brevi multiplicatur. Tunc vero pecuniæ valor est summa præsens cum illius fructibus. Ergo præsens pecunia potest valorem habere summa præsenti majorem.

933. Coroll. — Sunt qui existimant restitutionis promissum nunquam præsenti pecuniæ æquivalere. Cujus opinationis nonnulli hanc rationem afferunt : si promissio æquivalet pecuniæ, inquiunt, non est cur pecunia mutuo postuletur. Sed hæc ratio non solum falsa, sed ridicula etiam est. Eadem enim hac ratione probari potest, panem et pecuniam, qua panis emitur, minime esse æquivalentia ; quia, si essent æquivalentia, nihil esset causæ cur illa permutarentur. At profecto rei valor et ejusdem usus maxime distinguenda sunt : et panis et promissio alium plane usum habent quam pecunia; valorem nihilominus eumdem quam certa pecuniæ summa habere possunt. Pecunia quidem per manus omnium transmittitur, ad omnes necessitates subdividitur : promissio contra valet tantummodo apud eum qui ejus valorem cognoscere et adhibere potest ; qui quidem promissi valor magna ex parte pendet a complicatioribus formulis, quæ in quotidianis et minutis sumptibus observari prorsus nequeunt. Itaque differentia inter præsentem pecuniam et promissionem adest utique, sed tota consistit in earum usu ; neque ad earum valorem ulla ratione pertinet : atque idcirco ea differentia minime impedit, quominus una alteri æquivaleat.

Quod autem multos fallere hac in re solet, est major illa securitas qua spectamus id quod jam tenemus, præ illo quod ab aliis expectamus. At, quoniam hæc major securitas sæpe oritur solum ex apprehensione quadam imaginationis, pericula in rebus procul remotis vana fingentis, idcirco ea non potest esse rationabilis causa apud hominem qui, non imaginatione, sed ratione regi debet. Et vero pecunia quam penes me habeo non semper tutior est pecunia quæ penes alium sit. Possum enim et ipse decipi, fraudari, furto spoliari, sicut alius quilibet. Quod si in alio possum aliquam præterea timoris causam invenire, nimirum ejus fallibilitatem et utilitatum suarum amorem, hæc ratio utique aliis compensari potest quæ minus tutam apud me pecuniam quam apud illum reddant, ut, *v. g.*, si mea domus male custodiatur, si famulos suspectos habeam, et hujusmodi. Denique, si quam vim periculis illis promissionis ab imaginatione confictis supponere volumus, parem vim aliis periculis præsentis apud me pecuniæ tribuere necesse est. Quare summa finalis æquivalens utrinque esse potest : atque ubi promissio firma ac tuta est, ea pecuniæ præsenti prorsus æquivalet.

934. Pos. 458ª. Lex. 3ª — Quotiescunque pecunia apud mu-

tuantem infructifera esset, nullum fenus pro ejus mutuatione exigere licet.

NOTANDUM. — Quod mutuatarius solvere mutuanti præter summam acceptam ob talem mutuationem debet, fenus vocatur.

PROB. — Quamvis multis modis pecunia possit per industriam utentis fructum ferre, pecuniæ domino tamen vel voluntas vel modus ejus ad fructus ferendos adhibendæ quandoque deesse potest. Tunc vero talis pecunia est infructifera. Ergo qui talem pecuniæ summam alteri mutuam tradit, rem infructiferam mutuo dat. Ergo, ob legem æqualitatis inter datum et acceptum, cui contractus omnis parere debet, non licet ullum pro illius mutuatione fructum exigere : ea namque lex postulat ut res infructifera mutuo tradita, infructifera pariter restituatur. Ergo, etc.

935. COROLL. — Fenus quod injuste mutuans a mutuatario exigit, *usura* proprié vocari consuevit. Jam, ex num. præcedenti quisque videt, exsecrationem qua semper boni omnes usuram prosecuti sunt, non profecto ab invidia, a fanatismo, ab inertia, ab alieni amore, a falsa religione, vel ab aliis ejusmodi vitiis ortum habuisse, ut nonnulli stultissime affirmant; sed eas ab innato apud homines benevolentiæ et justitiæ sensu provenire. Per duplicem enim hunc sensum quisquis intelligit usurarium mutuatorem et crudeliter agere cum mutuatario, cui opitulari quum possit gratuita mutuatione, renuit, et justitiam graviter lædere, dum fenus indebitum exigit. Huc accedit damnum, quod societati usurarius affert, pauperes familias per indebita fenora opprimendo. Quare evidens est societati jus et officium esse fœdas hasce harpyias cohibendi, sicut fures et latrones coercet. Quomodo autem id efficere societas possit, non nostri instituti est explicare.

ARTICULUS IV.

De fenore legali.

936. NOTANDUM. — Aliud est usurarios cohibere, aliud est legale pecuniæ fenus determinare. Leges contra usuram constitutæ eo spectant, ut eam deleant vel saltem minuant. At leges fenus legale determinantes longe diversis innituntur rationibus ad socialem perfectionem pertinentibus. Priores illæ ad ordinem socialis tutelæ, posteriores ad ordinem socialis cooperationis spectant.

Quænam hæ rationes sint, paucis explicandum est, ut intelligatur quo fundamento legalis fenoris honestas insistat.

937. Pos. 459ª. — Civilis auctoritas utique suorum commercia, quantum potest, tenetur promovere.

Prob. — Civilis auctoritas sine dubio tenetur promovere illud, quod est bonum et omnibus individuis et particulari societati universæ necessarium, et universalis amoris officio postulatur. Atqui tale bonum sine dubio sunt civilia rerum commercia. Nam 1° humana individua profecto jus habent participandi varias opes ac fructus, quæ Creator in usus hominum per diversas ac sæpe remotissimas regiones disseminavit. Id autem sine commercio obtinere nullo modo potest. Commercia namque sola sunt quæ tigrium atque ictidum pelles, quæ Mokæ et Ceilani aromata, quæ aurum Peruvianum et Californiense, quæ Golcondæ adamantes et Comorini margaritas Europæis præbet. Quumque homo, ex Creatoris instituto, sit dominus terræ universæ et omnium quæ illa fert atque alit, hoc suo dominio aliter frui quam commerciorum ope nequit.

2° Ad societatis particularis materialem perfectionem tria hæc sunt necessaria : 1. ut permutatione eorum quæ habet superflua, possit sibi et necessaria comparare et suas opes augere ; 2. ut congruas utilitates ex manuum suarum operibus percipiat; 3. ut pulchras utilesque artes, quæ apud alios populos floreant, addiscere et ipsa atque exercere possit. Atqui tria hæc non aliter quam per commercium possunt obtineri, ut est evidens. Nam in hoc ipso commercia consistunt, in transvehendis ac permutandis apud alias gentes quæ populo cuique superflua sint, sive terræ fructus sive manuum opera. In hoc autem plurium ac diversorum populorum contactu et consuetudine, quam perpetua ejusmodi mercium permutatio postulat, artes ac scientiæ ab aliis in alios populos sua sponte transeunt : qui transitus sine commerciorum subsidio difficillimus esset.

3° Commercia inter varias gentes fieri nequeunt, nisi mutuis inter se humanitatis et benevolentiæ officiis devinciantur. Ergo commercia, dum societati cuique particulari materialem perfectionem afferunt, sunt etiam efficacissimum principium associationis universalis, qua naturale præceptum universalis charitatis inter homines observatur. Et vero varios terræ fructus variasque naturæ opes in varias regiones distribuendo, idipsum sine dubio Creator a populis assequi vult, quod ab individuis per variarum

necessitatum, facultatum, propensionum distributionem obtinet. Quare, sicut individua, ut Creatoris intentioni pareant, debent in societate aliqua particulari vitam agere, ita publica quæque societas, seu civilis auctoritas, ob eamdem causam, debet suorum commercia promovere, ad universalem populorum associationem, quam Creator intendit, efficiendam. Ergo, etc.

938. Pos. 460ª. — Ad commercia suorum adjuvanda debet civilis auctoritas mutuationes apud suos omni studio promovere.

Prob. — Civilis auctoritas debet suorum commerciis favere. Ergo debet promovere usum eorum mediorum quæ commerciorum prosperitati necessaria omnino sunt. Atqui commerciorum prosperitas mutuationum facilitati potissimum nititur. Commercium namque est summarum motus: ad hunc autem motum obtinendum necesse est efficere, ut summæ e manibus eorum apud quos otiosæ illæ jacerent, in manus eorum qui uti volunt, facile transmittantur. Mercator quisque vel ditissimus deberet otiosam domi summarum suarum bonam partem persæpe retinere, nisi mutuas ab aliis summas posset facile accipere. Commercia namque, ad ingentes mercium copias, prout occasio fert, coemendas, vim magnam pecuniæ præsentem sæpe requirunt, quam mercatores ipsi apud se non habent, ac propterea mutuam accipere debent, ne opportunam occasionem dimittant. Ergo civilis auctoritatis et jus et officium est summarum mutuationes faciles, quam maxime fieri potest, per congrua media reddere.

939. Pos. 461ª — Ad summarum mutuationes apud suos promovendas civilis auctoritas licite potest ac debet fenus mutuanti a mutuatario solvendum determinare.

Prob. — Civilis auctoritas debet mutuationes faciles, quantum potest, inter suos reddere. Atqui nullum aliud medium adest ad hunc finem obtinendum, quam fenus mutuanti solvendum. Nam summarum possessores adigi ad eas mutuo tradendas nequeunt, nisi ex duobus hisce modis altero, scilicet vel directe, possessores obligando ad pecuniam suam mutuo dandam, vel indirecte, eos, præmio proposito, ad tales mutuationes excitando. Atqui prior modus illicitus esset ac præterea ineptus. Illicitus quidem, quia repugnat legi fundamentali civicæ omnis actionis, quæ postulat, ut omnes æque socii ad commune bonum cooperentur: per illam autem obligationem impositam summarum possessoribus, gravius his unis quam cæteris sociis onus imponeretur.

Dicet aliquis mercatorum bonum ad societatis universæ adeoque et ad illorum pecuniæ possessorum bonum pertinere. At hoc bonum sociale in ipsos quoque mercatores redundat, qui hac ratione et bono illo personali a pecuniæ possessoribus dimisso, et sociali præterea bono utrisque communi uterentur, contra socialis æquitatis leges.

Sed ineptus præterea prior ille modus esset. Si enim summarum possessores ad tales gratuitas mutuationes obligarentur, maxima cura summas a se possessas celarent. Itaque talis obligatio, quam auctoritas vellet imponere, summarum motum, nedum incitaret, omnino impediret.

Ergo ad illas mutuationes promovendas nullum aliud medium superest, quam posterior ille modus indirectus, consistens in pecuniæ possessoribus alliciendis præmio proposito ad suam pecuniam mutuo tradendam. Hoc autem præmium nihil aliud est quam pecuniæ vis aliqua mutuanti præter sortem solvenda, quæ fenus vocatur.

Quod quidem fenus a mutuatario solvendum juste imponitur. Nam ordo justitiæ postulat, ut quibus mutuationes directe et præcipue utiles sunt, illi de suo compensationem aliquam præbeant proportionalem utilitati, quam ex illis percipiunt. Idipsum enim fit de aliis omnibus mediis, quæ ad socialem contrahentium tutelam auctoritas adhibet. Chartæ publico sigillo notatæ, publici actorum libri, judicia, hypothecæ, et hujusmodi, contrahentium ipsorum pecunia potissimum sustinentur. Sic etiam viæ publicæ tributis eorum quibus præsertim illæ proficiunt, et fiunt et conservantur, militum copiæ tributis populorum, qui illorum armis proteguntur, omnino sustentantur. Ergo, quum civilis auctoritas, sociorum auxilio ad mutuationes promovendas indigens, earum pretium publice statutum mutuatariis imponit, leges perfectæ æquitatis plane observat. Ergo, etc.

940. Coroll. 1. — Tria diligenter animadvertenda sunt. 1um Pretium illud mutuationum publice statutum nequaquam est fructus pecuniæ mutuo traditæ, sed est præmium publice destinatum ad mutuationes promovendas, et præmium pro utilitate quam societati mutuationes illæ pariunt. 2um Fenus legale ab usura toto cœlo differt. 3um Nemini dubium esse potest, quin præmium illud, seu fenus, accipere liceat. Quisquis enim bene de societate meretur, officii sui compensationem sibi oblatam accipere utique potest. Quod vero tale officium illi perfacile sit, non

efficit, ut eam compensationem respuere mutuator debeat. Etenim simul atque omnia præstitit quæ civilis auctoritas postulabat, jus ad illam compensationem acquisivit.

COROLL. 2. — Publica præmii determinati summas mutuantibus tribuendi promissio eo laudabilior, atque eo magis necessaria est, quo major summarum necessitas urget, et quo major gratuitarum mutuationum difficultas occurrit. Hinc factum est, ut quo longius ac latius populi quidam sua commercia propagarunt, eo major apud illos evaserit necessitas legum, quæ fenus legale determinarent. Crescentibus namque commerciis, aucta est mercium apud negotiatores circumeuntium quantitas, aucta est necessitas summarum, quæ illarum valores in negotiatione transferant: simul auctæ sunt causæ rationabiles, cur gratuito pecuniam suam tradere mutuam quisque renuat. Ob crescentes namque vitæ socialis necessitates ad infinitos sumptus et domesticos et commerciales necessaria est pecunia, cujus tamen summæ paucissimæ otiosæ jaceant. Huc accedunt etiam magnæ judiciorum in re politica, morali et religiosa mutationes, quæ apud plerosque populos paulatim factæ sunt, quæque gratuitas mutuationes perdifficiles effecerunt. Quamobrem cuique nationi necesse fuit, præmiis et congrua compensatione propositis, mutuationes promovere, nisi commercia apud suos prorsus eversa habere velit.

COROLL. 3. — Quoniam tanta est utilitas, quam ex legali fenore societas universa percipit, evidens est sociali auctoritati non solum jus, sed officium esse illius, saltem modo quodam generali, determinandi, ne privati homines fenoris exigendi consuetudinem illicite inducant. Quum enim ad privatos homines minime pertineat de publico bono judicare, et fenus pecuniæ mutuo traditæ exigi non nisi ob publicum bonum juste possit; si publica auctoritas fenus legale non determinet, privati quique homines alterum ex his duobus malis eligere debebunt, vel ut materiales suæ pecuniæ utilitates amittant, vel ut sacras justitiæ leges infringant. Ex iis enim quæ superius diximus, satis intelligitur, nemini privato licere fenoris exigendi consuetudinem primum inducere.

Diximus autem fenus legale ab auctoritate prorsus esse, *saltem generali quodam modo*, determinandum; quia nostrum non est inquirere, utrum auctoritas, compensationem illam pro mutuationibus concedendo, debeat illius quantitatem designare.

ARTICULUS V.

De legali præscriptione.

941. NOTANDUM.— Ad civicam perficiendam felicitatem divitiarum abundantia non sufficit. Necessaria civibus est securitas orta ex certitudine retinendi perpetuo quæ quisque possidet. Atqui huic possessorum tranquillitati, præter delicta, de quibus statim dicemus, aliud obstaculum in publica societate obest a societatis natura ipsa proveniens : quod quidem obstaculum eo majus fit, quo latius societatis evolutio et commercia crescunt. Atque hoc ipsum obstaculum oritur et crescit sub ipsa juris et justitiæ tutela. Etenim in statu hominum pure domestico apud familiam quamque patriarchalem unus est possidens, in unum omnes fortunæ coactæ consistunt. At in civili societate possidentes multi sunt; at alii prope alios commorantur, et agrorum limites se mutuo tangunt. Commerciis vero intervenientibus, infinita contractuum varietas hinc illinc alternatur, et sociorum opes, tum mobiles tum stabiles, perpetuos motus ab aliis in alios possessores habent. Jamvero in assidua ista contractuum et negotiorum vicissitudine, in tam arcto bonorum contactu, facillime fieri potest, ut fraus aliqua vel error vel deceptio irrepant, quibus deinceps multi contractus bona fide facti vitientur. Tunc vero, nisi remedium efficax huic malo afferatur, in perpetua sollicitudine atque anxietate cives versari oportebit, et unicuique possidenti, unicuique negotiatori seu mercatori timendum erit perpetuo, ne illa quæ possidet vel mercatur, aliquo veterum contractuum vitio infecta sint, earumqne possessione, quum minime cogitat, spoliatum se videat : quorum veterum contractuum argumenta afferri et propugnari tanto difficilius possent, quanto et complicatiora et antiquiora illorum documenta essent. Hoc igitur periculum, quo possidentium et mercatorum omnium, scilicet societatis pene totius, tranquillitas everteretur, a civili auctoritate efficaciter avertendum est.

942. Pos. 462ª.— Jure potest ac debet civilis auctoritas certos temporis limites determinare, ultra quos nemini liceat quocunque suo jure in rem ab alio possessam uti.

PROB. — Ad publicam societatis tranquillitatem, ad commerciorum prosperitatem, ad securitatem singulorum civium omnino est necessarium, ut ne perpetua subsistat apud possidentes quos-

que dubitatio de bonorum suorum seu mobilium seu stabilium vera proprietate. Etenim quamdiu quisque timere potest, ne repente aliquis exsurgat a quo bonis a se bona fide possessis juste spolietur, 1° perpetuis timoribus et anxietatibus boni quique cives vexabuntur; 2° crebræ inter cives discordiæ et luctæ acerrimæ existent; 3° pauperes et callidi homines omni arte perpetuo conabuntur divites suis opibus spoliare; 4° in hunc finem fraudes omnes a versutis atque improbis hominibus adhibebuntur ad testes et judices decipiendos vel corrumpendos: quæ sane judiciorum iniquitas quantam flagitiorum et calamitatum molem adducere soleat, quisque novit; 5° agrorum cultura, artium industriæ, commercia inertia et improvida jacebunt, enervata eo metu, ne futurum aliquando sit ut laborum suorum fructibus continuo priventur. Ergo et ad societatis tranquillitatem, et ad civium divitias tutandas necessaria prorsus est plena possidentium securitas.

Atqui, nisi certi quidam temporis limites ab auctoritate designentur, ultra quos nemo amplius possit rei proprietatem ob antiqua sua jura sibi vindicare, dubitationes illæ et metus et fraudum ac flagitiorum ac discordiarum pericula perpetuo subsistunt, ut constat ex notando n[i] præcedentis. Ergo et jure potest et debet socialis auctoritas vetera ejusmodi jura, quæ societatem universam perturbarent, post certum quoddam tempus antiquata ac deleta fore decernere. Etenim in ejusmodi casibus jus privati hominis ex oblivione vel alia de causa *omissum* colliditur cum jure *vigente* quod tota societas habet ad publicam pacem, ad fortunarum prosperitatem progressivam, et cum jure quod socii omnes habent ad suæ vitæ bonorumque suorum securitatem. Jamvero perspicuum est jus illud privati hominis infirmius jure societatis esse quoad omnes suos respectus (370, 371) : est enim minus evidens, et minus generale, et minoris momenti. Ergo, etc.

943. COROLL. 1. — Veteris cujuscunque juris in rem ab alio bona fide possessam post certum tempus abolitio, *præscriptio* vocatur. Itaque *jus præscriptionis* est jus tranquille rem possidendi post eamdem certo tempore et bona fide possessam acquisitum contra prioris domini jus quodcunque. Et *legalis præscriptio* est alieni cujuscunque juris in rem ab aliquo bona fide possessam extinctio post certum tempus lege definitum : *lex* autem *præscriptionis* est lex qua socialis auctoritas inquisitionem veterum

quorumcunque jurium in rem ab alio possessam post certum tempus vetitam esse decernit.

Jamvero illud notandum est, quum auctoritas vetera quæcunque illa jura sic delet, quoniam, ob eam collisionem quam nuper vidimus, lege ipsa naturali jam ea sunt eversa, declarari tantummodo jus minus a majore collisum et deletum esse. Quare præscriptionem universe natura ipsa postulat : certos autem præscriptionis terminos lex positiva designat. Quod quidem munus ad civilem auctoritatem eo magis pertinet, quod socialis ille morbus, cui remedium præscriptione apponitur, ab societatis natura ipsa enascitur.

Coroll. 2. — Veteris cujuscunque juris extinctio ista rationi eo magis est consentanea, quod vetus rei dominus, tanto tempore sui juris curam prætermittendo, videtur rem ipsam prorsus dimisse. Atqui res quæque dimissa et derelicta primi occupantis est (785). Ergo primus iste occupans et ipse jus quoddam habet, etsi minus in suo principio firmum, at certe in ejus continuatione evidentius, quam veteris domini jus.

Coroll. 3. — De præscriptione loquentes semper supposuimus rem bona fide possideri, nimirum cum sincera persuasione affirmante rem jure suam esse. Si enim mala fide quis rei possessionem adeptus esset, mala fide eam retineret, nullumque jus in illam habere unquam posset. Delicto namque nullum potest jus acquiri; quia ex delicto, quod juri opponitur, jus enasci profecto nequit.

ARTICULUS VI.

Diluuntur objecta.

944. Objic. contra pos. 458^{am} : — 1° Si mea pecunia apud mutuatarium fructifera fit, etiamsi apud me, qui mutuam illam tradidi, nullos fructus ferret, jus tamen habeo ad partem aliquam fructuum quos inde mutuatarius percipit. Quanquam enim eam pecuniam mutuo dederim, illius tamen dominus ipse sum : at fructus rei cujusque ad illius dominum pertinent. — 2° Qui mutuam pecuniam tradit, illius amittit usum. Ergo realem quamdam utilitatem amittit. Ergo, præter sortem illi reddendam, aliqua mutuanti semper debetur compensatio pro hac utilitate qua

privatur. — 3° Lucri a mutuatione percipiendi spe sublata, nulla jam ratio superest, cur pecunia nostra nos ipsos spoliemus, ut eam aliis mutuam demus. Quin imo absurdum factu videtur, pecuniæ suæ usu seipsum per aliquot annos privare, ut, his annis elapsis, illam solam eamdemque summam, quam quis mutuo tradidit, rursus accipiat et nihil præterea, dum mutuatarius ejus summæ usu, magnas fortasse divitias acquisivit. Ergo pro pecunia mutuo tradita, etsi illa apud mutuantem infructifera esset, fenus tamen aliquod a mutuatario debetur.

915. Resp. ad 1um : — Nego assertum. Prima namque illa propositio vel naturali hominum independentiæ repugnat, vel in se ipsa est contradictoria. I. Si illæ voces *mea pecunia* significant *pecuniam quæ mea fuit*, tunc perspicuum est eam pecuniam non esse amplius meam, scilicet alienam esse. Atqui injustum plane est velle ut aliena pecunia fructus mihi pariat, alienamque industriam mihi servire : id enim esset alium hominem, qui mihi naturaliter æqualis est, servum mihi efficere velle (795). Quare falsum est etiam, quod in objectione subditur, illius pecuniæ, quam mutuo dederim, me adhuc esse dominum. Jam enim superius ostendimus pecuniam pertinere ad illud genus rerum, quæ usu amittuntur; harum rerum temporariam cessionem mutuationem proprie vocari (909); per mutuationem proprie dictam ipsum rei dominium mutuatario temporarie cedi.

II. Quod si illæ voces, *mea pecunia*, significant me adhuc pecuniæ mutuo traditæ dominium servare, tunc contractus mutui, non est contractus *mutui*, sed contractus *societatis*; quod est contradictorium. Possum utique contractum societatis potius facere quam contractum mutui; at nunquam efficere potero, ut mutuum sit societas.

Ad 2um : — transeat 1um assertum. Sed nequaquam ex ratione adducta consequitur fenus accipi jure posse pro mutuatione pecuniæ infructiferæ : in ea namque status quæstionis prorsus immutatur. Etenim vel mutuans ille decreverat ea pecunia jacente minime negotiari, nempe ea pecunia non uti; et tunc, usum illius amittendo, nihil amittit : vel eam pecuniam in promptu tenebat, ut illa, ubi primum occurreret occasio, utiliter negotiaretur; et tunc potest utique fructum aliquem proportionatum lucro, quod ille amittit, ex ea percipere. Atque ob hanc ipsam causam morales doctores fenus aliquod exigi posse existimant, quotiescunque mutuatio ad longum tempus fit; quia scilicet ea

temporis diuturnitas, inopinata rerum adjuncta adducendo, damnum facile creare mutuanti potest.

Ad 3um : — Nego prorsus. Adest enim semper ratio benevolentiæ illius mutuæ, qua omnes homines alii alios vicissim ex naturali lege prosequi debent (743). Etenim, si idem bonum, quod mihi volo, et aliis velle debeo ob universale illud humanitatis officium, profecto debeo hoc bonum ipse illi facere, quum sine meo detrimento possum. Atqui pecuniam infructiferam alteri mutuam dare sine meo damno possum, etiamsi nullum fenus percepturus sim, quando restitutionis promissio tuta et secura est. Ergo debeo tunc gratuite pecuniam mutuam tradere : atque hoc meum officium tanto urgentius erit, quanto majus esset bonum, quo alterum, mutuationem negando, privarem, et quanto arctiora sunt vincula, quibus illi conjungor. Quare doctrina quæ 3a objectione continetur, prodit ab illo turpi egoismo, cujus principia sophistæ, dum philanthropiam suam magnis clamoribus jactant, et ipsi apud se manifeste excipiunt, et apud alios cum ingenti rei publicæ damno commendant.

LIBER NONUS.

JURIS SOCIALIS PARS QUARTA.

DE ACTIONE SOCIETATIS PUBLICÆ IN DELICTIS OPPUGNANDIS.

Jus pœnale

CAPUT I.

De juris pœnalis existentia et origine.

ARTICULUS I.

De juris pœnalis existentia in qualibet societate.

946. **Notandum.** — Etsi grammatice loquendo quævis culpa vocari *delictum* possit, attamen a juris doctoribus delictum dicitur ea solummodo *culpa, quæ aliena jura proprie dicta lædit.* Itaque ad delictum stricte sumptum constituendum tria requiruntur : I. ut sit *culpa,* nimirum actus malus libere a voluntate prodiens; II. ut *lædat,* scilicet ut damnum alteri reapse afferat; III. ut lædat *jus proprie dictum,* nempe tale jus cujus violatio et externe cognosci et exacte æstimari, atque adeo cum justa proportione puniri possit.

947. Pos. 463ª. — Societati cuilibet jus et officium est omnia delicta oppugnandi.

Prob. — Cuicunque societati jus et officium est propulsandi omnia illa quæ ad eam turbandam ac destruendam tendunt. Atqui quodvis delictum essentialiter tendit ad societatem labefactandam. Nam 1° delictum mediate ordini adversatur; lædit enim jus, quod est ordinis consectarium quoddam ab illo inseparabile (356). 2° Delictum societati immediate repugnat, quia lædit jus aliorum, nempe sociorum. Ergo, etc.

948. Pos. 464ª. — In quacunque societate jus et officium auctoritati est omnia et singula delicta congrue puniendi.

Prob. — Auctoritas in quaque societate est essentiale socialis ordinis principium, ad eamque pertinet liberas voluntates consociatas dirigere ad communem finem per media determinata (449); per eam unam denique omnis socialis actio exeritur (740). Atqui ordini sociali delictum quodlibet repugnat, et societati jus et officium est omnia delicta comprimendi. Ergo auctoritati in quavis societate hoc jus et hoc officium esse oportet obsistendi efficaciter cuilibet delicto. Non potest autem auctoritas efficaciter delictis contraire aliter quam congrua punitione adhibita. Experientia quippe quotidiana constat plerosque homines, atque eos maxime qui ad crimina et delicta patranda sunt propensi, nec honestatis amore, nec existimationis suæ cura, nec divinæ ultionis metu satis excitari ad leges sociales servandas atque ab alienis juribus violandis satis absterreri. Ergo, quod unum ad scelestos ejusmodi homines continendos idoneum restat, pœnæ congruentes a sociali auctoritate adhibendæ sunt ad delicta oppugnanda.

949. Coroll. — Duplex error in hac re obiter est hic animadvertendus. Alter est eorum qui docent potestatem executivam, cujus est leges generaliter constitutas ad singulos casus applicare, et potestatem judiciariam, cujus est de delictis commissis sententiam ferre, non posse, salva libertate et securitate civium, in eadem persona conjungi. Atqui ordinem violatum instaurare, seu *reordinare*, quod per delicti cognitionem et punitionem fit, pertinet profecto ad societatis ordinatorem. Societatis autem ordinator est persona illa, physica vel moralis, in qua una socialis auctoritas residet. Ergo ad eamdem personam pertinet potestas legislativa, potestas judiciaria et potestas executiva, de quibus 10° libro dicemus. Omnes enim hæ potestates pariter sunt ad socialem ordinem et constituendum et conservandum necessariæ. Quare commentitia illa necessitas distribuendi in plures personas potestatem judiciariam et potestatem executivam, sicut destruit unitatem principii a quo totus socialis ordo enascitur, ita ipsum quoque scientiæ politicæ fundamentum principium evertit.

Altero errore tenentur qui potestatem judiciariam uni supremæ auctoritati utique concedentes, existimant tamen ab una potestatis judiciariæ necessitate oriri necessitatem supremæ socialis auctoritatis. Quæ opinio prorsus a veritate aberrat. Nam 1°, quoniam naturaliter homo ad socialem vitam ordinatus est,

et societas ad certum finem per media *harmonica*, idest apte coordinata, tendit; et quoniam hæc mediorum harmonia et conspiratio in entibus liberis, quamvis non improbis, haberi nequit sine unica auctoritate, qua omnes socii ad communem finem dirigantur, idcirco autoritas aliqua suprema debet societati præesse. Ergo non hominum improbitas et judiciariæ potestatis necessitas, sed naturæ humanæ socialitas et libertas sunt primitiva causa quæ supremam auctoritatem necessariam efficit.

2° In quacunque publica societate binæ legum species et necessariæ sunt et semper adsunt : aliæ quæ socios dirigunt in mediorum socialium usu, honesta quædam media præcipiendo, noxia omnia vetando; aliæ quæ pœnarum comminatione improbos a delictis absterreant. Si homines amore honestatis semper in suis actionibus ducerentur, nulla utique pœnarum intentatio necessaria esset. Attamen adhuc deberet auctoritas eosdem dirigere in iis omnibus quæ ad bonum commune pertinent. Si enim secus fieret, nulla inter illos societas superesset (450). Eorum quippe omnium probitas efficeret quidem ut omnes ad finem honestum per media honesta tenderent, at minime faceret, ut omnes finem communem per media communia persequerentur.

930. Pos. 465ª. — Suprema socialis auctoritas jus, ei qui deliquerit, aliquando parcendi, salvo publico bono, ex sua ipsius natura possidet.

Prob. — 1° Mens quæ leges civiles condidit, erat limitata. Ergo non potuit in ipsa lege prævidere ac determinare omnes casus individuales, in quibus ei qui deliquerit, venia dari potest, aut etiam debet.

2° Tum res, tum personæ de quibus leges universaliter statuunt, sunt per se ipsæ mutabiles. Ergo non potest illis semper eodem modo applicari legalis punitio : debet enim punitio congruenter in singulis casibus applicari pro rerum natura, pro personarum demerito.

3° Finis proprius juris pœnalis potest aliquando integre jam atque evidenter esse obtentus, antequam vel ulla pars pœnæ, vel tota pœna fuerit inflicta. Ergo tunc justitia, si esset inexorabilis, fieret iniqua, pœnam prorsus inutilem infligendo.

4° Qui habet jus puniendi, debet etiam habere jus determinandi utrum pœna legalis applicanda sit necne. Ergo socialis auctoritas, sicut a sua ipsius natura habet jus publici ordinis tuendi, individualia jura protegendi, delicta quæque puniendi,

ita etiam ex sua natura habet jus eximendi a legali punitione, quando hæc exemptio nullum societati periculum parit.

951. COROLL. 1. — Ex dictis hoc intelligitur, etsi lex in commune bonum essentialiter ordinetur, ejus tamen exceptionem prudenter factam ad commune bonum pertinere. Nulla igitur est pugna inter potestatem parcendi et legem puniendi : proprii namque earum fines sunt plane diversi. Posterior hæc vult a delicto absterrere ; prior, salvo societatis bono, salutem miseri qui sine gravi malitia deliquerit, intendit : utraque autem ad bonum commune dirigitur.

COROLL. 2. — Duo circa parcendi potestatem notanda supersunt : 1° Ejusmodi veniæ solummodo ob commune bonum, adeoque perraro et gravibus de causis concedendæ sunt. 2° Quo perfectior erit legislatio, eo minus veniæ necessariæ erunt. At, quoniam absolute perfectum nihil apud homines haberi potest, idcirco parcendi potestas absolute negari vel aboleri nequit. Quæ duæ regulæ, nedum parcendi potestatem evertant, ejus potius supponunt necessitatem.

ARTICULUS II.

De juris pœnalis naturali fundamento.

952. NOTANDUM. — Quæritur, undenam jus puniendi, seu jus pœnale, societati proveniat. Morales doctores qui primum moralitatis principium in felicitate hujus vitæ collocant, hoc jus a propriæ suæ utilitatis amore omnes derivant. Attamen, ex hoc eodem principio profecti, varias deinceps vias ingressi sunt. Alii docuerunt ab individuis sociali auctoritati per pactum sociale jus pœnale, quo hæc in socios quoslibet animadvertit, fuisse traditum. At vero jam lib. IV, cap. 4, art. 1, vidimus pactum illud sociale prorsus esse commentitium, non minus naturæ humanæ quam constanti facto repugnare, et plura continere absurda quæ illic enumeravimus. Quare falsa hæc sententia nulla indiget nova refutatione. — Alii jus pœnale putant enasci a naturali jure suæ defensionis ; hoc autem jus defensionis deducunt a præsentis utilitatis amore, quod primum humanarum actionum principium constituunt. Unde colligunt potestati puniendi nullum esse jus pœnæ infligendæ, quum delictum jam est omnino præteritum. At quoniam in statu sociali delictum quodvis impunitum ad regerminandum

tendit, idcirco a delicto futuro, aiunt illi, punitio delicti præteriti licita efficitur. Hanc opinionem statim paucis refellemus.

953. Pos. 466ª. — Jus pœnale societati nequaquam primarie et complete provenit a jure suæ propriæ defensionis.

Prob. — 1° Apud omnes omnium ætatum populos idea pœnæ legalis est idea punitionis. Ubique enim gentium semper et communis persuasio et usus tum domesticæ tum publicæ societatis hoc habuerunt, quidquid male gestum sit punitione et castigatione dignum esse. Punitur autem et castigatur, ex communi hac persuasione et usu omnium populorum, non quidem delictum futurum, sed præteritum, etiamsi futuri damni periculum omne a punitore absit. Sic pater filium punit, etsi nullum sibi a filio damnum timeat. Ergo, etc.

2° Si jus pœnale apud homines oritur a jure propriæ suæ defensionis, ex eodem hoc principio Deus habebit jus puniendi. Ordo namque rationis et justitiæ æternus est, universalis et immutabilis, ut ex Metaphysicis constat; et notiones ordinis et justitiæ quæ in humana mente lucent, æternis ideis ordinis et justitiæ in divina mente lucentibus profecto sunt conformes. Ergo, si idcirco solum humanæ societati ex justitiæ ordine licet delicta punire, ut futura delicta vitentur, hæc sola etiam Deo causa puniendi erit, ut scilicet futura delicta vitentur. Ergo æternæ Dei justitiæ minime licebit humana delicta punire, quum jam nova delicta nequeunt ab illis committi. Nimirum nulla hominibus post præsentem vitam punitio infligi a Deo poterit : tunc enim meriti ac demeriti homines jam incapaces erunt. Atqui hoc falsum et absurdum est ob ea quæ constituimus tum de ordine et justitia generaliter (222), tum de merito ac demerito (223), tum de legis naturalis sanctione (349). Ergo, etc.

954. Pos. 467ª. — Jus pœnale habet societas ex naturali suo jure et officio ordinis socialis custodiendi.

Prob.— Vi socialis primi principii, *Bonum aliorum fac*, auctoritas socialis, essentialiter destinata ad omnes socios ad communem finem per ordinatum mediorum communium usum dirigendos, habet jus et officium eos omnes et singulos ad ordinem efficaciter revocandi, quoties ab ordine deflectunt (947). Atqui ordo in æqua rerum proportione consistit : æqua vero proportio inter actum humanum et illius effectus ac consequentias postulat, ut boni et felicitatis possessio ab actu honesto proveniat. Ergo delicti felicitas est per se ipsa gravis inordinatio (222,223).

Ex hujus inordinationis evidentia fit, ut athei divinam ullam esse providentiam qua mundus gubernetur, negent, quia multa in mundo delicta impune committuntur : exinde etiam fit ut ficta felicitas ficti cujuspiam scelesti hominis in theatris omnium spectantium animos ad indignationem excitet.

Atqui hanc inordinationem non potest societas reordinare in vita futura; quia illius actio ad externum ordinem in præsenti vita custodiendum tota destinata est. Ergo debet illam in vità præsenti restituere. Ergo societas, quantum in illa est, efficere debet, ut cuique delicto respondeat imminutio aliqua socialis boni et felicitatis materialis gravitati delicti proportionata. Hæc autem *boni sensibilis imminutio ad malæ actionis compensationem* est illud quod *pœna* vel *punitio* dicitur. Ergo, etc.

955. COROLL. 1.— Delicta congruenter puniendo societas primo sociali officio tripliciter satisfacit, nempe erga delinquentem, erga socios, erga Creatorem. 1° Erga delinquentem; quia bonis materialibus eum minuendo, incitamentum, quantum in illa est, eidem præbet ad quærendum bonum honestum; verum hominis, etiam in vita præsenti, bonum. 2° Erga socios; quia corrigit inordinatum judicium, quod delicti prosperitatem videntes tulerant. 3° Erga Creatorem, qui universalis societatis conditor et supremus ordinator est; quia custodit ac propugnat inviolabiles naturalis justitiæ notiones quibus ab illo universalis societas fundata est. Hac ratione ordo a delinquente violatus resarcitur in triplici ejus respectu, nimirum in respectu individuali, in sociali, et in universali.

COROLL. 2. — Ex principiis quibus pos. 468^{am} confirmavimus, intelligitur falsam doctrinam eorum qui jus pœnale a jure suæ defensionis totum deducunt, a falsa notione boni et felicitatis humanæ ab ipsis antea constituta enasci. Quum enim statuerint bonum hominis generaliter in jucunda sensatione situm esse, colligere inde debuerunt in jucunda sensatione consistere eam felicitatem, ad quam quisque in societate habet jus inalienabile. Hinc vero consequitur, in eorum doctrina, delicti præteriti non amplius periculosi punitionem esse per se illicitam, quia hominem privaret ea felicitate ad quam ille jus omnium validissimum habet; tuncque solummodo pœnam delinquenti infligi juste posse, quum bono delinquentis anteponenda est proprii boni tutela; debere igitur inter jus puniendi et jus delinquentis ad felicitatem adesse collisionem, ut punitio justa sit; quia pœna quæ-

libet in ipsa sua notione includit subtractionem, vel totalem vel partialem, felicitatis respectu illius qui punitur.

At vero punitio, ut nuper vidimus, nequaquam est subtractio felicitatis vel boni simpliciter, sed boni sensibilis. Unde statim quisque videt, bono sensibili aliquo delinquentem privando, bonum honestum eidem afferri, et idcirco ejus bonum absolute per punitionem minime diminui.

Quare jus pœnale nequaquam oritur ex *collisione* inter jus societatis et jus delinquentis, sed potius ex *cooperatione* societatis ad bonum istius. Honestas etenim, quum sit bonum per se illimitatum, potest ab omnibus possideri, quin unius possessio alium privet : ac propterea nulla unquam in boni honesti prosecutione collisio occurrere potest.

Igitur doctrina quæ jus pœnale ab ordinis necessitate deducit, essentialiter pacifica et sincere philanthropica est, quia homini delinquenti exhibet verum bonum, ac tale bonum quod omnibus commune sine ullo singulorum detrimento esse potest. At e contrario doctrina quæ jus pœnale a sensibili utilitate derivat, essentialiter hostilis est atque inhumana, quia homines alios in alios concitat ut sibi quisque arripiat bona illa materialia, in quibus falsa ea doctrina hominis felicitatem collocat.

Quamobrem iis qui præteriti delicti punitionem per se illicitam esse volunt, quia illa esset felicitatis subtractio, possumus eadem argumentatione evidenter probare chirurgo nequaquam licere membra vel incidere vel amputare; quia quælibet incisio ægrotum cruciando, eumdem privaret felicitate ad quam ille habet jus inviolabile. Responderent illi sine dubio hunc cruciatum esse ægroto perutilem, quia tendit ad illum restituendum ad statum normalem. Atqui normalis status hominis est ordo. Ergo omnis justa punitio, ut quæ ordinis restauratrix est, non boni sed mali est subtractio. Hinc sæpe fit, ut delinquentes capite damnati sententiam capitalem libenti et grato animo excipiant, quia scilicet supplicium sibi esse utile ad suum verum bonum obtinendum sentiunt.

Coroll. 3. – Juris pœnalis fundamenta super æternis ordinis et justitiæ principiis, modo nuper exposito, collocata plurimum valent ad applicationes totius juris pœnalis determinandas. Unicam hic applicationem afferemus ad divinam justitiam in æternis suppliciis infligendis ab sophistarum calumniis vindicandam.

Quoniam justitia etiam humana, quin imo ipsa rerum essen-

tia, postulat, ut qui ad verum suum bonum non tendit, ad ejus possessionem et fruitionem non perveniat (19, 20), voluntas quæ ad falsum bonum tendit, sese ipsa in statu violento et infelici collocat; ac si obstinate ad illud contendat, sese in statu irreparabilis infelicitatis constituit. Atqui voluntas sæpe obstinate ad bonum falsum tendit, etiamsi non levia mala, et quandoque gravissima exinde colligat. Sic non raro latrones ad supplicium ducti, ferrum quidem quo plectendi sunt, at non homicidia a se patrata detestantur : et multo sæpius luxuriosi homines horrendis consumpti morbis ingemiscunt, obscenas tamen voluptates, quæ morbos illos pepererunt, minime aversantur, quin imo illas maxime adhuc concupiscunt. Ergo hic est naturalis status voluntatis plane depravatæ, ut sua crimina etiam sub pœnarum ictibus amet. Ergo voluntas, quæ ad ultimum usque vitæ spiritum, in prava ad malum tendentia obstinate perseveravit, atque ita ad summum moralis depravationis gradum pervenit, post mortem naturaliter in eodem illo statu obstinatæ ad malum tendentiæ perseverabit, quamvis suorum criminum pœnas patiatur. Atqui, prava hac tendentia perdurante, debent etiam perdurare tum privatio veri boni, quæ inde necessario consequitur, tum effectus falsi boni quod adhuc prava sua cupiditate prosequitur, scilicet positiva pœna sensibilis. Quapropter talem voluntatem vera felicitate donare, aperta contradictio esset, atque ordinis violatio et injustitia. Ergo, posita pravæ voluntatis obstinatione, æterna justitia potest ac debet eam æternum punire, etiamsi nullum inde detrimentum aliis entibus proveniat.

CAPUT II.

De propriis juris pœnalis fine et medio.

ARTICULUS I.

De proprio juris pœnalis fine.

956. Pos. 468ª. — Punitionis ab humana societate infligendæ triplex finis est : delinquentis correctio, ordinis socialis reparatio, sociorum efficax admonitio.

Prob. facile ex dictis in postremo articulo capitis præcedentis et in art. 3, cap. 4, libri secundi. — Nam 1° societas debet cujusque socii verum bonum procurare, eosque omnes ad ordinem servandum efficaciter impellere (947). Ergo, si quis eorum ab ordine deflectens in malum tendat, debet illum congrua punitione exstimulare, ut a malo recedat. Ergo delinquentis punitio illius correctionem intendit.

2° Societatis jus et officium est, ordinem externum apud socios omnes tueri : per ordinem namque externum societas debet socios omnes ad verum bonum perducere (735). Atqui per quodvis delictum ordo socialis turbatur, et non aliter quam punitione delinquentibus inflicta, potest externus ordo efficaciter restaurari et conservari (946, 947). Ergo ad externum ordinem reparandum debet societas delictum punire.

3° Delictum, si impunitum permaneret, scilicet si prospere delinquenti cederet, vehementer impelleret alios socios ad judicandum, posse illud utique ad humanam felicitatem conferre ; unde fieret, ut multo crebriora delicta committerentur, et societatis salus in grave discrimen vocaretur. Ergo, ne falsum ac perniciosum hoc judicium in sociorum mentes irrepat, debet socialis auctoritas efficere, ut nunquam delictum sit ad præsentem delinquentis felicitatem utile. Atqui hoc non aliter quam punitione obtineri potest. Ergo ad judicia sociorum circa delicti utilitatem *reordinanda*, idest ad salutarem eorum admonitionem sive exemplum, debet societas delictum quodvis congruenter punire.

957. **Coroll.** — Pœna igitur sive punitio est suapte natura et *medicinalis* et *reparatrix* et *exemplaris*. Possunt autem hi tres fines plus aut minus intendi a quaque societate, pro diversitate finis proprii, ad quem unaquæque spectat. Sic in domestica societate filiorum cum parentibus, cujus finis specialiter est filiorum educatio, pœnæ actio medicinalis magis intendi debet quam actio reparatrix. Contra, in societate politica, cujus finis proprius est ordo externus, damnorum reparatio et *exemplaritas* magis intenditur quam delinquentis correctio. At quanto magis tres illi fructus simul conjungi possunt, tanto perfectius punitio ordinata erit. Et positive quidem injusta esset pœna, quæ directe spectaret ad aliquem eorum effectuum excludendum.

ARTICULUS II.

De proprio medio ad juris pœnalis finem obtinendum.

958. Pos. 469ª. — Proprium medium, quo fines punitionis obtinentur, est boni sensibilis subtractio.

Prob. 1°. — Non potest homo puniri, nisi quatenus est morale agens (217). Homo autem, ut moralis, est voluntas libera quam ratio dirigit et sensus impellit. Jam ex tribus hisce elementis actionis moralis, sensus, seu bonum sensibile quo sensus movetur, est illud solum, quod positive voluntatem ad delictum committendum trahit. Nam ratio veritate solum movetur : voluntas vero, nisi a passionibus distrahatur, ad bonum rationale per se ipsa tendit (lib. I, nn. 47, 124, 125). Ergo ad hominem a delicto avertendum, subtrahendum illi est bonum sensibile, cujus unius gratia ad delictum patrandum excurrit.

2° Ex lege ordinis et justitiæ (222), illo bono minuendus est delinquens, quod sibi nefarie per delictum vindicavit, ut jam sumus libro I (223) argumentati. Atqui ad scelera contra socialem ordinem perpetranda solum bonum aliquod sensibile impellit. Ergo per boni sensibilis subtractionem delicta punienda sunt.

959. Coroll. — Tota socialis auctoritatis ars in delictis puniendis debet consistere in opponendo malo sensibili punitionis contra bonum sensibile delicti cum tali proportione, ut pœna congrue compenset et delicti inordinationem, et damnum actu noxio illatum, et falsa mentium judicia. Malum autem sensibile nihil aliud est quam boni sensibilis privatio, quia malum universe non est aliud quam privatio boni, ut ex metaphysicis constat.

Jamvero quatuor præcipuæ bonorum species homini sunt in ordine sensibili, nimirum *vita*, *persona*, *libertas*, *fortunæ*. Ergo quævis punitio debet delinquentem aliquo ex his bonis vel omnino vel partim privare. At illud potissimum sensibile bonum delinquenti subtrahendum est, cujus privatio magis directe opponitur excitamento boni sensibilis ad certum illud delictum invitantis.

Notandum hic etiam est *malum* non esse cum *sensatione* mali confundendum, sicut jam lib. I sæpius observavimus bonum a voluptate, quæ ab ejus possessione oritur, esse distinguendum.

Sic, si vulnus accipiam, perturbationem quamdam in animali organismo illud producit : hæc perturbatio est *malum sensibile*; si hæc perturbatio sentiatur, hic sensus erit *dolor* seu *pœna* sensibilis. Quare malum adesse potest, quin sentiatur; malum potest acriter sentiri, etiamsi leve sit, quamvis scilicet sit levis organica perturbatio. Dolor enim seu pœna est positivus effectus vis sensitivæ; malum vero est privatio status normalis sive ordinis in organismo animali, ex qua privatione dolor resultat. Jam illud est manifestum, quoniam bonum sensibile per delicta ab hominibus ideo quæritur, ut sensibilem voluptatem inde percipiant, seu *sensum* voluptatis, idcirco in punitione infligenda sensibile malum inferri non præcise ut organismus lædatur, sed ut doloris sensus incutiatur invito; quod quum sine organismi læsione aliqua fieri nequeat, hanc læsionem assumi ut purum medium ad alium finem illum obtinendum.

CAPUT III.

De justis pœnarum proportionibus.

ARTICULUS I.

De punitionis ratione servanda respectu delicti spectati in sua malitia substantiali.

960. Pos. 470ª. — Socialis punitio pro ratione tum perturbationis productæ in ordine externo, tum damni realis præteriti et futuri, tum perversionis judiciorum et in delinquente et in aliis sociis partæ infligenda est.

Prob. — Tres causæ sunt ob quas societas delinquentem punire debet, tria scilicet mala socialia ex delicto provenientia, quæ sunt : ordinis socialis perturbatio, damna realia ex delicto emergentia, et sociorum perversio. Ergo, quo magis unaquæque harum causarum in delicto determinato vigent, eo major punitio infligenda est.

Et 1° quidem punitio, ad ordinem turbatum restituendum, debet delinquenti tantum pœnæ seu doloris infligere, quantum

ille voluptatis seu boni sensibilis ex suo delicto sperabat. At ille profecto per suum delictum quærebat majus bonum sensibile habere quam antea possidebat. Ergo non solum bono sensibili per delictum acquisito privandus est; sic enim ad priorem statum, in quo ante delictum erat, solummodo reduceretur; sed tantumdem boni sensibilis ex iis quæ ante delictum possidebat, subtrahendum illi est.

2° Punitio debet damna resarcire. At quodvis delictum duo societati damna infert, alterum personæ directe per delictum læsæ, alterum indirecte societati perterritæ futuri damni timore. Ergo non solum damna præterita, sed etiam futura, ex æqua horum damnorum proportione resarciri per delicti punitionem debent. Ergo, quatenus fieri potest, tantum boni sensibilis delinquenti subtrahendum est, quantum damni sociis delictum illud jam attulit ac postmodum afferet.

3° Punitio debet, quoad ejus fieri potest, in sociorum mentibus ordinem judiciorum, delicto commisso perturbatum, restaurare, ab errore illos abducendo et ad verum bonum dirigendo. Jamvero judiciorum ordo in sociis per quodvis delictum duplici ratione læditur : 1° in ipsius delinquentis mente cujus nequitia eo delicto proditur; 2° in aliorum sociorum mentibus, quia moralis inordinatio facti paulatim in mentes insinuat illam judiciorum inordinationem, quæ *scandalum passivum* appellari solet : delictum enim tanto minus fœdum videri solet, quanto illud crebrius committitur. Ergo, quo major ea mentis perversitas in delinquente invenitur, et quo majus aliorum scandalum futurum est, eo graviore pœna delictum est mulctandum.

961. Coroll. 1. — Ex 3ª parte postremæ positionis perspicuum fit eo perfectiorem legem pœnalem fore, quo magis illa tendit ad excitandum delicti potius quam pœnæ horrorem. Contra hoc juris pœnalis principium, quod gravissimi momenti est, peccatur in multis publicis societatibus, apud quas carceres, ad voluntates ab improbis corruptas sanandas ex naturali charitatis lege destinati, sunt plerumque tutissimum medium ad miserrimam eorum perversionem omnino perficiendam. Innoxius enim quisque accusatus cum scelestis jam convictis, petulans puer cum canutis sicariis, delicta infortunio parta cum delictis puræ malitiæ in eosdem carceres indiscriminatim conjiciuntur, ubi omnes æque pessimis quibusque vitiorum exemplis, sceleri ac desperationi permittuntur.

Coroll. 2. — Fieri quandoque potest ut omnes curæ ad delinquentem corrigendum adhibitæ in irritum plane cadant. At non idcirco tunc socialis auctoritatis opera ad ordinem in delinquente restituendum conversa fine suo prorsus frustraretur. Individualis namque ordo per punitionem aliquo semper modo resarcitur. Nam ordo ad quem justitia spectat, est dati cum accepto, officii cum jure coæquatio. Atqui in ordine individuali, qui debet dare est homo sensitivus, qui debet accipere est homo rationalis. Delictum vero naturalem istarum relationum ordinem violavit, homini sensitivo delectationem quam juste homo rationalis vetabat, concedendo. Ergo homini sensitivo delectationem sensibilem post delictum subtrahendo, partes hinc inde compensantur, ac naturale restituitur æquilibrium in individuo cujus ratio non potest pœnæ justitiam non approbare. Ergo etiam in delinquente obstinato punitio est ordinis individualis, quamvis imperfecta, restauratio.

ARTICULUS II.

De punitionis proportione servanda respectu causarum ad delictum incitantium.

962. Pos. 471ª. — Punitio debet esse proportionata apprehensioni boni sensibilis ad certum delictum incitanti, ejusdemque boni obtinendi probabilitati, proximitati ac durationi.

Prob. — Impulsus ad delictum patrandum provenit a bono sensibili, non quatenus illud est in se, sed quatenus tali delicto bonum illud obtineri posse putatur. Ergo, ut congrua reactio incitamentis boni sensibilis a lege opponatur, debet delicto talis pœna constitui, ut ea superet non solum boni sensibilis magnitudinem absolute sumptam, sed etiam ejus consequendi *spem* et *vicinitatem* et *diuturnitatem* : hæc enim omnia ad delictum impellunt.

Quare 1° pœna tanto gravior infligenda est, quanto delictum est difficilius cognitu, promptius in suis fructibus, stabilius in sua duratione. 2° Ob eamdem rationem proportionatæ reactionis socialis, tanto melior legis cujusque pœnalis tutela erit, quanto illa et *clarius cognita* erit, et *tutior* in delinquente attingendo, et *promptior* in feriendo, et *diuturnior* in puniendo, servatis tamen legibus æquitatis. Ergo sub iis quatuor respectibus debet punitio esse proportionata bono ad delictum incitanti, nempe quoad ejus

apprehensionem, probabilitatem, proximitatem et durationem.

963. Pos. 472ª. — Auctoritas debet socios contra alieni delicti contagionem tueri per talem delicti punitionem, quæ sit publica, publice habita pro justa, evidenter superans delicti utilitatem et nullam ejus vitandæ spem rationabilem relinquens.

Prob. — Delictum, pravis naturæ humanæ corruptæ propensionibus faventibus, ad sese conservandum ac propagandum tendit. Itaque, initio quidem multorum indignatione repulsum, sub silentii et hypocrisis velamen se abdit. At sensim deinde prodiens, nonnullis infirmioribus, sua contagione fascinatis, stipatum sese jam aperte revelat, ac partem ficti pudoris dimittit: tum, excitato malarum passionum tumultu, invadit palam, falsa principia, quibus suam turpitudinem tegat, spargit in vulgus, atque ita mentes eorum a quibus judicari debet, nimirum publicam opinionem, corrumpit, antequam se omnino manifestum prodat. Ergo moralis mentium error, qui *delicti philosophia* dici potest, a societate magno studio est oppugnandus: aliter enim nequit delictum a societate penitus evelli.

Jamvero philosophica principia, quibus sese delictum tuetur, vel ad *rationem* vel ad *utilitatem* spectant. Quo pacto moralem rationis perversionem a sociis prohibere societas debeat, retro jam ostendimus, de civili perfectione agentes. Utile autem delictum non esse, delinquentis punitio sociis omnibus demonstrat: non solum enim utilitatem delicto quæsitam delinquenti subtrahit, sed tantum quoque ex bono sensibili quod prius habebat, quantum boni sensibilis a delicto sperabat.

At vero ut delictum non esse utile punitio sociis persuadeat, debet 1° esse publica; nam socialis sollicitudo debet ad omnes socios extendi. Ergo salutaris admonitio quæ sociis per delinquentis punitionem fit, debet ita fieri, ut ad omnes socios pervenire facile possit.

2° Debet talis esse ut publice agnoscatur ut justa. Etenim pœna, quæ injusta publice existimetur, sociorum judicia non contra delictum, sed contra auctoritatem punientem excitat.

3° Debet evidenter superare utilitatem delicti. Pravæ namque passiones utilitatem delicti apud hominum mentes facile amplificant. Ergo, nisi damnum ex delicto imminens evidenter superet ejus utilitatem, facile homines sibi persuadebunt utile sibi delictum esse aut esse posse: atque in tali deliberatione si dubium aliquod in hominum mentibus supersit circa utilitatem a delicto

vel commisso vel omisso provenientem, judicia in ancipiti primum hærentia, facile deinde, passionum impetu urgente, ad majorem utilitatem delicti commissi affirmandam excurrent.

4° Debet nulla punitionis effugiendæ spes relinqui. Si qua enim spes ejusmodi supersit, haud difficulter ea, passionum fallaciis amplificata, utile delictum fore in animum inducet. Ergo, etc.

964. Coroll. — Quo severius punitio conditiones superius explicatas servabit, eo melius evertet securitatem illam qua delictum sese tegere studet, quum ad scelerum communionem quærit incautos allicere. Cæterum conditiones illæ valde generales et plane theoreticæ adhuc sunt, earumque applicatio ad casus determinatos, nisi aliis legibus magis practicis præparetur, difficilis admodum futura est. Has igitur leges ad praxim magis accedentes in sequentibus positionibus trademus.

ARTICLE III.

De punitionis proportione respectu personæ delinquentis.

965 Pos. 173ª. — Socialis punitio debet, ex æqua proportione, tum ad delinquentis indolem, tum ad gradum inordinationis quæ in delicto sit, accommodari.

Prob. — Duo termini a legislatore in pœna quaque constituenda sunt necessario determinandi, nimirum qualitas illius et quantitas : sine his namque duobus nec proportionata esse, nec ullo pacto realiter existere punitio potest. Atqui I. pœnæ qualitas debet ad personæ delinquentis indolem accommodari. Nam 1° pro varia delinquentis indole varia etiam est ejusdem delicti malitia; debet autem punitio esse delicti malitiæ proportionata.

2° Pro varia delinquentis indole varius est effectus moralis, quem certa quæque pœna in delinquente punito gignit. Ergo quæ pœna in certo aliquo delinquente apta est ad ordinem in illo restaurandum, in alio delinquente ad eumdem finem obtinendum insufficiens esset. Atqui pœnam societas debet accommodare ad ordinem in delinquente restaurandum (949). Ergo, etc.

II. Evidens est in pœna quaque determinanda servandam esse ejus proportionem cum delicti gravitate. Atqui hæc delicti gravitas est gradus inordinationis socialis a delicto productæ. Ergo, etc.

966. Pos. 474ª. — Pœnarum qualitas debet congruenter ad diversas sociorum classes aptari.

Prob. — Pœnæ a legislatore singulis delictis constitutæ debent omnes socios ab iis sceleribus absterrere, sive ex motivo utilitatis, sive ex motivo rationis. Id autem fit per justam proportionem servatam inter delicti cujusque gravitatem et illius punitionem. Atqui, ut pœna sit proportionata, debet illa aptari congruenter non solum generaliter ad delictum in se spectatum, sed etiam ad personas delinquentium. Quum enim pœna sit boni sensibilis diminutio, et bonum habeat respectum essentialem ad tendentiam voluntatis, evidens est eamdem absolute diminutionem boni esse diversam admodum respectu ad diversas sociorum classes. Maxima namque adest in sociis diversitas mentis, voluntatis, corporis et fortunarum. Quo fit, ut quæ boni privatio cuidam sociorum classi esset gravis pœna, aliis levis, aliis nulla esset, quia vel boni, quod iis minuitur, copiam habent, vel nullo aut non magno illius desiderio tenentur. Sic pecuniaria mulcta inutilis esset ad cohibendum hominem prædivitem aut delicatum, qui corporis dolore vel dedecore publico plane frenabitur : contra pauper villicus mulctæ pecuniariæ magis quam verberum timore movebitur.

Igitur, quoniam alicujus rei privatio non est privatio *boni*, nisi ea res sit tendentiæ cujusdam finis, quatuor hæ conditiones in pœna singulis civium classibus aptanda servandæ sunt : Debet illa scilicet rem delinquenti subtrahere, 1° qua ille non abundet; 2° cujus privationem agnoscat; 3° cujus indigentiam persentiat; 4° cujus adeptionem aut conservationem videat connexam cum delicti omissione. Ergo, quum diversa sint in variis civium classibus fortunæ, cognitiones, desideria, debet pœna diversa pro singulis iis classibus constitui.

967. Coroll. — Actus liberos natura operatur cum constantia quadam longe majore in speciebus quam in individuis. Quare, pœnis ad varias civium conditiones accommodatis, optima qua fieri potest ratione impelluntur sociorum voluntates ad ordinem servandum. E contrario, si lex *tantidem materialis* in quacunque persona pro eodem delicto adhiberetur, aperta committeretur injustitia contra legem *tantidem proportionalis*. Hinc vero intelligitur quanta sit eorum imprudentia qui, perfectæ inter omnes cives æqualitatis studio ducti, pœnales omnes distinctiones ejusmodi plane condemnant. Qui quidem, ut singularis eorum posset

humanitas in civili hominum regimine obtinere, deberent prius in omnibus civibus vires corporis, honoris sensus, fortunarum copiam, educationis modum perfecte exæquare.

COROLL. 2. — Proportionis personalis in pœnis infligendis necessitas est causa cur legislatores, quum pœnas individuales statuere non possint, latitudinem quamdam judicibus dant intra cujus limites congruam pœnam in casu quoque individuo eligere possint.

COROLL. 3. — Ex eodem principio proportionis personalis illud etiam consequitur, *codicem pœnalem* esse natura sua variabilem pro temporum et populorum varietate. Diversæ namque sunt bona, quæ hi aut illi populi diversis ætatibus amant; et idcirco diversa bona sunt, quorum privatio cives a delicto avertere efficaciter potest. Quocirca vehementer falluntur qui de antiquis aut externis legibus pœnalibus judicant ex nostræ ætatis aut regionis nostræ institutis: de mediis namque non aliter quam ex eorum aptitudine ad finem statuendum est.

ARTICULUS IV.

De punitionis proportione servanda quoad diversos gradus socialis malitiæ qua delictum laboret.

968. POS. 475ª. — Socialis punitio debet cum justa proportione non ad moralem, sed ad socialem delicti culpabilitatem et ad ejus gradus integrales accommodari.

NOTANDUM. — Gradus inordinationis in delicto potest considerari vel in sua malitia seu culpabilitate essentiali, vel in sua integrali exsecutione.

Essentialis malitia delicti est ejus oppositio contra honestatem. Integralis exsecutio delicti est quantitas externæ exsecutionis ad quam delictum pervenit. Jam essentialis malitia delicti potest considerari et *moraliter* et *socialiter*: moralis malitia delicti est ejus oppositio contra internam honestatem; socialis vero illius malitia est ejus oppositio contra honestatem externam: appellatur autem hic externa honestas vel malitia, illa quæ societatem directe attingit. Denique gradus integrales delicti sunt varii gradus exsecutionis ad majorem vel minorem illius integritatem pertinentes.

PROB. POS. 1ª PARS. — Societatis jus et officium est externum

solummodo ordinem tueri, et actus illos tantummodo punire qui ad socialem ordinem turbandum tendunt: quare jus puniendi quod societati competit, totum deducitur a jure et officio, quod societas habet, externi ordinis custodiendi. Individualis vero honestatis nulla cura societati commissa est præter eam quæ ad externum seu socialem ordinem pertinet. Idcirco, ut n. 947 vidimus, objectum juris humani est solum delictum proprie sumptum. Ergo societati nullum jus est puniendi crimina quæ individuali tantum bono peccantis repugnant. Ergo punitionis proportio non ad moralem, sec ad civilem delicti malitiam aptanda est.

PROB. 2ª PARS. — Delictum est actus voluntatis. Potest autem voluntas et consilium delicti alicujus committendi suscipere, et hoc consilium susceptum manifestare apud socios, et delicti exsecutionem aggredi, et exsecutionem hanc perficere, quin tamen suum finem obtineat, et ita exsequi ut finem suum plane assequatur. Jamvero hi varii gradus per quos delicti exsecutio ad majorem ac majorem integritatem pervenit, majorem etiam ac majorem malitiam civilem omnes, ultimo excepto, continent, et majus ac majus societati damnum omnes inferunt. Socialis autem punitio debet justam proportionem ad socialem delicti malitiam et ad damnum delicto illatum habere. Ergo socialis punitio debet gradibus delicti integralibus esse proportionata.

969. POS. 476ª. — Socialis malitia delicti quinque præcipuos gradus habet, priores posterioribus majores : delictum contra religionem socialem, delictum contra publicum ordinem, delictum contra privatam personam, delictum contra privati familiam, delictum contra privati fortunas.

PROB. — Externus societatis ordo in externa honestate situs est. Nam socialis ordo consistit in recte ordinandis humanis individuis (735), quorum prima et maxime necessaria perfectio et felicitas in justitiæ legibus servandis posita est (lib. III, n. 270). Honestatis autem externæ atque internæ, moralis scilicet ac civilis, eædem omnino normæ sunt : externa quippe honestas nihil aliud est quam internæ manifestatio. Atqui moralia officia cuique homini quinque præcipua sunt : erga Deum, erga seipsum, erga alienam personam, erga alienam familiam, erga alienas fortunas. Præterea sub morali respectu, cæteris paribus, culpabilior est qui officiis suis erga Deum, quam qui officiis erga seipsum deest, qui officia erga seipsum, quam qui officia erga alios violat (553, 745). Ergo etiam civiliter quinque eadem illa præcipua

officia sunt cuique socio servanda. Et civiliter etiam culpabilior est qui societatem avertit ab religionis Deo debitæ officiis; tum qui eamdem universam perturbat; tum qui privatim aliquod ejus membrum in ejus persona; deinde qui privati familiam; postremo qui privati fortunas lædit. Ergo, etc.

970. COROLL. — Ex postrema positione intelligitur longe a veritate aberrare eos qui, animadvertentes societatis publicæ proprium officium in externo solum ordine custodiendo consistere, inde colligunt nullam eidem esse oportere curam religionis et delictorum quæ contra Deum committantur. Publica societas non est sane animorum in morali ordine moderatrix; attamen est ordinis externi custos. Atqui maxima hominis inordinatio externa est ejus rebellio contra Deum; maximum enim ejus officiorum est religio (lib. 5, n. 553). Ergo maxima etiam punitione civili dignum est delictum alios homines ad irreligionem incitans, nempe externum sacrilegium.

ARTICULUS V.

De punitionis proportione servanda quoad gradus diversos integralis exsecutionis ad quos delictum pervenit.

971. POS. 477ª. — Delicti exsecutio integralis quinque gradus habere potest, posteriores prioribus majores, qui sunt: delicti externa comminatio, delicti pertentatio, delicti exsecutio effectu carens, delicti exsecutio effectum obtinens, delictum habituale seu recidivum.

PROB. 1ª PARS. — Non potest delicti interna machinatio pro exsecutionis primo gradu haberi, quia crimen quodlibet, ut sit delictum, debet externum esse. Quare delicti interna meditatio sub leges pœnales non cadit. Delicti vero externa comminatio, et jactantia voluntatis ad illud committendum paratæ, ad integralem delicti exsecutionem utique pertinet, legibusque pœnalibus obnoxia esse debet. 1° Quia delicti comminatio quandoque est primus quidam actus, quo quis probabilitatem illius tuto exsequendi pertentat, observando qui animus et quæ vires adversario sint. 2° Quia delicti comminatio, etiamsi illius exsequendi intentio absit, jam per se sola est delictum. Etenim delicti comminatio, per se sola, minuit et adversario et societati universæ tum vitæ securitatem, tum judiciorum rectitudinem circa delicti utilitatem. Si

enim impune quisquis possit delicti comminatione adversarium, aut pacatum quempiam civem terrere, prava hæc animi dispositio, et pravæ voluntatis manifestatio utilis profecto a multis judicabitur. Atqui societas debet punire quod publicam vel privatam civium tranquillitatem et securitatem perturbat; debet punire quod ad judiciorum rectitudinem in sociis pervertendam tendit (947). Ergo non solum debet societas opportunis cautelis contra delicti comminationem se suaque membra tueri, sed etiam debet comminationem ipsam punire.

PROB. 2ª PARS. — Omnes gradus exsecutionis qui inter delicti committendi propositum ejusque totalem exsecutionem intercedunt, 1° sunt totidem actus majorem ac majorem malitiam continentes, aut saltem externe manifestantes; 2° sunt totidem actus per quos ad integram delicti exsecutionem et propius et probabilius acceditur; 3° sunt totidem gradus per quos magis ac magis proborum civium securitas, scelestorum delictis impetita, periclitatur. Atqui rectus ordo postulat, ut major pœna majori in delinquendo perseverantiæ opponatur, atque ut ille qui primo exsecutionis gradu deliquerit, majore pœna infligenda secundo gradui absterreatur ab ulteriore delicti exsecutione. Ergo, etc.

PROB. 3ª PARS. — Delictum effectu carens eamdem moralem malitiam continet, eamdemque sociali securitati perturbationem affert ac delictum plane consummatum. Attamen damnum delicto partum multo minus est per accidens, quam si res prospere delinquenti cessisset. Atqui pœna debet cum proportione ad damnum illatum accommodari (960). Ergo potest etiam pœna imminui pro ratione minoris damni. Atque ita fiet ut pœnarum proportiones eo semper spectent, ut homini cuique utile sit, non solummodo nullum crimen plane committere, sed etiam a criminis incepti et nondum plane consummati exsecutione in quocunque illius puncto desistere, et delicti plane consummati effectum a quacunque causa impediri : sic etiam fiet ut rationis et utilitatis incitamenta eodem colliment.

PROB. 4ª PARS facillime ex dictis n. 960 et hic in 3ª partis probatione. — Etenim delictum plane consummatum et integram habet moralem delicti malitiam, et omnia damna producit. Ergo omnia simul adsunt quæ graviorem punitionem postulant.

PROB. 5ª PARS. — 1° Eo major pœna contra delictum adhibenda est, quo major est illius impediendi difficultas. Atqui multo difficilius est delicta habitualia seu recidiva impedire, tum

quia habitus hoc ipso quod facilitatem delinquendi parit, excusationem delicti præbere videtur, tum quia habitus, vehementem ad suum objectum inclinationem pariendo, leviores pœnas inefficaces reddit ad voluntatem a delicto absterrendam.

2° Quo major est delicti malitia, eo majore illud pœna mulctandum est. Atqui delicti habitualis seu recidivi gravitas est major, quia fit cum majore voluntatis impetu, proveniente a propensione quam habitus gignit : hæc autem propensio est voluntaria, sicut habitus ipse voluntarius est (106). Ergo, etc.

3° Eo major delicti punitio esse debet, quo majus periculum et majorem societati perturbationem affert. At delictum habituale seu recidivum, hoc ipso quod ex magna propensione, et cum magna facilitate committitur, societati perpetuam timoris causam præbet ejusque securitati plurimum adversatur. Ergo, etc.

CAPUT IV.

De persona punienda et de maxima pœna quæ infligi ab humana societate possit.

ARTICULUS I.

De pœna insonti ob delictum alienum inflicta.

972. Notandum. — Quæritur utrum delinquentis causa possit licite etiam innocens puniri. Quæ sane quæstio sic enuntiata manifestam in suis terminis contradictionem habet. Aliud namque est pœna in genere, aliud *punitio* seu *pœna legalis*. Potest quidem seu juste sive injuste innocenti pœna infligi : at hæc pœna nunquam in illo erit punitio, quæ, ut vidimus n° 223, est boni sensibilis imminutio ob actionem malam. Quare accurate loquendo sic eadem quæstio proponenda est : utrum liceat malum sensibile infligere alicui a quo nullum delictum patratum sit, ob delictum ab alio commissum..

Cui quæstioni ut congrue respondeatur, in mentem revocandum est, quod lib. 6° (683) jam innuimus, aliqua esse delicta so-

cialia, quæ participant omnes homines individui, qui, ad morales operationes jam idonei, delicto efficaciter, quantum possunt, non obsistunt. Itaque duplex in individuis associatis innocentia distinguenda est : altera *individualis*, altera *socialis*. Quæstio igitur illa respectu utriusque innocentiæ proponi potest : 1° utrum liceat ei qui individualiter est innocens, pœnam infligere ob delictum a societate ad quam ille pertinet, commissum; 2° utrum pœna ei qui omnino innocens sit, infligi juste possit.

973. Pos. 478ª. — Nunquam societati licet personam omnino insontem, quanquam se ultro offerentem in locum sontis, ad pœnam delicti luendam substituere : at potest utique acceptari voluntaria compensatio pro damnis materialibus alieno delicto illatis.

Prob. 1ª pars. — Punitio est auctoritatis reactio contra ordinis individualis, socialis et universalis perturbationem; et jurium omnium restaurationem in triplici hoc ordine socialiter procurare, est finis adæquatus pœnæ cujuslibet a societate ob delictum commissum infligendæ (947, 949).

Atqui 1° pœna personæ insonti inflicta nequaquam est apta ad ordinem individualem in eo qui delictum commisit restaurandum : neque enim bonum sensibile ab illius passionibus delinquendo appetitum illi subtrahit. — Quin imo per talem insontis pro sonte substitutionem audaciores fiunt delinquentis passiones, impunitatem delicti hoc modo semper sperantes.

Præterea, hæc substitutio est aperta ordinis violatio, qui postulat ut innocenti cuique bonum augeatur. Quod vero innocens amore sontis se ultro ad pœnas pro illo tolerandas offerat, majorem auctoritatis injustitiam in tali substitutione efficeret. Nam 1. semper illa innocentem puniret. 2. Eum puniret ob charitatis actum præclarissimum.

2° Pœnæ inflictio in ordine sociali necessaria est potissimum ad societatem contra delicta præmuniendam. Atqui ex hac causa nullum societati jus venire potest insontis pro sonte ulla pœna mulctandi. Nam detentio vel occisio innocentis non solum non auget, sed multum minuit socialem contra delicta securitatem. Quum enim punitio hujusmodi ordinetur ad delinquentis audaciam compescendam, per illam substitutionem vivus et liber abire permitteretur delinquens, et probo atque innoxio cive societas privaretur. Ergo illa insontis pro sonte substitutio præcipuo justitiæ vindicis scopo directe in ordine sociali adversaretur.

3° In ordine universali illa substitutio est societati prorsus illicita, tum quia auctoritas socialis in ordine universali non est auctoritas *competens*, quippe quæ ad particularem suam societatem ordinandam est limitata, tum quia in ordine universali relationes cujusque entis immediate respiciunt supremum Ordinatorem (lib. II, 222), qui ab unoquoque ente exigit individualiter suorum decretorum exsecutionem, et ab unoquoque potest proportionatam satisfactionem, si illa violaverit, obtinere. Ergo societas caret jure illius substitutionis admittendæ.

PROB. 2ª PARS. — In ordine sociali præcipuus pœnæ finis est damna illata resarcire et societatem contra inferenda præmunire. At, quoties agitur de utilitatibus vel damnis materialibus, quisque videt insontis, sicut alius cujuscunque, pecuniam esse aptam ad damna jam illata resarcienda et ad futura damna propulsanda. Ergo in hoc bonorum et damnorum genere sponsio innocentis pro reo nulli naturali legi adversatur. Nullum præterea jus ea sponsione violatur. Semper enim potest qui innocens est, aliquam suarum fortunarum partem amico cedere. Ergo materialis ejusmodi damnorum compensatio, quæ ab insonte pro sonte fiat, omnino licita est.

Potest autem quandoque eadem compensatio ab innocente fieri pro noxio etiam in bonis externi honoris et libertatis. Horum namque bonorum imminutio, quam quis pro amico passurus sit, potest aliquando esse idonea cautio ad societatis securitatem contra delicta efficaciter protegendam. Qui quidem insons, pro sonte sic satisfaciens, potest honore externo et plena libertate hujus vel propinqui vel amici magis egere ac magis gaudere quam suis propriis honore ac libertate. Ergo, etc.

974. POS. 479ª. — Qui individualiter innoxius est, potest socialiter puniri, si socialiter sit noxius.

PROB. — Quælibet societas habet proprium suum esse, suam propriam unitatem et suam propriam moralem actionem (425). Ergo potest, quatenus est societas, vel præmium vel pœnam mereri. Societas autem nequit præmium aut pœnam nisi in suis membris mereri, sicut agere nisi per sua membra non potest (842). Et societati cooperantur omnia illa membra quæ ab illius et fine et mediis extrinsece agendo non recedunt (427). Ergo quodlibet individuum, quod a societatis cujusdam intentione et actibus sese publice non separat, præmium cum illa vel pœnam meretur,

quia pars est multitudinis sic operantis. Quod vero positiva hujus individui cooperatio nullo peculiari indicio probetur, nihil refert, quia societatis delictum ex hypothesi certum est; individuum autem illud esse hujus societatis membrum pariter constat. Ergo quamdiu ille publice se a talis societatis intentione et mediis non separat, est socialiter noxius, quia societatis actibus, adeoque etiam delicto illi, vel sola sua præsentia consensum præbuit. Ergo pœnam socialem, quæ in illum quoque redundet, utique meretur : a qua si se suosque eripere voluisset, aperte sese contra delictum sociale opponere debuisset.

Attamen punitio delicti socialis et ipsa debet socialis esse, toti videlicet societati inflicta. Injustum namque esset individualiter punire delictum non individuale, sicut esset injustum punire socialiter delictum non sociale : quia illa tantum persona, seu physica seu moralis, punienda est, quæ delictum commisit. Ergo, etc.

975. Coroll. 1. — Quanquam nemini unquam liceat insontem pro sonte directe punire, attamen pœnas quæ per accidens e noxii punitione in insontes redundant, non tenetur societas impedire : sunt namque illæ inevitabiles sequelæ delicti et punitionis delicto infligendæ. Sic in societatis potestate minime situm est impedire ne latronis capite damnati filius, etsi innocens, horrorem quemdam apud cives excitet ob memoriam delictorum a patre illius olim commissorum ; ne prodigi lusoris filius pauperiem patiatur, in quam patris amentia conjectus est. Eodem plane modo non est integrum societati impedire quominus mulcta patrifamilias irrogata filiorum fortunas imminuat; quin ejusdem ad triremes damnatio toti familiæ, utique insonti, dedecus inurat. Igitur hoc unum societati præstandum est, miseris ejusmodi aliquis modus suppeditandus quo vel damna sic tolerata resarciant, vel peregre emigrando, publicæ sese infamiæ eripiant.

Coroll. 2. — Intelligitur inde querimonias eorum qui injustam ac barbaram appellant quamlibet legem *communicationis pœnarum*, nequaquam esse sine diligenti examine in casibus particularibus excipiendas. Præsertim vero, ubi civilis auctoritas, ex prudenti reverentia erga sacra domesticæ societatis penetralia, ab internis familiarum moribus inspiciendis abstinet, nec apud illas, nisi a privatis advocetur, se ingerit, evidens est privatos ipsos communione damnorum tolerandorum esse urgendos, ut intra domesticos parietes societatem a quovis delicto ipsi tueantur.

ARTICULUS II.

De pœna capitali.

976. Notandum 1. — Magna opinionum varietate postremis hisce temporibus disputatum est apud juris naturalis et juris publici doctores, utrum pœna capitalis licite a societate infligi possit. Quanto passionum ardore quæstio hæc agitata fuerit, quisque facile, eorum auctorum libros legendo, animadvertet. Quarum passionum vehementia et diversitas hanc potissimum causam habet : Pœna capitali sublata, multa turbulenti homines contra politicum præsertim ordinem, audebunt, a quibus profecto illi maxime sibi temperarent, si pœna capitalis immineret. E contrario, pœna capitali retenta, possunt flagitiosi homines illius ope adversariis suis summam et irreparabilem perniciem, magistratibus vel metu vel auro corruptis faventibus, creare. Ergo passionum propensio respectu pœna capitalis debet pro temporum atque utilitatum diversitate mutari; earumque impulsu debent homines ferri tum ad pœnam capitalem illicitam judicandam, quando illius abolitio necessaria est ad scelera molienda, tum ad eamdem licitam efferendam, quando illius usus legalis ad innocentes opprimendos ac de medio tollendos necessarius consideratur.

Notandum 2. — Quæstio hæc, num pœna capitalis a societate licite infligi possit, abstracte sumpta, affirmativam solutionem ac plane certam ab auctoritate et humana et divina jampridem habet. Nam 1° publicæ societates prope omnes pœnam capitalem adhibuerunt. Ergo licere illam genus humanum universum judicavit. 2° Moyses, Hebræorum legislator divinitus inspiratus, capitalem pœnam lege constituit, ac proinde humanæ societati licitam esse docuit. At vero hæc solutio, quum rem per causas intimas non explicet, non est philosophica. Eadem nimis adhuc abstracte rem decidit, quia, etsi statuat posse illam aliquando adhiberi, at quando illa adhibenda sit non determinat.

Notandum 3. — Pœna capitalis, sicut alia quælibet, non est licita et justa, nisi quatenus ea necessaria est ad ordinem tuendum et conservandum. Etenim *pœna* est malum sensibile a ratione inflictum ad ordinem malo morali violatum restaurandum. Atqui malum sensibile est per se humanæ naturæ malum, neque in bonum mutatur, nisi quatenus bonum majus, idest bonum

honestum, homini offert. Ergo pœna, quæ, quatenus ordinem restaurat, est verum bonum, fit verum ac purum malum quando ad ordinem restaurandum non est necessaria. At verum malum efficere illicitum semper est. Ergo pœna capitalis, sicut alia pœna quælibet, illicita est, quoties ad ordinem restaurandum non est necessaria. A necessitate igitur capitalis pœnæ determinanda pendet quæstionis propositæ solutio.

Jamvero neoterici non pauci pœnam capitalem minime societati esse necessariam docuerunt; neque enim mors, aiunt illi, omnium malorum maximum est, præsertim scelestis hominibus, qui vitam quotidie ducunt infinitis mortis periculis expositam, adeoque diuturnum carcerem multo magis pertimescunt. Quare delinquentis capitale supplicium est, ex eorum sententia, legale quoddam latrocinium, est homicidium tranquillo animo commissum, quo homines non quidem a delicto abhorrere, sed cædes facere docentur. Quod si pene omnes populi supplicio capitali usi sunt, id minime, eorum judicio, ostendit licitum hoc supplicium esse: permulti enim populi pariter victimas humanas in suis sacrificiis mactarunt. Longe societati utilior, subdunt illi, erit delinquentium vita publicis operibus addicta, quam capitali supplicio extincta. Ita illi.

977. Pos. 480ª. — Capitale supplicium est necessarium ad societatem tuendam, ac proinde licitum.

Prob. 1ª pars. — Sola pœna capitalis est medium satis efficax ad societatem contra delicta quædam maxime perniciosa tuendam.

Nam I. pœna capitalis est omnium efficacissima ad delictum aliquod impediendum; tum quia delinquentem de medio tollit, tum ob terrorem quem in alios socios ingerit. Etenim 1°, delinquentis vitam præcidendo, potestatem omnem illi aufert delicti iterum committendi.

2° Delinquentis capitale supplicium ingerit in alios cives horrorem delicti maximum qui obtineri punitione possit. Nam revera pœna mortis est pœna omnium maxima; quia hominem privat eo bono, cui arctissime omnium, excepto bono honesto, natura humana ipsa adhæret. Quum enim existentia sit omnium bonorum fundamentum, omnibus animantibus vehementissimum instinctum Creator indidit, vi cujus acerrime abhorrent ab iis omnibus quæ eorum existentiam destruere conantur. Hoc animali instinctu homines ducti, et ipsi præ omnibus malis mortem perhorrescunt. Quod quidem est factum certissimum, omnibus no-

tum, intimæ cujusque experientiæ subjectum : quod factum possunt quidem poetæ interdum per fictam aliquam personam in theatris infiiciari; at fictio veritatem facti evertere nequit. Hujus facti veritatem duo evidenter confirmant: Primum, quod in delinquentibus ipsis judicio damnatis passim accidere videmus. Satis enim se felices existimant, si ad carcerem vel ad triremes in perpetuum damnentur, modo pœnam capitalem effugiant. Et homines perditissimos atque audacissimos, qui in rapinis ac cædibus multos annos versati fuerint, pallere tamen et contremiscere et animo deficere videmus, quum capitalis sententia illis denuntiatur, multo etiam magis quum ad capitalem sententiam exsequendam ventum fuerit. Denique plerique facinorosi capite damnati pœnæ commutationem in perpetuam ad triremes damnationem, ut maximam gratiam, exposcunt.

Duplex præterea ratio hujus facti manifesta est. Nam 1. ex instinctu illo, de quo nuper diximus, homo præter honestatem nil potest æque ac propriam vitam amare. 2. Quamdiu quis vivit, semper potest veniæ seu gratiæ sibi mille modis alicujus spem facere; potest fugam sibi polliceri; potest politicos motus, quibus carceres aperiantur, potest supplicii sui mitigationem per lucra a se facta, vel ob bonam vitam a se actam, sperare. At, ubi pœna capitalis inflicta sit, de illo delinquente actum est in æternum, nulla est pœnæ mitigandæ spes reliqua, desperata prorsus ea causa est.

3° Plerisque delinquentibus perpetuus carcer vel perpetua ad triremes damnatio nequaquam gravis admodum punitio videri debet ac solet. Nam plerique, ad delicta patranda paupertate impulsi, antequam publica pœna afficiantur, jam nomen sceleribus infame et corpus ad dolores, animum ad ærumnas assuetum habent. Quare, si ob dolores atque ærumnas quibus premebantur gravis ac molesta illis vita ante damnationem videri poterat, post damnationem perpetuus carcer minus terribilis quam mors ob patiendi consuetudinem videbitur. Ergo, sine dubio, capitale supplicium est pœna omnium gravissima, adeoque omnium efficacissima ad homines a delicto absterrendos.

II. Pœna capitalis est sola efficax ad societatem contra graviora quædam delicta sufficienter tuendam. Nam 1° hæc pœna, ut nuper ostendimus, est ea quam omnium maxime homines pertimescunt. 2° Experientia tamen constat multa patrari in qualibet publica societate delicta, quæ capitali supplicio puniri omnes

norunt. Ergo, si gravissima ejusmodi delicta, societati maxime perniciosa, quamvis validissimo freno, imminentis scilicet pœnæ capitalis metu, socii contineantur, multa committuntur; hoc freno sublato, nullum aliud medium supererit, quo a delictis iis gravissimis passim patrandis ii prohibeantur. Furentes namque passiones sæpissime hominem ad talia delicta comittenda impellunt; aliæ vero pœnæ omnes, præ capitali supplicio, leves homini violenta quapiam passione commoto videntur. Ergo, pœna capitali sublata, nullum satis validum supererit frenum, quo socii in ordine sociali contineantur.

PROB. 2ª PARS. — Nulla pœna, præter capitalem, sufficiens est ad vehementissimos quosdam humanarum passionum, humanæ societati perniciem minitantium, motus cohibendos : pœna vero capitalis est omnium efficacissima ad homines a delicto absterrendos. Ergo licet sociali auctoritati capitale supplicium adhibere. Nam 1°, posita hac pœnæ capitalis ad societatem tuendam necessitate, adest collisio inter jus individui et jus societatis ad sui conservationem. At jus societatis, in tali casu evidenter juri individui prævalet (371).

2° Omnes, etiam pœnæ capitalis adversarii, consentiunt, si innocens quælibet persona in certam urbem confugerit ad vitandam mortem sibi ab inimico viro præpotenti intentatam, ubi ipsa urbs obsidione prematur et in grave discrimen ob eam causam veniat, teneri innocentem illam personam urbe exire, etsi ad certam mortem sit abitura : quod si innocens ea persona exire ab urbe renuat, urbemque ab hoste capi et ferro atque igne vastari malit, quam ipsam unam suo persecutori se dedere, tunc omnes fatentur eam personam gravi delicto in civitatem illam se obstringere, et civitati licere eam vel invitam hosti tradere, ut imminentis excidii periculum a se propellat. Multo magis igitur societati licet delinquentem morte mulctare, quum ejus capitale supplicium ad socialem ordinem ac securitatem necessarium est, ut sæpe necessarium esse nuper vidimus, præsertim vero in delictis seditionis ac rebellionis; tunc enim ab uno homine, rebellium principe ac duce, tum societatis tum conjurationis sortes pendent. Illo conjuratorum principe, cujus versutia, divitiis, auctoritate rebellio nititur, e vivis sublato, conjuratio tota extinguitur. Ergo, etc.

978. COROLL. 1. — Tres fines sunt, ut ante diximus (956), ob quos pœna infligi ab humana societate potest ac debet : delin-

quentis emendatio, ordinis restauratio, societatis ipsius tutela. Jamvero 1° ad delinquentis emendationem obtinendam pœna capitalis nunquam necessaria est; sæpe tamen utilis evadit. Quum enim terribile æternæ sortis spectaculum sibi jamjam imminere ac præsentis vitæ illecebras omnes evanescere homo vel invitus sentit, facile perducitur ad falsum illud bonum rejiciendum, quo ad delictum patrandum fuit impulsus.

2° Ad ordinem restaurandum pœna capitalis nunquam absolute necessaria est. Prima quidem specie videtur pœna *talionis*, qua delinquenti idem malum quod alteri inferre voluit, et ipsi infligitur, esse prorsus ex ordinis et justitiæ legibus necessaria. At, quum socialis ordo in singulis civibus ex multarum ac diversarum relationum complexione emergat, nunquam aut perraro pœna talionis esset vera justitiæ adæquatio. Sic, *v. g.*, sicarii mors non potest omnia homicidia ab eo perpetrata ex æquo compensare; mors patrisfamilias est majus malum morte cœlibis; mors viri vel ob merita jam parta egregii, vel ad bene de patria merendum singulariter parati, est malum publicum et majus idcirco morte hominis obscuri. Præterea, justitiæ ordo exigit quidem proportionem inter delicta et pœnas : at modo delictum nec impunitum nec felix sit, limites hujus proportionis magnam in morali æstimatione latitudinem habere possunt. Ergo ordinis restauratio non videtur per se et absolute pœnam capitalem postulare.

3° Societatis denique tutela punitionem delicti exigit, tum ut damna jam illata resarciantur, tum ut futura delicta comprimantur. Et damna quidem jam illata melius utique per damnationem ad carcerem aut ad triremes quam per ejus capitale supplicium resarciuntur. At contra futura delicta nulla potest alia ratione societas præmuniri quam pœna capitali, ut nuper est constitutum.

Coroll. 2. — Quinam sint peculiares casus, in quibus pœna capitalis necessaria est, non est quæstio ad moralem doctrinam pertinens. Duo tantum universe notabimus : 1um Quoties ad delicta quædam comprimenda minores pœnæ inefficaces esse comperiuntur, maxima pœna, idest capitalis, necessaria est. 2um Quo major in societate quaque religionis observantia, ingeniorum cultura, morum suavitas, honoris sensus vigent, eo facilius homines mitioribus mediis moventur; et idcirco pœnarum mitigatio et justa et necessaria in ea societate fit. Atque hæc ipsa est causa cur apud cultas Europæ gentes pœnarum severitas paulatim de-

creverit, multo ante quam increduli sophistæ, *philanthropiam* suam quamdam jactantes, religiosum æque ac politicum ordinem perturbarent.

CAPUT V.

De delictis præveniendis, seu de politia.

ARTICULUS I.

De politiæ natura et objecto.

979. Pos. 481°. — Socialis auctoritas debet delicta, antequam committantur, opportunis cautionibus impedire.

Prob. — 1° Delicti jam commissi punitio est quidem aliqua delictorum futurorum præventio. At ea, si sola adhibeatur, valde insufficiens est ad societatem tuendam. Etenim, etsi delictum jam patratum puniatur, damna tamen interdum gravissima, quæ illud societati infert, punitio non impedit, quin revera jam acciderint.

2° Delicta quæ puniuntur sunt minimum quid præ infinita delictorum serie, quæ per vigilantem socialis auctoritatis actionem impediri possunt, et in omni societate bene constituta impediuntur.

3° Nisi cives omnes persuasum habeant socialem auctoritatem solerter invigilare ad delicta prævenienda, perpetuis metu, anxietate, hæsitatione in negotiis gerendis turbabuntur. Ergo, sicut debet socialis auctoritas publicæ saluti et securitati consulere, ita debet curas omnes adhibere ad delicta, ne committantur, prævenienda.

4° Cautiones quæ ad delicta prævenienda adhibendæ sunt, etiam necessariæ ad delicta, ut puniantur, cognoscenda. Qui enim sociis omnibus, ne ab ordine recedant, invigilat, necessario animadvertit eos qui ordinem reapse violaverint. At socialis auctoritas debet delicta punire. Ergo eadem obligatione tenetur etiam ea prævenire.

5° Delicti punitio, quamvis ad majus aliquod bonum producendum ordinata sit, attamen per se ipsa est malum quoddam;

et bonum quod ex illa speratur, non est bonum, nisi supposito delicto jam commisso. Ergo socialis auctoritas debet, quoniam potest, infelicem ejus mali necessitatem opportunis cautionibus minuere : atque ita duplex malum impediet, malum delicti et malum punitionis.

980. Coroll. — Socialis actio delicta præveniens *politia* græco nomine appellari solet. Jam politiæ quanta sit in civili societate utilitas, quantæ hominibus politiam gerentibus gratiæ debeantur, ex ejus natura manifestum est. Politiæ namque administratio ingentem numerum hominum ex omni cœtu selectorum adhibet, ut ii diu noctuque vitæ, honori, fortunis, securitati omnium indiscriminatim civium tuendis invigilent. Attamen apud plerosque cives invidia atque odio institutum hoc saluberrimum laborat. Cujus rei multiplex causa est. Nam 1° multa passim occurrunt, quæ in politiæ ministris odium pariunt : calumniæ et dicteria improborum, qui politiæ vigilantiam metuunt ; ignavia stolidorum, qui calumnias ab improbis in vulgus propagatas temere credunt ; imprudentia vel injustitia aliquorum politiæ ministrorum, qui populi querimoniis occasionem præbent ; falsæ theoriæ sociales quæ auctoritatem omnem odiosam populo efficiunt.

2° Politia tota est in maleficis passionibus cohibendis, antequam eæ delictum committant ; atque ita juris pœnalis invidiam omnem incurrit, quin possit, ad hanc leniendam invidiam, horrendum monstrare aspectum delicti, quod ab illa præoccupatum atque impeditum, sese prodere nequit. Ergo beneficia, quæ a recta politiæ administratione societas accipit, sunt essentialiter abdita et a populi conspectu remota. Quare vulgus ignarum vincula, quibus a politia obstringitur, persentit, quin cogitet infinitas calamitates, a quibus illud ea vincula defendunt. Quod si quandoque, politia dormitante, delicta per apertam audaciam urbes agrosque pervagentur, tum vero salutarem politiæ tutelam omnes et sentire et invocare incipiunt.

3° Non solum effectus ipsi benefici, quos politia societati parit, sunt essentialiter obscuri, sed etiam media quibus ad eos gignendos utitur, sunt essentialiter secreta. Debent enim hæc media opponi secretissimis humanæ improbitatis consiliis et callidissimis insidiis ac fraudibus, quas scelesti homines, naturali instinctu, pudore, necessitate perducti, densissimis contectas tenebris ad probos innocentesque homines perdendos totumque aliquando socialem ordinem labefactandum parant. Jamvero secretum quo

politia sese obvolvit, ex altera parte efficit ut vulgo sit impervia, adeoque calumniis malevolorum exposita, illius quamvis rectissima administratio ; ex altera parte vero ministrorum integritatem magnis justitiæ lædendæ periculis subdit.

4° Media ipsa quæ ad societatem tuendam a politia adhibentur, sunt essentialiter et odiosa et periculosa. Odiosa quidem, quia dum ad delicta impedienda perversos homines coercere student, alios etiam homines qui sunt, et alios innumeros qui videntur, probi et honesti, feriunt : periculosa vero, quia sæpe eos qui bona fide legibus parent, mediis ad sese defendendos necessariis privant, dum contra ii qui specie tantum legibus obediunt arma clam retinent, perniciem proborum civium molientes.

Hæc aliaque hujusmodi ostendunt cur in tanta apud permultos cives invidia sit politiæ administratio, cui tamen omnes pacem ac securitatem qua fruimur, totam debemus. Eædem illæ causæ indicant quibusnam legibus moralibus debeat juris publici doctor dirigi in politiæ conditionibus in concreto determinandis. Debent nimirum 1° certi politiæ limites definiri pro ejus actione et publica et privata ;

2° Ejus secreta actio contra abusus præmuniri ;

3° Ejus administratio personis integerrimis committi ;

4° Media determinari, quorum sit suavitas cum efficacia conjuncta. Eas leges breviter mox explicabimus.

ARTICULUS II.

De politiæ legibus.

981. Pos. 482ª. Lex 1ª. — Politiæ administratio debet maximum securitatis per minimum impedimentorum præbere.

Prob. Hujus legis æquitas ex iis quæ de libertate sociali diximus lib. vi, n. 716, manifesta est. Scilicet libertatis inferioris diminutio bonum quoddam evadit tantummodo propter bona majora quæ per eam diminutionem in ampliore societate obtinentur. Ergo omnis diminutio libertatis, quæ hac majorum bonorum participatione non compensetur, est verum malum. Atqui diminutio quævis non necessaria, profecto non compensatur ea majorum bonorum participatione ; illa namque diminutio est non necessaria, sine qua obtineri eadem socialia bona possunt. Ergo socialis securitas per ea sola libertatis detrimenta, quæ

necessaria sint, procurari debet. Alia quævis diminutio, quum malum sit, ut nuper diximus, est sociali auctoritati illicita; quia auctoritas est potestas ordinandi ad bonum.

982. Pos. 483ª. Lex 2ª. — Bonum quodque, mediis a politia adhibitis obtinendum, debet tum in se ipso tum in suis omnibus circumstantiis esse superius bono sociali, quod ea media impediunt.

Prob. hæc 2ª lex per præcedentem, cujus est simplex applicatio. — Si enim medium aliquod a politia adhibeatur, ad bonum aliquod societati afferendum minus eo bono quod eo medio obtinetur, jam politiæ actio plus impedimenti quam utilitatis dabit. Sic, si ad urbem ab incendiorum periculis vindicandam, ignis usus vetaretur, cogerentur cives crudis alimentis vesci et frigoris inclementiam pati; quæ duo sunt mala certissima ad vitandum malum incertum imposita, quibus possunt aliæ cautiones opponi, minus utique tutæ ad eum finem obtinendum, sed multo minus in suis effectibus secundariis incommodæ ac noxiæ. Ergo, etc.

983. Coroll. — Binæ leges jam adductæ publicam politiæ actionem respiciunt: ad publici juris doctorem atque ad legislatorem pertinet observare ac definire quænam in concreto cautiones politiæ publicæ cum his duabus legibus consentiant. Jamvero quibus legibus actio politiæ in ordine privato subjicienda sit, statim dicemus. Retro namque jam vidimus superiori quidem auctoritati non licere immediatam sibi vindicare directionem singulorum cœtuum, quibus major societas componitur; at posse eamdem, quinimo debere singulos et omnes eos cœtus ad commune bonum per particulares eorum auctoritates ordinare atque impedire ne a suo fine procul desciscant. Ex his principiis colliguntur leges, quibus actio politiæ in privato ordine dirigenda est.

984. Pos. 484ª. Lex 3ª. — Politiæ non licet præceptis constantibus actiones alias, sive individuorum sive consortiorum, quam publicas dirigere.

Prob. — Actio publica est illa quæ vel directe vel indirecte tendit ad effectum extra domesticos parietes in civili societate communem producendum. Jam auctoritati publicæ nullum jus est actiones non publicas per universales et constantes præscriptiones dirigendi (716). Etenim publica auctoritas jus gubernandi non habet nisi a necessitate finis socialis obtinendi (lib. IV, n. 452). Atqui actiones non publicæ nihil ad finem socialem per-

tinent, quia nec per se ipsæ nec per suos effectus publicam societatem non attingunt. Ergo actiones privatas dirigere universe et ordinarie, quod præscriptis constantibus fit, politia non potest.

985. Pos. 485ª. Lex 4ª. — Politiæ licet præscriptionibus accidentalibus ac transitoriis in privata consortia penetrare, ut eorum vitia corrigat.

Prob. — Ratio, propter quam publicæ auctoritati universe et ordinarie non licet privata consortia cum potestate ingredi hæc est, quia unumquodque eorum habet atque habere debet (lib. vi, n. 716) particularem, qua gubernetur, auctoritatem. At quando in aliquo consortio flagitia impune committuntur, perspicuum est ibi auctoritatem vel nullam esse, vel nihil agere, quod perinde est. Ergo, cessante tunc ea causa quæ actionem superioris auctoritatis a consortio particulari dirigendo prohibet, auctoritati superiori, ob eam quam omnibus suis membris debet tutelam, jus et officium est in particulare consortium penetrandi, ejusque motus dirigendi, auctoritatem apud illud instituendo idoneam ad privatum illius bonum operandum. Ergo, etc.

986. Pos. 486ª. Lex 5ª. — Accidentales præscriptiones ad internum ordinem in particulari consortio restaurandum adhibere politiæ non licet nisi ob externa indicia flagitiorum in eo consortio impune commissorum.

Prob. — 1° Publica auctoritas non debet particularium consortiorum internum ordinem procurare, nisi ut bonum publicum obtineat. Atqui malo, quod in externa indicia non erumpit, bonum publicum non potest impediri. Ergo hujus mali præventio aut reparatio ad publicam auctoritatem non pertinet.

2° Nequit auctoritas impedire quod cognoscere nequit. Atqui internam consortiorum particularium inordinationem publica auctoritas nequit cognoscere, quamdiu illius nulla suppetunt externa indicia. Neque enim publicæ auctoritati licet domestica penetralia inspectare, ob legem 2ªm superius constitutam : quia mala exinde enascerentur multo majora malis quæ tali inspectione vitari possent. Ubi enim publicæ auctoritatis ministris liceret, quotiescunque vellent, intra domesticos familiarum parietes penetrare, I. familiæ omnes privarentur libera illa affectuum communicatione, in qua domesticæ vitæ suavitas omnis consistit ; II. Retegeretur secreta negotiorum familiarium administratio, quæ ad felicem eorum exitum prorsus necessaria est ; III. Privarentur familiæ pudico illo velamine, quo ærumnæ et

vituperia domestica conteguntur; IV. Publica ipsa societas seipsam præcipuo medio privaret ad externum ordinem obtinendum efficacissimo, quod est communis in quaque familia decori et honoris amor; V. Denique domestica quælibet inordinatio, ubi gravior esse cœperit, occultari diu non potest: sese namque ipsa prodit. Scilicet, quum inordinatio societati cuivis repugnet, ubi aliqua gravis existat, reactionem quamdam necessario in ipsa familia excitat, qua exterius manifestatur. Ergo nulla est ratio cur ad illam cognoscendam atque impediendam publica auctoritas internum familiarum asylum inspectet. Ergo interna consortii particularis inordinatio, quamdiu ad externum societatis ordinem turbandum minime exit, ad actionem politiæ nullo pacto pertinet.

987. Pos. 487ª. Lex 6ª. — Investigationes politiæ possunt ac debent esse occultæ; at solum usque ad delinquentis comprehensionem; post quam debet delinquenti accusatio tota manifestari; ejusque detentio ante condemnationem, non punitionis, sed cautionis tantum moderationem habere debet.

Prob. 1ª pars. — Socialis tranquillitatis custodia, politiæ commissa, est pugna quædam probitatis contra delictum. Atqui delictum in suis struendis insidiis altissimo secreto utitur: quibus insidiis opportuna præsidia ad privatam publicamque tutelam opponi nequeunt, nisi secretissime etiam illas politia perscrutetur. Si enim auctoritas malas illius artes aut agnoscere se aut solum etiam pervestigare vel levissime innueret, continuo et delicti molitores et illius fautores, politiæ vigilantiam declinantes, media ab auctoritate adhibita ad delicti machinationes cognoscendas atque evertendas omnia disjicerent; et delicti auctores, majore ac majore semper secreto ac versutia utentes, pessima flagitia impune et parare et committere possent. Quocirca velle ut politia sine mediorum secreto societatem tueatur, perinde est ac velle ut dux exercitus, antequam prælium committat, totum pugnæ futuræ consilium atque ordinem hosti aperiat: quod stultissimum esset. Præcipua namque defensionis ars est secretum; quo cognitio necessaria, adeoque vincendi potestas, hosti aufertur. Ergo actionis suæ secretum est politiæ prorsus necessarium.

Prob. 2ª pars. — Omne secretum, quod pariat innocentis puniendi periculum, essentialiter justitiæ repugnat. At quicunque media consueta ad causam penitus cognoscendam non adhibet, illi sese periculo exponit: præcipuum autem e mediis consuetis

ad causæ cognitionem obtinendam, est eum ipsum qui accusatur, sese defendentem audire : qui enim accusatur, potest propriæ suæ causæ talem cognitionem habere, cui nulla testium auctoritas contraria resistat; et falsitatem delicti, quod ei tribuatur, potest melius quam testis aut orator quilibet demonstrare. Atqui, ut accusatus quis se defendere possit, debet illi tota accusatio manifestari.

Prob. 3ª pars. — Qui accusatur, potest omni culpa vacare. At non licet tanquam sontem punire illum qui potest esse omnino insons. Ergo, donec plena causæ cognitio illuxerit, sicut non licet reum condemnare, ita neque licet eumdem punire.

Est igitur aperta injuria reos quoslibet in eodem carcere cum damnatis detinere, eosque mox ab omni crimine ac pœna fortasse absolvendos supplicio illo et honoris et corporis afficere, quo gravia delicta castigari solent.

998. Pos. 488ª. **Lex 7ª.** — Eo major atque exploratior probitas in politiæ ministris exigenda est, quo occultiora media illis ad delicta prævenienda committuntur.

Prob. — Quò occultiora sunt media, quibus politia utitur, eo magis eorum applicatio pendet a privato arbitrio ministrorum, ac proinde eo magis civium fortunæ, honor, libertas, vita in horum ministrorum potestate sunt. Ergo, quo sunt illa media occultiora, eo facilius hi possunt iisdem ad civium totiusque societatis perniciem abuti. Atqui contra hæc pericula nullum aliud esse potest præsidium quam ipsorum ministrorum probitas, fides, religio. Ergo, etc.

989. **Coroll.** —Quænam politiæ ministris media sint suppeditanda ut delicta possint commode prævenire, haud difficulter ex dictis colligitur. Omnia scilicet media quæ et justa in se ipsis et ad finem obtinendum apta, necessaria et sufficientia sint, in eorum manibus ponantur; media utique directa et indirecta, media pœnæ et præmii, jussionis et persuasionis, promissorum et minarum.

At, quo magis timendum est ne his mediis ministri abutantur, eo cautius ac prudentius in tota hac re agendum est. Quare asperiora quæque media altioribus magistratibus, qui ad ejusmodi abusus minus proni sunt, reservari oportet.

De mediis vero indirectis quæ ad delicta prævenienda debent a publica auctoritate adhiberi, jam satis libro 8º disputatum est.

LIBER DECIMUS.

JURIS SOCIALIS PARS QUINTA.

DE ACTIONE PUBLICÆ SOCIETATIS ERGA SEIPSAM UNIVERSAM.

Jus politicum.

CAPUT I.

De persona ad quam jura politica pertinent in societate pacata.

ARTICULUS I.

De jurium politicorum natura universe, deque eorum naturali possessore.

990. **Notandum.** — Ad bonum individuorum consociatorum obtinendum necesse est ut societas conetur majorem semper ac majorem perfectionem acquirere (871), nimirum facultates omnes sociales magis ac magis in dies perficere (873, not. 1). Ut autem societas id efficere possit, debet 1° facultates ac necessitates suas omnes cognoscere; 2° sociorum actiones externas ordinare, adeoque vel eorum voluntates inflectere, vel saltem materialem eorumdem actionem cogere. Quærendum igitur est I. quænam sit ea persona ad quam societatis sic perficiendæ cura pertineat; II. qua ratione hæc persona fiat ad societatis perfectionem procurandam idonea, scilicet quænam illi jura seu potestates competere debeant, ut societatis universæ bonum possit efficere. Jamvero ad prius illud problema accedentes, debemus illud in duplici societatis diverso statu considerare, nempe tum in societate recte ordinata et tranquilla, tum in societate perturbata et confusa.

991. Pos. 489ª. — Jus et officium societatis politice ordinandæ est ei soli personæ, in qua societatis auctoritas residet.

Prob. — Societati jus et officium est tuendi ac perficiendi so-

cialem individuorum actionem (840). Ergo debet societas seipsam efficere aptam ad individua sic tuenda et perficienda. Atqui nequit societas hanc aptitudinem habere, nisi per eam personam et in ea persona, in qua socialis auctoritas residet. Ad talem namque aptitudinem requiritur moralis quædam actio permanens, quæ illam perpetuo sustentet, impellat, protegat, expurget. Etenim, sicut infinitæ sunt vicissitudines diversæ, quas societas perpetuo subit, et sicut socialis perfectio potest indefinite semper crescere; ita necesse est ut principium quoddam perpetuo et moraliter activum detrimenta, quæ societas passa sit, resarciat, et opportuna socialis perfectionis incrementa adducat. Atqui principium moraliter activum societatis est sola auctoritas (449). Ergo soli auctoritati ab ipso societatis Conditore commissa est cura non solum individua consociata tuendi et perficiendi, sed societatis etiam ipsius universæ sic ordinandæ, ut ad socios tuendos ac perficiendos idonea sit. Atqui auctoritas operari nequit nisi concrete in aliqua persona existat (459). Ergo cura societatis ita ordinandæ ut ea sit ad socios tuendos ac perficiendos idonea, ad eam solam potest pertinere personam, in qua socialis auctoritas residet. Societatem autem sic ordinare est illud quod *politice* gubernare dicimus (840). Ergo, etc.

992. Coroll. 1. — Jurium igitur politicorum natura generaliter hæc est, ut ea sint complexus omnium potestatum moralium, quæ requiruntur ad societatem universam sic ordinandam, ut ea socios commode tueri ac perficere possit. Unde quisque duo hæc facile intelliget :

1um Inter jus civile et jus politicum hoc discrimen intercedit, quod jus civile totum sit in individuis consociatis sic ordinandis, ut suam felicitatem singula assequi possint; jus vero politicum totum sit in societate universa sic ordinanda, ut ea possit socios omnes et singulos socialiter tueri et perficere.

2um Jus civile est finis, ad quem jus politicum suapte natura ordinatur : quod ex modo dictis evidens est. Quare, sicut finis quicunque est suprema regula eorum omnium quæ ad illum ordinantur, sic jus civile est norma, qua totum jus politicum dirigi debet, hoc sensu nimirum, quod nullas alias potestates jus politicum includat, quam quæ sunt necessariæ ad obtinendum illud quod est juris civilis objectum.

Coroll. 2. — Personam illam, in qua socialis auctoritas residet, *Principem* vocamus (lib. 4), sive unica physice, sive unica

moraliter persona sit. Ad principem itaque pertinet politice corpus sociale ordinare, tum in ejus prima formatione, tum deinceps in successivis mutationibus quas illud, sicut res creatas omnes, subire necesse est. Jamvero quis in quaque societate princeps sit, jam libris 4° et 6° quæsivimus, ubi ostendimus pro varia natura factorum, a quibus particulares societates ortum ducunt, in variis etiam personis auctoritatem socialem insidere : in societate scilicet, quam natura ipsa efformavit, auctoritas in priore illius possessore persistit; in societate voluntaria auctoritas ad omnes contrahentes pertinet; in societate juridica denique residet in juris prævalentis possessore.

ARTICULUS II.

De jurium politicorum alienabilitate.

993. Notandum. — Jura politica ad principem solum pertinere vidimus. At quærendum modo est utrum principis persona mutabilis sit, utrum nempe jurium politicorum possessio legitima possit ab una in aliam personam, sive voluntarie, sive involuntarie transferri, idest utrum jura politica sint alienabilia. Sunt autem alienabilia illa jura quarum alienatio nullam secum affert ordinis violationem (366) : quæ quidem ordinis violatio potest vel naturalibus vel accidentalibus relationibus opponi, prout ordo ipse violatus vel naturalibus vel accidentalibus relationibus fundatur. Sic pater a natura ipsa jus filios suos educandi habet : qui vero infantem omnino derelictum in agro forte inveniat, et jus et officium illius educandi habebit ex accidentali talis inventionis facto. Neuter autem istorum potest huic juri suo renuntiare, quia nequit ab officio, quod cum tali jure conjunctum est, sese eximere. Itaque sunt quædam jura naturaliter, quædam vero accidentaliter inalienabilia.

994. Pos. 490ª. — Jura politica sunt per se, salvis alienis juribus, alienabilia.

Prob. 1ª pars. — Evidens est a natura nullum generale vinculum fuisse constitutum, quo jura politica certæ cuidam personæ, aut certo cuidam consortio sint alligata. Evidens est principatum ad aliam personam ob principis præcedentis mortem transferri; sæpe etiam, sine principis morte, necessariam aut utilem esse posse ejusmodi jurium politicorum translationem.

Si enim princeps amens evadat, si alia quacunque de causa ineptus omnino ad rem publicam gerendam fiat, si ipse velit a publicis negotiis recedere, manifestum est jura politica ad aliam personam esse transferenda. Ergo jus societatis universe gubernandæ non est jus per se inalienabile.

PROB. 2ª PARS. — Multi casus occurrere possunt, in quibus jurium illorum alienatio vel juribus alterius personæ grave detrimentum, vel sociali ordini gravem perturbationem inferret; quod evidens est. Ergo in his casibus adhibendæ sunt leges quibus jurium collisio regitur, ex iisque decidendum est quandonam jurium politicorum alienatio licita, quando illicita sit. Ergo, quamvis per se jura politica sint alienabilia, in casu tamen particulari jus aliquod alterius personæ huic alienationi obsistere potest ita ut alienatio illicita fiat.

995. COROLL. 1. — Animadvertendum est, quod a multis publici juris doctoribus est omissum, problema illud, utrum jura politica sint alienabilia, non ad monarchiam tantum, sed ad aliam quoque principatus formam quamlibet pertinere, eamdemque illius esse pro quacunque forma solutionem. In quacunque etenim principatus forma possunt jura politica spectari tum ut bonum illius qui hæc jura possidet, tum ut politici ordinis principium. In polyarchia quidem, quoniam longe minor est singulorum jura politica participantium potestas, multo minus damnum societati afferre singuli possunt, jura sua politica abdicando. At damnum personale alterius ex tali abdicatione proveniens potest æquale propemodum esse in polyarchia et in monarchia. Quare tam illicitum esse potest alicui ex regni senatoribus, qui olim Pares in regno Galliarum vocabantur, suos filios ea dignitate per suam abdicationem privare, quam esset illicitum monarchæ suos filios eodem modo monarchia destituere. At vero talis abdicatio multo magis illicita integro cuipiam corpori politico esse potest, a quo societatis universæ bonum potest magna ex parte pendere.

COROLL. 2. — Quoties bonum publicum, quod abdicatione impeditur, est majus bono quod abdicanti proveniret, perspicuum est abdicationem esse illicitam, ac jure merito posse illam ignaviæ et socordiæ quandoque argui. In aliis autem casibus politica ejusmodi abdicatio æque libera monarchæ et polyarchæ est, atque eximiæ magnanimitatis laudem uterque obtinere tali abdicatione potest. Quin imo aliqua tempora accidere possunt, in

quibus renuntiare juribus politicis vel omnino justitiæ vel saltem humanitatis officium sit. Quæ tempora adsunt, quoties pertinax jurium istorum retentio gravia societati detrimenta aut pericula gigneret : cujusmodi in monarchia est casus competitoris inepti et impotentis, et in polyarchia suffragium plerorumque aliquibus paucissimis pro justitia et bono publico certantibus contrarium : tunc enim pertinacia in suis juribus apparentibus defendendis bono publico repugnat, et violentam eorum exspoliationem mereri aliquando potest.

Coroll. 3. — Notandum est postremo, aliud esse suis juribus politicis renuntiare, atque aliud hæc jura in aliam personam transferre. Ut quis possit talibus suis juribus renuntiare satis est quod ex ejus abdicatione nullum alteri damnum proveniat : ut vero possit quis talia jura in alteram personam transferre, debet præterea nullus adesse, qui antea jam habeat jus succedendi in locum abdicantis. Quare princeps electivus potest politicis suis juribus renuntiare, sed non ea transferre : at princeps patrimonialis (503), cujus titulus ad principatum sunt sua ipsius bona hereditaria, sicut potest hæc sua bona, ita etiam potest jura principatus transferre. Idipsum de membris aristocratiæ, sive electivæ sive hereditariæ, patrimonialis dicendum : particularium scilicet omnium ejusmodi casuum semper a titulis originariis, qui indefinite variari possunt, dependet.

ARTICULUS III.

De principatu hereditario.

996. Pos. 491ª. — Hereditariæ ad principatum successiones non ex solo societatis bono, sed ex socialibus quoque personarum factis, jus ad principatum tribuentibus, determinandæ sunt.

Prob. — Jam lib. 4 (501, seqq.) ostendimus jus principatus, sive supremam auctoritatem, ad certa individua pertinere posse ob facta quædam concreta, a principio abstracto boni socialis prorsus distincta, quanquam bono sociali minime contraria, sed potius faventia. Ibi etenim probavimus dominium territoriale paternum naturalem originem principatui monarchico præbere, atque hunc principatum monarchicum a dominio territoriali provenientem posse hereditarium seu patrimonialem fieri; polyarchiam quoque naturaliter oriri a societate emigrantium a territorio pa-

trio, et principatum hunc polyarchicum in aliqua tantum socio rum classe residentem ab hereditaria filiorum successione in jura illorum qui polyarchiam aliquam primi constituerint, naturaliter ortum ducere. Ergo, si quis omne jus successorium ad principatum, omnesque jurium politicorum transitiones solo principio abstracto publicæ utilitatis determinare velit, quæstionem complexam ex una tantum parte considerabit, et problema complicatum resolvere conabitur, uni tantum ex conditionibus positis satisfaciendo. Ergo, etc.

997. Coroll. 1.— Successiones ad principatum hereditariæ sunt veræ quædam jurium politicorum translationes, quas articulo præcedenti vidimus posse quidem fieri, sed alienis juribus semper salvis. Falluntur ergo vehementer qui jura talium successionum tractantes, ad solum publicæ utilitatis principium spectant. Qui quidem falsam publicæ utilitatis ideam præ oculis habentes, omnia quoque jura ad ejusmodi successiones pertinentia mirifice permiscuerunt. Atqui, si princeps ob bonum publicum juberet eorum domum dirui, ut forum publicum fiat, vel eorum prædia occupari, ut publicis nosocomiis addicantur, profecto ii principi hæc jubenti responderent, bonorum socialium primum et maximum hoc esse jurium individualium securitatem ac justitiæ leges pro sociis omnibus constanter observatas.

Coroll. 2. — Problematis illius de successione ad principatum resolutio incompleta et æquivoca, de qua nuper diximus, ab idearum confusione jam a nobis superius notata (669) enascitur: auctoritas nimirum ipsa cum auctoritatis possessore confunditur, et de hoc posteriore eodem modo disseritur ac de priore loquendum est. Sic auctoritas, inquiunt illi, a natura instituta est ad commune bonum obtinendum : ergo debet ab illo possideri, qui melius communi bono consulere potest. Quæ conclusio evidenter falsa est, atque ab antecedente colligi non potest; quia plus aliquid continet, quam quod est in antecedente, scilicet illud *melius*. Itaque hoc argumentum simile est huic alteri : Patria potestas a natura instituta est ad rectam filiorum educationem; ergo filiorum educatio pertinet ad illum qui tales filios melius educare potest. Cui quidem argumento quisque responderet, patriam potestatem in domestica societate ob filiorum utique bonum existere; at ejus collationem non ab hac ratione provenire, sed a facto præcedente, quod est illius juris titulus (356). Factum hoc est causa possessionis; natura ipsa patriæ potestatis est

causa quæ possessorem obligat ad eam in filiorum bonum adhibendam. Quod si hunc finem ea potestate utens negligat, aut si ob defectus accidentales, *v. g.*, ob amentiam, ineptus esset ad eam sic adhibendam, poterit a legitima auctoritate ea potestate spoliari ; at prima illius collatio nequaquam ab eo solo principio provenit.

Jamvero eodem fere modo de suprema potestate politica loquendum est. Et vero quod publica societas multo amplior sit quam domestica, majorem sane officiis, quibus erga illam quisque adstringitur, vim tribuit, sed eorum naturam non mutat. Ergo supremæ potestatis transmissio in societatibus pacatis per justitiæ leges a facto resultantes determinanda est.

Quare qui hoc problema de principatu hereditario per solum publicæ utilitatis abstractum principium volunt resolvere, idem faciunt quam illi qui optimam principatus formam in particulari casu determinant, nulla jurium anteriorum habita ratione.

998. Pos. 492ª. — Principatus est hereditarius, quoties jus illius originarium fundatur titulo hereditarie transmissibili, et primus possessor voluit illud ad suos heredes transmittere.

Prob. 1ª pars. — Ut principatus sit hereditarius, necesse est, ut primus illius possessor et legitime illum ipse possideat, et jus habeat eumdem ad suos heredes transmittendi. Atqui jus, vi cujus aliquis rem quampiam et ipse possidet et ad alios transmittere potest, tale est qualis est titulus, quo jus illud fundatur : quum enim jus ex eo titulo enascatur, non potest majorem vim habere quam ipse titulus. Ergo, ut jus principatus possit hereditarie transmitti, debet fundari titulo, qui et ipse sit hereditarie transmissibilis.

Prob. 2ª pars. — Omnis possessor potest de suis juribus transferre quod voluerit, plus aut minus pro suo lubito, et sub conditionibus quas voluerit. Nimirum possessoris cujusque est normas suæ hereditatis determinare. Ergo ad primum principatus possessorem pertinet determinare quid de suis juribus politicis et sub quibus conditionibus velit ad alios transmittere, salvis semper alienis juribus et conditionibus a natura ipsa præscriptis. Ergo, ut principatus sit hereditarius, necesse est primum ejus possessorem voluisse illum ad suos heredes transmittere.

999. Coroll. 1. — De primo principatus possessore tantummodo locuti sumus, quia ab isto proprie initium habet heredi-

titiæ insimulantur; 2° an populari judicio possit politica omni auctoritate spoliari. Quisque videt duplex problema quæstione hac contineri : 1. utrum subditos injusta principis jussa obligent; 2. utrum princeps injuste gubernans jus ipsum ad rem publicam gerendam amittat.

NOTANDUM 2. — Quæstionem hanc, num princeps spoliari ob malum regimen suo principatu possit, non ad monarchiam tantum, sed ad polyarchiam quamlibet spectare manifestum est. Etenim et ratione et experientia constat, polyarchiam posse non minus quam monarchiam tyrannice aut inepte gubernare. Nam tyrannis, omissa illius grammatica etymologia et vi, in re ipsa est injusta dominatio in publicam societatem. Potest autem dominatio injusta esse vel in sua origine, vel in abusu; adeoque binæ tyrannidis species sunt, tyrannis *usurpationis* et tyrannis *oppressionis*. Atqui polyarchæ possunt et politicam dominationem, ad quam nullum jus haberent, usurpasse, et politica potestate, quam jure possideant, abuti. Ergo tyrannica etiam polyarchia esse potest. Ergo quæstio illa universim proponenda est : utrum persona, quæ publicam auctoritatem supremam possidet, sua potestate abutendo, jus imperandi amittat.

1001. POS. 493a. — Præceptum principis, juri naturali nullatenus contrarium, sed publico bono inutile, subditos quosque utique ad parendum obligat.

PROB. — Præceptum quodvis duplici modo injustum esse potest, scilicet vel in ipsa rei præceptæ natura, vel in fine ob quem res præcipitur. Jamvero, si res præcepta per se ipsa injusta est, constat ex iis quæ libro 1° (76) diximus, nullam tali præcepto obligationem gigni. Obligatio namque est debitum secundum rationem : quod autem injustum est, rationi adversatur. At, si res præcepta injusta judicatur solum, quia ad bonum publicum, ad quod omnes auctoritatis actus spectare debent, non tendit, tunc sane ratio ob quam potissimum auctoritati est parendum, integra stat. Auctoritas namque apud societatem quamlibet in hunc maxime finem constituta est, ut sociorum mentibus ac voluntatibus unicam et communem directionem in unicum et communem finem societatis imprimat. Ergo natura ipsa auctoritatis hoc postulat ut mentes subditorum dissentientes coerceat atque ad unitatem adigat. Ergo subditi dissensio a principis præcepto, nedum illum a parendi officio liberet, est ratio præcipua ob quam obedire debet.

Quod quidem parendi officium est unicum socialis unitatis, adeoque et felicitatis publicæ, principium. Etenim 1° impossibile est ut cives singuli statim cognoscant quanti certa quædam actionum ratio ad publicum ordinem referat. 2° Etiamsi id de alienis actionibus cognoscere possent, facillime, ubi de suis ageretur, propriæ utilitatis studio decepti, a vero rectoque judicando et volendo deflecterent. Ergo, quoties res præcepta nihil juri naturali repugnans continet, supremæ auctoritatis jussa omnes subditos obligant, etiamsi illa ad bonum publicum nihil conferre videantur.

1002. COROLL. — De auctoritate suprema tantum in pos. præcedenti locuti sumus, quia ex iis quæ in jure hypotactico demonstravimus (725), constat auctoritatem subordinatam posse utique ad justitiæ tramitem, si aberret, a suprema auctoritate reduci. Quare subditus, ab inferiore auctoritate injuste habitus, læsæ erga se justitiæ satisfactionem ab auctoritate suprema repetendo, nequaquam se subducit sociali unitati, ad cujus supremum principium confugit.

ARTICULUS II.

De causis ob quas princeps socialem auctoritatem amittere potest.

1003. NOTANDUM 1. — Quæstio illa : num princeps injuste præcipiens auctoritatem suam amittat, 1° intelligi potest vel de uno aliquo aut altero præcepto injusto, vel de habitu injuste gubernandi. 2° Talis injustitia potest directe vel societatem universam, vel aliquod tantum ejus individuum lædere. 3° Auctoritas, de qua utrum amittatur ob injustum præceptum, quæritur, potest significare vel jus obedientiæ a subditis obtinendæ in illo præcepto injusto, vel universe omne jus etiam juste præcipiendi. 4° Amittere auctoritatem potest in casu nostro significare vel internam ineptitudinem ad præcipiendum vel practicum demeritum obedientiæ ab aliis obtinendæ. Hæc omnia probe distinguenda sunt : pro diversa namque earum vocum acceptione, diversa quoque est quæstionis propositæ solutio.

NOTANDUM 2. — Ob unum vel alterum præceptum injustum amitti a principe supremam auctoritatem, nemo est qui affirmet. Tanta nimirum est hujusmodi sententiæ absurditas, ut nullum ea patronum invenire posse videatur. Igitur de habitu injuste præcipiendi problema illud intelligendum est. Jamvero hic malus

2° Si princeps non absolute malum, sed aliquod malum societatis velit, præsertim si hoc malum velit sub specie boni, vel si ejus voluntas non sit omnino obstinata, tunc profecto ille non est prorsus ineptus ad societatem ad commune bonum ordinandam, adeoque subjectum auctoritatis non deest omnino. Attamen, quamdiu ille evidenter societatis malum vult, ineptus essentialiter fit ad societatem gubernandam, et idcirco ejus auctoritas pro illo tempore suspenditur.

1005. Coroll. 1. — Magnum discrimen inter duas ineptitudines, vel ex defectu intelligentiæ vel ex malitia voluntatis, intercedit. Prior namque illa, quoniam in absentia facultatis ad agendum necessariæ consistit, nullo pacto occultari vel pro libito mutari potest : at voluntatis malitia, quum liberæ facultatis propria sit, ab hac ipsa potest et dissimulari et prorsus abjici. Quare prioris indicia ex factis materialibus atque evidentibus habentur : at posterior in conscientiæ penetralia sese abdit, nisi furor quidam, amentiæ similis, eam impudenter manifestet, ac pertinaciter sustineat. Itaque vel cessare vel suspendi in subdito potest obligatio obediendi principi qui amentia vel stupiditate laboret, ex sola inspectione factorum, quæ rationis absentiam in eo demonstrent. At perraro, aut nunquam potius, accidet, ut factis evidentibus malitia ille obstinata et inemendabili esse depravatus probetur.

Coroll. 2. — Speculative rem considerando, certum igitur est, casus occurrere aliquos posse, in quibus persona physica vel moralis, quæ auctoritatem possidebat, eam amittat : quod quidem duplici modo fieri potest, nimirum vel si deficiat titulus, vi cujus illa principatum tenebat, vel si careat iis conditionibus, sine quibus existere auctoritas in concreto non potest. Et auctoritatis amissio erit totalis et irreparabilis, si omnes tituli et omnes conditiones irreparabiliter absint : at partialis erit ac temporaria, si pars aliqua tantum titulorum et conditionum temporarie deficiat. In priore casu auctoritas ad aliam personam transibit, in altero a vicariis geretur.

ARTICULUS III.

De subjecto, ad quod pertinet jus principis tyrannice gubernantis judicandi.

1006. NOTANDUM. — Speculativam hactenus quæstionem tractavimus, quas nimirum ob causas amitti a principe auctoritas politica possit. At vero inutile prorsus esset has causas determinasse, nisi plane definiatur cuinam competat jus applicandi in casu practico leges ab iis causis provenientes, et quomodo hæ leges practice applicari debeant.

Hoc igitur primum statuendum est, quinam in hac controversia sint litigantes, et quænam utrinque illorum jura sint. Inter populum accusantem et principem negantem causa vertitur. Ante omnia vero quærendum est utrum binæ hæ partes coram ratione judice pares sint.

1007. POS. 495ᵃ. — Ubi de tota principis auctoritate ambigitur, in tali controversia princeps et populus pares sunt, eorumque lis per principium possessionis decidenda est.

PROB. 1ª PARS. — Quod alterutrum ex contendentibus, principem scilicet aut populum, altero superiorem posset efficere, esset jus alterutrius coram judice ratione validius. Atqui neutrius contendentis jus validius esse in casu nostro potest. 1° Non jus principis : nam, etsi certum sit principem, quamdiu princeps est, subditis esse superiorem, attamen de hoc ipso hic dubitatur, utrum qui princeps erat, adhuc princeps esse pergat, videlicet utrum populo sit superior. Ergo, ut constet eum qui princeps erat, populo adhuc superiorem esse, hoc antea judicandum est, utrum ille adhuc sit princeps. 2° Non jus populi : etiamsi enim uno aut paucis hominibus tota aliqua natio sit numero superior, attamen non de numero hic agitur, sed de jure. Unus autem homo contra nationem universam jus validius habere potest. Omnibus namque fatentibus, cuivis nationi necessarius est princeps aliquis a quo gubernetur, nimirum qui jus habeat in totam nationem, ac tota natione superior sit. Ergo in tali controversia princeps non amplius est populo superior : populus vero nunquam est superior principe. Ergo tunc princeps et populus pares sunt.

PROB. 2ª PARS. — Lex justitiæ inter duos litigantes pares ser-

vanda hæc est, ut ambo pariter audiantur, ut eorum assertiones parem auctoritatem habeant, ut neutri quidquam ex iis quæ possidet, auferatur, donec talis possessionis injustitia fuerit evidenter demonstrata : paritas nempe et possessio sunt duæ normæ constanter in hac re sectandæ, paritas specifica, et disparitas individualis, quam possessio inducit. His duabus legibus, æqualitatis et possessionis, in hominis natura ipsa fundatis, tota socialis justitia nititur : his duabus legibus controversiam inter duo jura quæcunque in qualibet materia decidendam esse probavimus n. 447. Ergo hæ leges etiam inter principem et populum servandæ sunt. Unus namque innocens nequaquam fit minus inviolabilis eo quod a multis adversariis impetitur ; nec multi innocentes minus inviolabiles sunt, quia ab uno quodam potentiore adversario vexantur. Ergo, etc.

1008. Pos. 496ᵃ. — Quoties princeps est absolute independens, nulla est humana potestas cui liceat illum in judicium adducere et principatu spoliare.

Prob. — Quoties principatus aliquis a constanti facto naturali enatus est (504), vel a populo ita collatus, ut nullum jus mali regiminis castigandi sibi ipse reservaverit, publica auctoritas tota in principis potestate est. Ergo, nisi extra illam societatem adsit alia auctoritas ad quam ejus principis causa deferri jure possit, nullo pacto licet eum in judicium vocare aut ullam eidem pœnam imponere. In his namque rerum adjunctis altera pars litigans ab altera damnaretur ob ejus ipsius simplicem accusationem; quod iniquissimum judicium est. Etenim, ut n. 1007 vidimus, in tali controversia ambæ partes adversæ, princeps et populus, pares sunt, et neutra potest jure quod possidet, ob simplices alterius criminationes, privari, quamdiu jus illud alio validiore non colliditur. Atqui nullum validius obstare contra jus actualiter possessum potest, quamdiu hoc jus adversum non est certum. Et certum nullum ejusmodi jus haberi potest, nisi certum a tertia persona, legitimam judicandi potestatem habente, palam dicatur : neutra enim pars litigans potest jure in sua causa testimonium dicere aut ferre juridicam sententiam. Atqui, ubi princeps est omnino independens, nulla est tertia persona quæ polleat jure judicandi de principis causa; nam principe absoluto atque independente nulla est humana auctoritas superior. Ergo, etc.

1009. Pos. 497ᵃ. — Ubi principatus libere a populo collatus est et mali regiminis castigandi jus ille sibi reservavit, licet uti-

que populo legitime congregato de principe judicare, eumque, si opus sit, principatu spoliare.

Prob. — Quando principatum libere populus cuidam personæ vel familiæ contulit, et malorum in ordine politico reparationem ille sibi reservavit, tunc suprema auctoritas politica penes populum est. Ergo, quoniam lege possessionis tales inter populum et principem controversiæ decidendæ sunt (1007), populus tunc habet jus de principe tyrannice gubernante judicandi, eumque pro merito puniendi, modo legitime, idest servatis debitis formis, conveniat ac deliberet. At, si populus, in primitiva sui principis electione, jus illud ordinis politici turbati restaurandi nequaquam sibi reservaverit; tunc princeps electus auctoritatem prorsus independentem et irrevocabilem acquisivit ac possidet. Ergo nulla populi accusatione, nullo judicio unquam poterit principatu spoliari, vel utcunque puniri, ut præcedenti positione jam constitutum est.

1009. Pos. 498ª. — Quoties superior aliquis princeps adest, qui jus inferioris principatus protegendi habeat, ad superiorem eum principem attinet de inferiore principe tyrannice gubernante judicare.

Prob. — In ditionibus, quæ a superiore aliquo principe creatæ sunt, et quarum protegendarum jus superior hæc auctoritas habet, cujusmodi hodie sunt Helvetiorum quædam oppida, et olim fuerunt tot illa regna et ditiones Romano Pontifici subordinata, ex juris hypotactici legibus (725) et ex primis justitiæ principiis evidens est, principem superiorem teneri abusus auctoritatis in inferiore impedire prorsus et corrigere : inferior namque hic princeps pertinet ad majorem illam societatem, cujus ordinator est princeps alius superior. Ergo, si princeps majori alteri principi subordinatus tyrannice rem publicam gerat, majoris principis jus et officium est, de illo judicare eumque congrua pœna mulctare.

1010. Coroll. 1. — Totam hanc controversiam principio possessionis, ut quisque videt, decidimus : quod principium, possessorem scilicet non posse possessione sua nisi a judice legitimo et ex certa causa spoliari, tam evidens est, ut popularis dominationis assertores ipsi, qui *Liberales* vel *Libertini* vocari consueverunt, hoc principium, nihil cogitantes, et maxime admittant, et ad suam doctrinam tuendam adhibeant. Nam 1° quidem hoc illi statuunt, supremam politicam auctoritatem populo semper ita competere ut sit inalienabilis : neque aliter populum

se posse a principum tyrannide tueri judicarunt. Atqui hoc statuentes aperte confitentur adversus principem independentem nullam defensionis rationem adesse, nullum de illo judicandi jus alteri ulli auctoritati competere posse, et populo, nisi politicum principatum ipse possideat, nullum jus ad principem absolute independentem oppugnandum, suaque jura vindicanda superesse.

2° Populi principatum gerentis decretis vim prorsus ineluctabilem inesse iidem docent, ita ut quoties ille, auctoritate abutens, cives tyrannice forte vexet atque opprimat, nullum civibus præter patientiam remedium restare confirment. Ergo, quoniam omnes principatus in pari conditione sunt, si quando fiet ut aliquis monarcha prorsus independens tyrannidem in populum exerceat, nullum populo remedium aliud quam patientia erit, ex ipsa Liberalium seu Libertinorum doctrina: principatum namque prorsus independentem a nullo judicari posse existimant, de populi principatu loquentes, adeoque eumdem pari modo inviolabilem fateri debent in quacunque persona quæ talem principatum possideat.

Coroll. 2. — Principatus independens, cujus errata possint juridice a societate illi subdita castigari, manifesta absurditas est et contradictio in terminis. Etenim, si termini æquivalentes in ejusmodi locutione substituantur, hæc assertio emerget absurdissima : *princeps independens sibi subditæ multitudini subest, ab eaque pendet.*

Coroll. 3. — Nonnulli fuse hoc loco explicant qua ratione populus agere contra principem debeat, ut adversus ejus tyrannidem ex rationis præscriptis insurgat. At nobis, qui ostendimus adversus principem omnibus juribus politicis absolute instructum nullam populi seditionem, nullum motum violentum licere, nequaquam sunt rebellionis leges determinandæ.

Quapropter, quæcunque rei publicæ tempora inciderint, sinceram et constantem legibus ac principis decretis obedientiam semper deberi asseveramus.

Quod si legitimus omnis successor principatui desit, particularium consortiorum præsidibus curandum erit ut populus prompte ac prudenter ad novum eligendum principem accedat.

Politica vero concilia vel senatus, quæ in quibusdam guberniis sunt pars illius moralis personæ in qua principatus residet, a primitiva talis gubernii constitutione certas habent leges, juxta quas sua jura debeant exercere.

Quicunque igitur ille sit, cui competat jus cognoscendi de malo principis regimine, scilicet vel superior aliquis princeps, vel aristocraticum aut populare quoddam concilium, secundum ea quæ nuper dicta sunt, in gravissimo hoc negotio semper ex justitiæ legibus erit accurate procedendum. Quare, si malum regimen a physica principis ineptudine oriatur, vicaria seu *regens* aliqua persona, physica vel moralis, designanda est; si a principis culpa emendabili, majora illi frena injicienda; si ab ejusdem culpa inemendabili, puniendus quidem ipse, at ejus familia non item; si a familiæ totius culpa, nequaquam in cœtus politicos, qui principatum cum ea participant, animadvertendum est. Denique, sive cautiones novæ sive punitio adhibeantur, ita semper bono publico est consulendum, ut ne privata principis jura ullo modo violentur.

Coroll. 4. — Ex iis quæ toto hoc articulo disputavimus, illud etiam manifeste colligitur, *tyrannicidium privatum* nunquam posse ulla de causa esse licitum. Sive enim princeps sit omnino independens, sive majori alicui principi subsit, privato nulli jus esse potest judicandi in tali causa, principisque tyrannidem exercentis condemnandi : hoc namque jus nulli potest alii quam superiori legitimo competere. Præsertim vero, quum horrenda illa doctrina, tyrannicidium privatis permittens, si semel admitteretur, latissimum aditum ad bonos malosque principes indiscriminatim necandos scelesti cujuslibet vel amentis furori omnino recluderet. Quapropter, et perpetua infamia contegenda sunt eorum nomina, qui, patriæ charitatem prætexentes, principis alicujus viri, rem publicam vel pessime gubernantis aut potius vexantis, sanguine manus suas nefario scelere macularunt; et summo cum animi horrore ac detestatione rejicienda est eorum sententia, qui, tyrannicidium privato cuilibet permittentes, sacrum justitiæ ordinem, principum etiam bonorum vitam, rei publicæ universæ salutem in perditi cujusvis aut furiosi hominis arbitrio posuerunt.

ARTICULUS IV.

De iis ad quos suprema auctoritas politica pertinet, ubi ejus possessor principatu exciderit.

1011. Notandum. — Diximus superiore articulo populum quandoque jure posse de principe tyrannice gubernante judicare;

at nondum perspicue determinavimus quid populi nomine intelligendum sit. Hujus autem nominis acceptiones mirum in modum variaverunt Liberales seu Libertini sic appellati, et pro arbitratu suo mulieres, pueros, servos, advenas, pauperes, minus divites, modo e civium numero excluserunt, modo in illum restituerunt.

Jamvero, ut quæstionis sensus omnino definiatur, quum quæritur quid sit populus, hoc statuendum est, quænam sint illa individua, ad quorum collectionem jura politica pertinent, quum eorum possessor principatu excidit. Jamvero, quoniam libro IV n. 475 ostendimus auctoritatis originem in concreto semper a facto quodam trahi, sicut ejusdem causa in abstracto est ipsa societatis natura, quisque videt, tunc populum, ad quem jura politica in eo casu transeant, longe aliud aliquid esse quam sociorum universam multitudinem, ac posse in unaquaque societate diversum quid esse pro diversitate factorum, a quibus auctoritatis transmissio et possessio pro tali casu dependet. Sic, *v. g.*, in regno hereditario, si rex principatu suo spolietur quacunque de causa, suprema potestas profecto ad principis exauctorati familiam pertinet. At, ubi principatus est penes popularem legationem seu *repræsentationem*, ut in provinciis Americæ unitis et in Gallia post pulsum Ludovicum Philippum, Præside utcunque deficiente, omnia jura politica sunt penes eam legationem debito modo congregatam, et cujus omnia membra debitum suffragiorum numerum obtinuerint. In sacro Imperio, suspensa manebant jura imperialia, Imperatore deficiente : at Electores tenebantur ad alium Imperatorem continuo designandum. In Polonia, principe demortuo, Diæta regnabat : Venetiis, ubi Dux deesset, patriciorum Magnum Concilium imperabat : in ditione pontificia, post Summi Pontificis mortem, toto interregni tempore, Cardinalium Conclave in jura politica, sed cum multis limitationibus et solum tanquam Romanæ Ecclesiæ vicem præstans, succedit.

1012. Pos. 499ª. — Principe et omni ejus legitimo successore deficientibus, jura politica ad universam sociorum multitudinem revertuntur; sed temporarie ab iis qui particularibus consortiis præsunt, gerenda sunt, donec novus a populo universo principatus constitutus sit.

PROB. 1ª PARS.—Auctoritas, per se spectata, in nullo subjecto determinate residet (451), sed solum facto aliquo defigitur concrete in quadam persona (464) : et omnes qui primo princi-

patus possessori legitime succedunt, jura politica possident vi ejusdem illius facti per quod primus in illa societate princeps ea possedit. Atqui, quum princeps et omnis ejus successor legitimus deficiunt, omnino cessat vis illius facti quæ auctoritatem in certa persona figebat : si enim vis illius facti in aliqua adhuc persona subsisteret, aliquis superesset legitimus principatui successor. Ergo, principe et omni ejus legitimo successore deficientibus, auctoritas in nulla persona determinate residet, ac proinde in populi multitudine universa indeterminate solum existit.

PROB. 2ª PARS. — In quavis societate semper necesse est auctoritatem concrete vigere ad totam societatem gubernandam (459). Ergo illi qui immediate sub principe consortiis unde major societas componebatur, præsunt, debent efficere ut nulli ex iis consortiis auctoritas concrete vigens et publico ordini consulens desit : iis enim præsidibus consortiorum illorum gubernatio sub principe incumbit. Ergo, donec populus possit ad novi principatus electionem prudenter atque ordine procedere, debent ii præsides jura politica ipsi gerere, et vel ipsi populum politice gubernare, vel personam physicam aut moralem idoneam designare, a qua res publica administretur.

1013. COROLL. 1. — Politica eorum qui sub principe consortiis particularibus præerant, auctoritas in eo casu temporaria solum est ; quia, quum politica jura ad principem pertinerent, ipsi jus ad particularia consortia gubernanda in ordine civili tantummodo habebant. Principe autem deficiente, nullus iis titulus adest, vi cujus perpetuo sibi jura politica vindicare possint. Etenim, quamvis ob necessitatem auctoritatis semper concrete vigentis, debeant illi præsides politicam rem aliquandiu gerere ; attamen hæc obligatio et hoc jus sunt omnino temporaria : possunt enim illi ac debent curare ut a populo novus princeps designetur : quæ omnia jam sunt a nobis libro 6° n. 729 breviter indicata.

COROLL. 2.—Post veram doctrinam circa principis jus inviolabile a nobis traditam, præcipuæ opiniones a nostra discrepantes paucis jam refellendæ sunt.

Itaque I. sententia quæ docet principem a populo habere potestatem irrevocabilem, 1° quoniam doctrinæ pacti socialis innititur, tam falsa est quam doctrina hæc, cujus falsitatem et absurditatem demonstravimus libro 4°, n. 459.

2° Hæc sententia continet præterea plura alia absurda et in-

justa. Nam absurdum est et a legibus justitiæ prorsus alienum, ut in sociali pacto, quo principatus alicui commissus est, potestas illi irrevocabilis tradita sit, etiam pro casu quo ille auctoritate sua ad populum vexandum et opprimendum abuteretur: impossibile quippe est ut eam potestatem committentes voluerint sese ultro tali pacto subjicere; quod si voluissent, legem naturalem in sua causa propria violassent. Quare, etiamsi hoc pacti essent, semper possent tale mandatum, utpote legi naturali contrarium, revocare.

II. Sententiæ, quæ a divina ordinatione inviolabilem principis potestatem repetit, hoc præcipue obstat: Divina ordinatio auctoritatem socialem utique constituit; at certam personam, quæ hanc auctoritatem gereret, nequaquam designavit. Jamvero, non de auctoritate ipsa, sed solum de persona, quæ auctoritatem possidet, tota est disceptatio.

III. Sententiam, quæ politicam omnipotentiam populo tribuit, refellunt ea quæ contra pactum sociale, superius n. 459, a nobis allata sunt. At eadem præterea cum immutabili justitiæ ordine conciliari nullo modo potest. Hic namque ordo postulat ut princeps et populus, tanquam pares in judicium veniant; ut suorum bonorum cuique possessio conservetur, donec alter a suo jure excidisse probatus sit; ut coram tertia persona, quæ in eadem causa non sit pars litigans, res agatur; ut testes a parte litigante diversi adducantur; et alia hujusmodi, quæ in illa sententia nullo pacto servari possunt. Quare tanta illius sententiæ absurditas est, ut doctiores quique e Liberalibus ad sententiam mitiorem confugerint, quæ solis prudentioribus civibus et in casibus solum determinatis, et cum certis cautionibus judicium de principis tyrannide committit.

Atqui adversus hanc ipsam sic mitigatam Liberalium doctrinam multa pugnant. 1° Judicium illud solis prudentioribus committitur. At quo petulantior quis fuerit, eo se prudentiorem existimat: et in re potissimum politica audaciores quique perturbatores sunt ii qui omnium optimi rei publicæ moderatores sibi videntur. Igitur et nulla ratio est prudentiores illos determinandi, et judicium illud imprudentioribus quibusque permittetur. Nemo quippe jus habet sese cæteris prudentiorem judicandi; et qui reapse prudentia præcellunt, a politicis commotionibus maxime abhorrent.

2° In ea sententia jus hoc prudentiorum a populo totum pro-

venit. Atqui populus, si penes illum hoc jus originarie residet, jure potest utique vel minus prudentes cives eligere, vel sibi ipsi hoc judicium vindicare. Tunc autem in absurdam effrenatorum Liberalium sententiam, quam nuper memoravimus, reciditur.

3° In politicis tumultibus etiam ii qui prudentiores habentur, vulgari opinione trahi se sinunt, aut saltem facile decipiuntur fallacibus rationibus, testibus, clamoribus partis seditiosæ.

4° Etiamsi prudentiores ii designari possent et pro sua prudentia judicare vellent, nulla illis esset ratio in unum coeundi locum, et de publica re deliberandi. Nam, si princeps patiatur haberi concilia quæ de illius regimine statuant, profecto ille neutiquam tyrannus est, atque idcirco tranquilla rei publicæ administratio illi est relinquenda. Si vero tyrannice reapse gubernat, prudentiorum conciones illæ impossibiles sunt.

5° Quænam sint delicta ob quæ princeps auctoritate sua spoliari possit, quænam testimonia sincera et sufficientia futura sint, nulla lex determinat, ubi princeps est absolute independens. Nisi autem hæc antea sint constituta, nulla prudentioribus illis norma est ex qua agnoscant utrum princeps tyrannus sit, utrum convenire ad judicandum possint vel etiam debeant.

6° Princeps, etiam male rem publicam gerens, nunquam solus est, sed a multis ei faventibus sustinetur. Si enim validis ejusmodi defensoribus careret, universa illum subditorum multitudine aversante, jam principatu suo fuisset dejectus. Jam vero hi principis defensores sunt et ipsi nationis totius pars et aliquando præcipua. Ergo binæ adsunt nationis universæ partes, quarum altera principi adversatur, altera favet; altera eum de loco dejicere, altera eumdem in principatu suo retinere vult. Inter binas autem has partes nullus inveniri potest judex idoneus qui rem dirimat. Ergo nunquam licebit alteri nationis parti contra principem atque alteram partem illi faventem insurgere.

7° Denique doctores isti, qui populo supremam plenamque potestatem ad judicandum de principe ita tribuunt, ut certas tamen cautiones omnino adhibendas esse judicent, similes sunt illius, qui homini amenti ac furioso securim præberet, eum rei publicæ solum dominum ac supremum judicem palam et coram ipso deprædicans, sed simul eumdem rogans atque obsecrans per sui ipsius amorem, per boni publici studium, ut ne feriat, ut ne sua potestate abutatur. Populus enim iste, cui supremam

politicam potestatem isti boni attribuunt, est ipsum illud vulgus, quod ab iisdem doctoribus cæcum, ineptum, furiosum, sui ipsius dirigendi prorsus impotens appellatur. Atqui, sicut imprudenter ageret qui judicem sibi hominem ejusmodi amentem eligeret, ita ineptiret omnino qui a tali judice prudentiam atque æquitatem in re dijudicanda speraret.

Quamobrem sententia, contra quam hic pugnamus, sincere ac nitide exposita, ad duplicem hanc propositionem reducitur: 1° populo jus est judicandi utrum debeat suo principi obedire: quod quidem absolutæ anarchiæ principium est; 2° periculosissimum est, populo tale jus permittere, quia impossibile est, ut non hoc jure abutatur : quod manifeste ostendit jus hoc nequaquam naturale esse posse. Itaque qui statuunt omnino principem aliquem esse creandum, quia populus, etiam quando pacate ac tranquille agit, ineptus ad seipsum dirigendum est, et simul populo tribuunt potestatem de rebus sui principis judicandi, atque id quidem per ebrietatem illam et furorem, quo in politicis tumultibus et cœtibus popularibus capi vulgus necesse est, evidenti atque intolerabili sese contradictione involvunt. Et princeps sane populo in hunc maxime finem præficiendus est, ut insanientem in politicis motibus multitudinem compescat, atque ordinem publicum et securitatem privatorum contra ejusmodi potissimum tempestates tueatur.

IV. Binæ sententiæ, quæ tertiæ cuidam personæ principis independentis causam judicandam committi volunt, sunt quidem abstracto justitiæ ordini maxime conformes; at ordini practico, qui in rebus humanis obtineri possit, omni ex parte repugnant. Nam 1° princeps suprema auctoritate præditus nequit, sine aperta contradictione, alteri cuipiam auctoritati subjici.

2° Etiamsi secundum jus alteri potestati princeps subjectus ponatur, nulla auctoritas apud homines adest, quæ vim coactivam habeat ad illius alterius potestatis sententiam congrua sanctione confirmandam, ejusque urgendam exsecutionem.

3° Quanquam altera illa potestas adesset, nulla tamen ratio illius adeundæ, causæque ad illam deferendæ foret. Princeps namque independens, viresque omnes sociales in sua potestate habens, omnino, nisi fatuus sit, impediet ne ad talem potestatem populus unquam confugiat.

4° Medio ævo tertia hujusmodi potestas, quæ omnium principum christianorum, quantumvis independentium, esset suprema

moderatrix, diu quidem et summa cum omnium nationum utilitate constitit; quam deinceps, perniciosis pseudopoliticorum mendaciis et turpissimis assentationibus decepti, christiani omnes principes rejecerunt. At suprema hæc potestas omnibus politicis principibus supereminens, quæ non alia fuit quam Romanus Pontifex, Christi Domini ad christianas omnes gentes toto orbe terrarum diffusas in re omni religiosa gubernandas Vicarius, ab ordine mere politico evidenter exit, intra cujus ordinis limites tota nostra disputatio hactenus conclusa est.

Igitur, ut statim hic innuamus quod fusius libro 12° disputabimus, veterem illam apud christianos omnes populos olim constitutam ac diu retentam, ordinis politici cum religioso compositionem sub Romani Pontificis paterna supremaque auctoritate, et sapientissimam et utilissimam fuisse plane arbitramur, et præterea hoc confirmamus, nullum alium posse excogitari modum legitimum tyrannidis in principe independente comprimendæ præter hunc ipsum a patribus nostris medio ævo usurpatum. Etenim ex iis quæ toto hoc 2° coroll. disseruimus manifestum fit, nullam prorsus esse potestatem civilem aut politicam quæ legitime utiliterque possit eam tyrannidem coercere. Ergo, nisi christianæ gentes supremam rei publicæ causam paterno arbitratui Romani Pontificis subjiciant, nulla via restat, qua illæ possint in pessimis ejusmodi temporibus ab exitio evadere. Sed de hac re plura in libro 12°.

ARTICULUS V.

Diluuntur objecta.

1014. Objic. contra pos. 498am : — 1° Absurdum dictu est totam aliquam nationem jure naturali obligari ad principis sui tyrannidem ferendam ita ut nihil ei liceat agere ad illius furorem et crudelitatem procul a se repellenda. Atqui ab illa positione talis absurda obligatio consequeretur. — 2° Incredibile est a Dei optimi providentia tam male humanam societatem fuisse constitutam, ut illi aliquando impossibile sit sese a sociali malo gravissimo liberare aliter quam legem naturalem violando. Atqui hoc in eadem illa positione plane continetur. — 3° Societas ad bonum hominum consociatorum tota naturaliter ordinata est : auctoritas autem ad societatis bonum suapte natura subordinatur.

Ergo persona quæ auctoritatem gerit, est veluti medium quoddam ad societatis felicitatem ordinatum. Atqui absurdum est finem ipsum evertere, ne medium aliquod lædatur. Ergo absurdum esset societatis bonum efficere impossibile, ne principis jura, quæ omnia ad societatis bonum naturaliter ordinata sunt, lædantur. — 4° Nos ipsi admittimus (1004) tyrannidem per se esse causam sufficientem, cur princeps auctoritate sua politica excidat : quod sane evidenti ratione fundatur. Nam, ut nos ipsi docuimus (*ib. prob.* 1ª *pars.*), quoniam auctoritas essentialiter est jus societatis ad commune bonum ordinandæ, essentialiter in persona quæ auctoritatem gerat, binæ aptitudines necessariæ sunt; altera mentis, ut societatem sciat apte dirigere; altera voluntatis, ut eamdem ad bonum velit perducere. Ergo, ubi princeps tyrannice gubernat, jam altera ex duabus istis essentialibus conditionibus caret; et idcirco ex ipsius rei natura, quin alterius ullius auctoritatis sententia judiciaria necessaria sit, a principatu excidit : eodem plane modo, quo princeps auctoritatem suam amittit, ubi amentia perpetua laboret. Ergo in casu tyrannidis, sicut in casu amentiæ, ut princeps auctoritate sua decidat, nulla opus est auctoritate alia, quæ principem auctoritate politica exspoliet; facto enim ipso et defectu essentiali jam est principatu spoliatus; sed factum illud essentialis ineptitudinis solummodo comprobandum est. Atqui hoc efficere ipsi subditi possunt in casu tyrannidis non minus quam in casu amentiæ. Ergo sic evertitur unica ratio, propter quam negamus, principem independentem tyrannice gubernantem posse a populo expelli, quia scilicet nulla competens auctoritas ad eum judicandum adest. — 5° Saltem populus in tali casu habet jus belli contra suum principem gerendi. Nam inter æquales, ubi alter rationi cedere nolit, alter, pro quo ratio stat, adversarium vi oppugnare potest. — 6° Jus contra principem tyrannum insurgendi est certum in cujusque civis conscientia, quæ causæ justitiam optime cognoscere ac judicare potest. Ergo hac certitudine innixus potest populus juste principem tyrannum expellere. Ergo, etc.

1015. Resp. ad 1um : — Nego maj. et min. Majorem negamus, quia multa sunt alia ejusmodi infortunia gravissima, quæ miseri innocentes pati ex improborum hominum iniquitate ac sævitia debent, quin eis liceat contra oppressores suos per vim insurgere : quod tamen et ipsi adversarii fatentur. Semper utique fuerunt ac semper erunt multi pauperes divitum fastu ac su-

perbia conculcati, multi pupilli creditorum avaritia vexati, multi infirmi potentium crudelitate oppressi, multi simplices veteratorum astu decepti, multi probi homines, egregiis factis præcellentes, præsidum injustitia depressi. His autem miseris hominibus nulla plerumque a judicibus salus speranda est : horum namque judicia, ut plurimum, ad miserorum perniciem legali sententia confirmandam solum proderunt. Atqui tamen illa infortunia longe et frequentoria et graviora sunt quam vera quælibet principis tyrannis. Tyrannorum quippe, qui reapse apud christianos populos, præsertim recentioribus hisce ætatibus, vix ulli exstiterunt, et vix existere possunt, tyrannorum, inquam, iniquitas et crudelitas non populi multitudinem, non pauperes ac plebeios, a quibus nihil timendum, parum admodum sperandum habent, fere afficit, sed paucos aliquot, nobiles, potentes ac locupletes viros, quibus idcirco multæ rationes adsunt quibus possunt principis injustitiæ ac violentiæ vel resistere vel effugere. E contrario, iniqua privatorum præpotentia, inermem probitatem vexando, multitudinem ipsam impetit, atque ipso humanæ justitiæ gladio ad innocentes infirmos opprimendos utitur. Igitur sicut absurdum dictu non est, dimidiam generis humani partem eoque amplius ab altera dimidia parte constantem oppressionem pati oportere, quin priori contra posteriorem per vim insurgere liceat, ita et multo etiam minus absurdum est, aliquot individua a principe tyranno vexari.

Si vicinus me opprimat, me meis bonis exspoliet, meos judices corrumpat, promissa violet, carcere me inclusum teneat, aditum mihi ad principem præcludat, aliaque hujusmodi iniquissime in me committat, omnes utique me commiserantes dicunt, patientia opus esse, nullum aliud in terris remedium suppetere, sic in præsenti vita res humanas agi, in altera vita harum iniquitatum et sævitiarum ultionem ab Æterno Judice exspectandam esse. At, ubi injustus oppressor sit princeps, diversa statim sententia fertur; injustitia intolerabilis dicitur; insurgendum undique adversus eum esse statuitur; vi et armis eum de solio dejiciendum esse prædicatur. In privatum oppressorem cur non æque poterit oppressus ad sese defendendum vi et armis insurgere? Judices adeat, inquis : at judices, aut ignavi aut corrupti auro, vel nihil agunt, vel jus oppressori adjudicant. Injuste, reponis, id judices faciunt. At princeps justene subditos opprimit?

Nonne ad civium probitatem et innocentiam tuendam princeps constitutus est?

Quamobrem, utcunque res vertatur, innocentium oppressio his in terris impunita, sive a privato in privatum, sive a principe in populum exerceatur, in pari conditione sunt, neque alteri major ulla absurditas inest quam alteri.

Denique hæc duo notentur : 1um Rara populi alicujus calamitas non potest sufficiens præbere fundamentum doctrinæ quæ communis justitiæ principiis evidenter repugnet. Atqui superius ostendimus (1008), eam doctrinam quæ principem e suo loco dejici patitur ob crimen a nullo legitimo judice recognitum, a nullo teste legitimo confirmatum, primis justitiæ socialis principiis omnino adversari; et paulo inferius (1010, cor. 1) vidimus Liberales ipsos, quum de populo agitur, plane fateri, principem, hoc ipso quod suprema potestas sit, a nulla humana potestate judicari posse.

2um Superius (1010, cor. 2) etiam animadvertimus, absurdum et contradictorium in terminis ipsis esse, principem independentem a suis subditis puniri posse. Ergo, etc.

Negavimus præterea minorem, quia nequaquam docemus populo nihil licere agere ad principis tyranni vexationes prohibendas. Etsi enim jus armis contra illum insurgendi populo denegemus, at plures tyrannidis impediendæ rationes adsunt, quas breviter jam inferius n. sequente exponemus, et partim jam n. 1013 in fine corolli 2^i attigimus.

1016. Ad 2um : — Nego maj. et min. 1° Neg. maj. quia incredibile profecto non est, Dei providentiam populum aliquem malo irreparabili opprimi aliquandiu pati : hinc etenim hoc solum consequitur, Creatoris providentiam angustis vitæ hujus nostræ mortalis limitibus nequaquam contineri, atque idcirco breve præsentis vitæ spatium per se solum non sufficere ad divinæ providentiæ sapientiam ac bonitatem demonstrandam, et ad leges intelligendas quibus illa humanam societatem moderatur. At præterea credibile prorsus est Dei providentiam sævitia principis uti ad puniendum populum aliquem qui communibus et publicis sceleribus, ac præsertim publico religionis contemptu, iram Creatoris justissimam in se concitaverit.

2° Neg. etiam minorem; quia principis tyrannis non Dei providentiæ, sed sociali morum corruptioni, tanquam causæ imme-

diatæ tribuenda est. Neque enim tyrannice societatem habere princeps posset, nisi major civium numerus malo illius regimini aut positive cooperaretur aut moraliter conniveret. Quare vel tali regimine lex naturalis mimine læditur, et tunc subditorum querimoniæ injustæ sunt; vel talis gubernandi ratio legem naturalem violat, et tunc socordes homines ac turpes assentatores sunt illi omnes, qui tyrannicis principis jussis non resistunt *passive*, ut resistere in tali casu honestus quisque civis naturali officio debet. Itaque in tali animorum statu mirum non est cives ipsos tyrannidis catenas sibi innectere : et populus adeo corruptus et ignavus multo magis ipse sibi, quam princeps illi, tyrannus est. Qui quidem princeps, nisi plerorumque ejus gentis cooperatione sustentaretur, quidquid tyrannice agere institueret, passiva subditorum resistentia impediretur. Igitur tyrannidis mala non Creatoris Providentiæ, quæ illam solum permittit, sed societatis corruptioni et socordiæ tribuenda sunt. Quis autem sit finis quem Dei Providentia in tali permissione intendat, jam satis ex modo dictis intelligitur.

1017. Ad 3um : — Verum est societatem ad bonum sociorum et auctoritatem ad bonum societatis totam ordinari. At 1° falsum est personam quæ auctoritatem possidet, esse solummodo medium quoddam ad societatis felicitatem ordinatum. Est enim illa membrum societatis præcipuum, adeoque et ipsa, quanquam non sola ipsa, est finis ad quem societas ordinatur.

2° Auctoritas a principe possessa, non est solummodo potestas ad publicam felicitatem ordinata, sed est etiam bonum quoddam, cujus dominium et proprietas principi uni competit. Jamvero, ut vidimus lib. VI, n. 669 hæc auctoritatis possessio non solum officia et jura ordinis publici in principe creat, sed etiam jura et officia gignit ordinis quodammodo privati, quæ scilicet pertinent ad supremam auctoritatem sibi conservandam, eamque a cujuscunque adversarii aggressione vel insidiis defendendam. His autem juribus principem spoliari non posse nisi juxta leges a principio possessionis manantes, probavimus n. 1007.

3° Nequaquam societatis bonum negligimus, ut principis auctoritati faveamus. Nihil enim ad societatis felicitatem, quæ in publico ordine et privatorum securitate consistit, magis necessarium est, quam publicæ auctoritatis firmitas et efficacia (lib. IV, n. 429). Atqui seditiosa illa Liberalium doctrina, quæ populo jus de principe judicandi ejusque exauctorandi concedit, semel admissa,

jam quævis multitudo vulgi, vel auro corrupti vel mendaciis decepti, quæ populi sibi nomen adsciscat, rem publicam perturbare, ut principis jactatam tyrannidem evertat, et omnia publica et privata bona in discrimen adducere pro lubito poterit.

Nullum profecto luctuosius malum rei publicæ accidere, quam bellum intestinum, potest. Atqui princeps e suo loco dejici sine bello intestino nequit. Oppugnandi namque sunt et prosternendi qui partes principis tuentur. Quantam vero publicarum et privatarum calamitatum molem politicæ hujusmodi commotiones afferant, nostra ipsorum experientia nos his temporibus novimus. Quocirca, si societatis bonum spectetur, hoc maxime statuendum est, nunquam civibus licere contra suum principem insurgere ad quascunque societatis ærumnas depellendas.

1018. Ad 4um : — Fatemur utique tyrannidem per se sufficere in abstracto ad principem auctoritate sua spoliandum ; at negamus posse unquam in concreto et in praxi auctoritate sua a populo, vel a populi quibuscunque delegatis principem independentem spoliari : et vehementer negamus paritatem duorum casuum amentiæ et tyrannidis. In abstracto rem considerando, ob tyrannidem suprema sua auctoritate principem excidere, nos ipsi probavimus n. 1004. At in ordine concreto et practico, ut princeps ob eam causam principatu spolietur, probanda est hujus causæ veritas; probanda est a legitimis testibus; probanda est coram judice competente; ferenda est a judice æquo sententia, quæ dignum tanta punitione principem in tali casu judicet. Hæc enim omnia requirit omnino communis justitiæ ordo. Nunquam profecto licebit ob ullam causam certo jure quod aliquis possideat, illum spoliare, nisi ob contrarium jus certum, quo prius illud collidatur : in dubio namque vincit possessor (409). Atqui jus quod populus contra suum principem moveat, semper dubium erit; quia nullus legitimus testis, nullus judex competens adest, aut adesse potest, per quos causæ veritas ac certitudo adversus principem constituatur : nemo quippe judex, nemo testis in propria causa. Igitur Liberalium doctrina illa nequit accipi, nisi prius admittatur hoc principium, licere cuique adversario ob simplicem suam accusationem alium quempiam aggredi, eique suorum bonorum possessionem vi eripere : quod profecto principium, quo socialis ordo et individualis securitas funditus everterentur, nemo sanus unquam tolerabit.

At, inquiet aliquis, eædem justitiæ leges, quibus lites inter

privatos reguntur, nequaquam possunt ad casum, de quo nunc agitur, applicari. Nam, privatis inter se litigantibus, superior auctoritas adest, qua illorum lis decidi potest : at in casu nostro nulla superior auctoritas est; atque idcirco aliæ leges, extra communem ordinem positæ, adhibendæ sunt : et quod injustum esset in lite inter privatos, non erit injustum in causa quæ inter populum et principem vertatur, ob supremam necessitatem publicæ calamitatis depellendæ, quæ aliter depelli nequit, quam principem tyrannum auctoritate spoliando.

Respondeo, veritatis et justitiæ leges æternas, necessarias atque absolute immutabiles esse, ut a Metaphysicis in Ontologia probatur et nos retro constituimus libro II, nn. 160 et 161. Quare, si semel verum et justum est posse aliquem ob simplicem adversarii sui accusationem suorum bonorum possessione spoliari, semper id verum et justum erit pro quocunque casu. Itaque ex eo quod nullus legitimus testis, nullus judex competens haberi possit in causa, quæ inter populum et principem vertatur, non sequitur alias justitiæ leges, communibus contrarias, adeoque injustas, excogitandas esse et sequendas; sed hoc potius efficitur, ejusmodi litem inter populum et principem nullo pacto decidi posse, adeoque unicuique parti suorum jurium possessionem constare oportere.

Neque societatis bonum has justitiæ leges a communi ordine recedentes postulat : nihil enim publico bono magis adversatur, ut jam paulo ante notavimus, quam facultas ejusmodi, quæ populo tribuatur, contra suum principem vi et armis insurgendi præter communis justitiæ leges, scilicet sine legitima causa legitime probata et sine legitima judicis competentis sententia. Optima autem ratio ac tutissima est tyrannidis aut impediendæ aut corrigendæ, scilicet morum publicorum honestas et passiva injustis imperiis resistentia, de quibus duobus breviter diximus n. 1016.

1019. Ad 5um : — Nego. Ut enim liceat aliquem bello appetere, debet illi jus certum constare, et probabilitas prosperi eventus adesse. Atqui in casu nostro jus omnino incertum est, nec ulla ratio illius certitudinis acquirendæ suppetit : damna vero et pericula, quæ tale bellum societati universæ gigneret, plurima et gravissima sunt. Ergo nec justitia nec prudentia permittunt, ut tale bellum suscipiatur.

At incerta belli damna, inquiunt aliqui, semper certa oppres-

sio præsens superabit, atque illa damna et pericula libenter subimus.

Respondeo illos qui hæc effutiunt, nequaquam esse totam societatem : hujus namque magna pars principi favet, aliter enim princeps sese diu tueri ac suam potestatem retinere non posset. Præter hanc societatis partem principi plane faventem alia pars semper adest, quæ regiminis quidem mutationem, sed non cum tanto suo detrimento aut periculo vellet. Denique minimus ille sociorum numerus, qui principem tyrannum per vim expelli omnino vult, suam sententiam certo atque authentico modo nunquam aperit. Ergo paucis quibusdam hominibus seditiosis res publica permittenda esset, atque ad eorum imprudentiam atque insaniam sequendam pax, fortunæ, libertas, vita ipsa cæterorum omnium societatis membrorum gravissimis periculis objicienda essent, atque adeo sine ullo titulo certo ac legitimo, quo necessitas adeundi tot pericula comprobetur : quæ omnia quam absurda sint, quisque videt.

1020. AD 6um : — OMIT. ANT., NEGO CONSEQ. Conscientia cujusque hominis individui est quidem regula et dux actionum illius individualium : optime illa potest alteri cuipiam litiganti contra alterum jus præbere, quotiescunque de singulis hominibus et de privatis eorum negotiis agitur. At, quum quæritur de actione quadam sociali, qualis est ea quæ sociale bonum vindicare aggreditur, privati hominis conscientia nequaquam legitima regula esse potest. Actio namque socialis dirigi debet a justitia sociali authentice, idest juxta formas cujusque societatis proprias manifestata : hoc quippe judicium, sic manifestatum, illud est quo constituitur *conscientia socialis*, seu proxima actionis cujusque socialis regula. Itaque qui unius aut plurium sociorum conscientia actionem socialem dirigendam esse statuit, rem affirmat absurdiorem quam ille qui vellet unius individui conscientia actiones alterius individui esse dirigendas. Etenim duo individua, quamvis diversam personam habeant, in eadem nihilominus specie sunt. At in casu nostro actio dirigenda extra limites non solum personæ alterius, sed etiam illius speciei posita est : diversæ namque speciei sunt actio individualis et actio socialis. Igitur, si absurdum esset alterius hominis conscientiam, tanquam proximam regulam, actionibus alterius velle præfigere, multo absurdius erit unius aut plurium individuorum conscientia socialem actionem dirigendam esse statuere : pari nempe sapientia possemus astrorum

motus legibus vegetationis, et picturæ artificium legibus nauticis velle moderari.

CAPUT III.

De diversis jurium politicorum speciebus universim, et de potestate constituente.

ARTICULUS I.

De rationali jurium politicorum specificatione.

1021. Notandum. — In quonam subjecto determinate resideat jus societatis politice ordinandæ superioribus duobus capitibus traditum a nobis est. Jam altera problematis superius positi pars consideranda est, quonam scilicet modo ille qui jura politica possidet politice societatem ordinare debeat. Quæ res ut perpicua fiat, hoc in primis in mentem revocandum est, societatem esse medium quoddam ad individuorum felicitatem omnino ordinatum; medii autem cujusque bonitatem ejus fine determinari, atque in ejus aptitudine ad finem consistere. Quare societas tunc solum erit recte ordinata, quando erit apta ad socialem individuorum operationem et tuendam et perficiendam. Hic igitur est verus atque unicus ordinis politici et auctoritatis politicæ finis proximus, societatem ita ordinare ut ea sit apta ad socialem individuorum actionem et tutandam et perficiendam : qui finis idcirco ad finem immediatum civicæ operationis subordinatur, sicut immediatus iste finis subordinatur ad universalem actionis humanæ finem, qui est hominis cujusque felicitas perpetua post hanc vitam obtinenda.

1022. Pos. 500ª. — Politicæ auctoritatis duæ præcipuæ functiones sunt : altera quæ sociorum facultates per mentium, voluntatum, corporum et fortunarum conjunctionem, altera quæ sociorum actionem, cognitionem illis et voluntatem et potestatem boni peragendi suppeditando, perficit.

Prob. 1ª pars. — Ut societas fiat apta ad socialem individuorum actionem et tutandam et perficiendam, debet illa, et esse et

operari; et quanto perfectius illa et *erit* et *operabitur*, tanto aptior erit ad finem suum immediatum consequendum. Ergo politica auctoritas debet societatis et *esse* et actionem perficere. Jamvero, quod ad societatis *esse* pertinet, societas est entium intelligentium conjunctio (425). Ergo tanto perfectior erit societas, quanto erit perfectior sociorum conjunctio. Conjunctio autem hæc tanto erit perfectior, quanto plura elementa socialia continebit, et quanto arctius illa simul colligabit. Atqui societatis elementa sunt individua, eorumque facultates omnes tum intellectuales tum morales. Ergo *esse* societatis tunc solum erit perfectius, quando omnia individua omnesque eorum facultates in perfectiorem unitatem continebit. Jam humanæ facultates quadruplicis speciei sunt : intelligentia, voluntas, corpus, et fortunæ. Ergo politicæ auctoritatis hæc prima functio est, in aptissimam, quam fieri possit, consensionem componere sociorum facultates modo enumeratas.

Prob. 2ª pars. — Hoc esse, quo societas constituitur, tendit suapte natura ad finem quemdam ab ejus Conditore illi præfixum (19, 21). Atque hæc tendentia, sive actio, ut sit perfecta, debet recta, idest per media aptissima, ad finem illum properare. Atqui media ad finem aliquem obtinendum apta ad triplicem hanc speciem omnia reducuntur, nimirum : ut illum finem cognoscamus, ut illum velimus, ut illius assequendi vim habeamus. Ergo tanto perfectior erit politica societatis actio, quanto perfectiores erunt illius cognitio et voluntas et vis seu potestas boni socialis obtinendi, et quanto rectius per tres hasce facultates ad civicum ordinem conservandum ac perficiendum, qui proprius est illius finis, contendet.

1023. Coroll. — Inquirenti igitur modum quo politica auctoritas societatem ordinare debeat, bina generalia problemata resolvenda sunt : 1um Quanam arte, et sub quibusnam legibus debeat ac possit politica auctoritas quadruplicem illam unitatem, mentium, voluntatum, corporum et fortunarum, comparare. 2um Quænam sint leges morales, per quas actionis illius politicæ perfectio obtineri possit.

Præterea ex iis quæ in postrema positione probanda diximus, et in superioribus libris singillatim demonstrata sunt, colligitur facile quænam sint præcipuæ divisiones ad quas moralis philosophia politica universa reduci potest. Nam leges actionis politicæ ad societatis *esse* perficiendum spectantis determinando, debet hæc

specialis doctrina 1° rectam tradere notionem principiorum in re publica gerenda sequendorum, quorum complexio solet *ratio politici regiminis* (*la raison d'Etat*) appellari; quod ad unitatem mentium pertinet; 2° jura et officia *personarum socialium* (451) reciproca explicare; quod spectat ad unitatem voluntatum; 3° præcipuas leges socialis *organismi* respectu sociorum ipsorum et territorii; quod ad materialem personarum et bonorum unitatem attinet. Ubi vero leges actionis politicæ constituat, determinare debet officia societatis spectantia 1° ad necessariam sibi cognitionem comparandam, idest varios politice deliberandi modos; 2° ad bonum volendum, scilicet ad leges ferendas; 3° ad potestatem boni peragendi in se ipsa ordinanda, nimirum ad cœtus exsecutivos et formandos et perficiendos.

1024. Pos. 501ᵃ. — Jurium politicorum quatuor species sunt: potestas constitutiva, potestas deliberativa, potestas legislativa et potestas executiva, quæ quadruplici parte constat, gubernatione, administratione, judiciis et vi publica.

PROB. — 1° Auctoritas politica debet ipsum esse societatis efformare (1022). Ergo functio societatis constituendæ ad illam pertinet, nimirum habet *potestatem constitutivam*, cujus norma est unitas socialis obtinenda.

2° Auctoritas politica debet cognitionem idoneam societati comparare. Ergo debet ita societatem ordinare, ut persona gubernans probe cognoscat et subjectum gubernatum et finem ad quem illud perducendum est, et vias per quas illud deduci oportet. Atqui recta cognitio a duobus pendet, ab intelligentiæ aptitudine et ab idonea illius ad objectum applicatione. Ergo societas debet ita ordinari, ut *potestas deliberativa* et in se ipsa sit perfecte ad cognoscendum sociale bonum comparata, et ad suum objectum apte applicata, nempe ut sociales necessitates ad illam apte deferantur.

3° Politicæ auctoritatis est actionem ad bonum publicum volendum et faciendum determinare. Ergo debet ita rem publicam ordinare, ut justæ et prudentes a *legislativa potestate* leges ferantur.

4° Ad politicam auctoritatem pertinet materialem societatis operationem ordinare, nimirum *potestas executiva*. Atqui materialis exsecutio potest spectare ad ordinandas in commune bonum vel personas vel res. Personas apte dirigere *gubernationem* dicimus; res apte ordinare, *administrationem* vocamus.

Jamvero in duabus hisce potestatis executivæ functionibus potest politica auctoritas offendere in obstacula vel ordinis moralis, nempe in jus contrarium, vel ordinis physici, nempe in subditi renitentiam. Ergo debet politicæ auctoritati adesse et potestas quædam exsecutiva ordinis moralis, quæ dicitur *potestas judiciaria*, et alia exsecutiva potestas ordinis physici ad vim renitentium superandam, quæ *vis publica* appellatur. Ergo, etc.

1025. Coroll. — Postrema hac positione divisio jurium politicorum completa continetur, quæ non ex hujus aut illius populi consuetudine, sed e societatis, quæ debet esse *hominum conjunctio*, natura ipsa enascitur. Nam quia est *conjunctio*, debet esse moraliter connexa, seu *constituta*; quia vero est *hominum* conjunctio, debet dirigi per ea, quæ actionis humanæ principia sunt, scilicet per *cognitionem*, *voluntatem* et *exsecutionem*.

ARTICULUS II.

De unitate politica mentium et voluntatum apud socios constituenda et de ratione status.

1026. Notandum 1. — Jam libro 8° nn. 874 et seqq. ostendimus, auctoritati sociali officium incumbere membra omnia societatis in eamdem veræ religionis professionem conjungere. At, quanquam religio ibi ut bonum individuorum, quod publica tutela protegi ad ipsorum utilitatem debeat, consideranda esset, eamdem nihilominus, analogia ducti, sub politica quoque socialis unitatis ratione spectare debuimus. Igitur primum et omnium validissimum unitatis inter sociorum intelligentias vinculum, quod in communi assensu ad eamdem religiosam veritatem consistit, ibi jam a nobis determinatum est.

Notandum 2. — Unitas socialis in dogmatibus, seu speculativis seu practicis, veræ religionis nequaquam sufficit ad mentes sociorum perfecte conjungendas. Quum enim publicæ societati alius sit finis immediatus, ordo scilicet externus, qui per se multis modis variari potest pro diversitate elementorum ex quibus ille emergit, unitas præterea judiciorum et voluntatum respectu finis hujus immediati omnino necessaria est : hac quippe unitate deficiente, socialis operatio relate ad finem associationis immediatum in diversa paulatim abiret, ac societas illa sensim dissolveretur.

Animadvertendum quoque hic est, immediatum istum ordinis politici finem a fine immediato ordinis civilis esse diversum : ille etenim est individuorum associatorum bonum, hic vero est bonum associationis universæ. Itaque eodem pacto, quo auctoritas debet mentes animosque ad bonum individuorum civiliter conjungere, ita eosdem debet ad bonum universæ associationis politice movere. Quamobrem omnia quæ libro 8° de unitate inter socios civiliter procuranda diximus, ad unitatem politicam inter eos perficiendam hic applicanda sunt.

1027. Pos. 502ᵃ. — Absoluta libertas de re politica publice loquendi aut scribendi subditis concessa omnino absurda et perniciosa est.

Prob. — 1° Absurdum est ac perniciosum aliquorum temeritati permittere illud a quo societatis universæ bonum dependet. Jam auctoritas politica naturali officio tenetur ad mentium et animorum unitatem respectu politici ordinis procurandam. Hæc autem unitas non aliis mediis constitui potest, quam iis quæ ad sociorum concordiam in ordine civico statuendam adhiberi oportere superius libro VIII jam vidimus. Ergo eadem debet et errores eam unitatem oppugnantes propulsare, et veritatem, quæ ad hanc unitatem referatur, in aperto ponere, et auctoritatis vim, et secundaria quoque media utilitatis, sensus ac passionum adhibere ad unitatem illam, a qua totum societatis universæ et singulorum civium bonum dependet, constituendam et confirmandam. Ergo, si quis politicas opiniones, quæ ad hanc unitatem dissolvendam tendant, in publicum spargere audeat, politicæ auctoritati et validissimum jus et gravissimum officium est eas doctrinas supprimendi, inflictis etiam earum auctori pœnis congruentibus. Ergo delicta opinionis politicæ impunita relinquere non minus absurdum quam perniciosum esset.

Liberum sane cuique est de re politica apud suam mentem utcunque opinari. At quando opiniones istæ a mentis penetralibus in publicam lucem producuntur, falsasque ideas de politicis juribus, de rei publicæ commodis inter socios propagando socialis discordiæ semina spargunt, nequaquam liberum esse potest de re politica utcunque opinari. In opinionibus namque istis in populum propagatis universæ nationis sors plane vertitur. Totius autem nationis sortem audaciæ ac versutiæ sophistæ cujuslibet, qui eam perturbare ac perdere velit, negligenter permittere, absurdissimum profecto est atque ad societatem socios-

que singulos maximis damnis afficiendos aptissimum. Ergo, etc.

2° Absurdum est cujuslibet sophistæ deliramentis permittere illud quod immutabilis veritatis legibus jam determinatum est. Atqui quod bonum et justum in ordine politico est, certissimis veritatis legibus jam est constitutum. Etenim verum hominis bonum in præsenti vita est bonum honestum (270). Honestas autem in relationibus socialibus universe spectata nihil aliud est quam socialis justitia (444). Ergo bonum sociale in relationibus politicis nihil aliud est quam justitia in ordine politico, sicut bonum in relationibus civicis nihil aliud est quam justitia in ordine civico. Itaque, sicut justitia in ordine civico postulat ut sua jura cuique individuo serventur intacta, ita justitia in ordine politico requirit ut inter personas politicas jura et officia omnia reciproce observentur. Atqui justitia in ordine politico non est profecto aliquid ita abstrusum et reconditum, ut eam inquirentes sociorum mentes, adeoque et voluntates, perpetuo incertæ hærere debeant; nec determinatu difficilior ullo pacto est justitia in ordine politico quam in ordine civico. Nam Status, seu societas politica, est associatio quædam particularis universalibus humanitatis et justitiæ legibus adstricta, non secus ac societas civilis : et modus abstractus quo a sophistis Status, seu politica societas, confingitur, tam absurdus est, quam commentitiæ hypotheses, quibus eumdem illi fundare student (459), et quibus sociale omne jus et officium prorsus evertitur. Ergo falsum est opiniones de re politica esse liberas; sunt enim veritatis legibus obnoxiæ : falsum est liberam esse cujusque loquelam in re politica; quia loquela debet cum mente veritati obsequente consentire. Ergo, etc.

1028. Pos. 503°. — *Ratio Status* licita unica est, scilicet justitia ad ordinem politicum applicata.

Prob. — *Ratio Status* appellatur ratio propter quam certa quædam res publica, seu *Status*, talem determinatam formam habere ac certa quædam media adhibere debeat ad sese conservandam et perficiendam. Ergo ratio Status debet esse medium quoddam, quo sociorum mentes ac voluntates conjungantur ad talem formam politicam et talia media volenda. Nisi enim hoc modo mentes ac voluntates sociorum conjungantur, impossibilis efficitur omnis Status seu politica associatio. Status enim consistit in mentium ac voluntatum conjunctione sub certis formis a jure determinatis (472). Atqui unica ars mentium ac voluntatum conjungendarum est, certam et perspicuam illis veritatem exhibere :

veritas autem qua voluntates in ordine sociali flectuntur, est jus seu justitia. Ergo politicus ordo, qui jure et justitia nitatur, mentes ac voluntates naturaliter conjunget, ubi mentes illum perspiciant; unde fiet, ut eumdem etiam voluntates ament. Quæcunque alia media, juri et justitiæ repugnantia, dissensiones et discordias inter socios naturali necessitate inducent. Ergo quæcunque ratio status, a jure et justitia recedens, inepta est, effectum illi quem intendit, contrarium parit, et nequaquam ratio Status, sed Status eversio est. Ergo, etc.

1029. Coroll. 1. Ratio Status igitur non est exceptio quædam communibus justitiæ legibus facienda. Quin imo regulam aliquam in re publica gerenda adhibere ab his legibus absonam, perinde est atque omnem rationem Status perimere ac naturalia cujuscunque Status fundamenta destruere. Quare politica societas, quæ seipsam constituendo a justitiæ semitis abscedat, seipsam, dum se confirmare vult, labefactat. Sunt enim humanæ menti ac voluntati, atque idcirco humano cuicunque consortio, leges quædam morales defixæ, quas natura humana, quanquam libertate vigeat, certissime tamen sequitur; sicut naturæ materiali præsunt physicæ et mathematicæ leges, quibus illam obedire necesse est. Itaque, quoniam societas est mentium et voluntatum conspiratio, et mentes ac voluntates non nisi vero et bono conjungi possunt, qui societatem politicam, principiis a justitia, scilicet a vero et bono alienis, fundaverit, ædificium morale construxit, quod non multo post tempore tam certe corruet, quam certum est ædificium materiale, contra staticas æquilibrii leges exstructum, brevi esse collapsurum.

Unde duo facile intelliguntur : 1um Quænam sit ratio philosophica, cur Status per politicos tumultus præter justitiæ socialis ordinem constituti perpetuo vacillent. Sunt namque illi non quidem legitima per justitiæ vias progressio, sed juris omnis politici subversio per vim effecta. Itaque hujusmodi Status carent *vero* quodam, quo mentes omnes subjiciantur, nimirum *vero ordine*. Verum autem illud particulare, cui aliquorum tantum mentes obediunt, cujusmodi est passionis alicujus politicæ aut privatæ expletio, nequaquam ad mentes omnes subigendas valet : quin imo a cæterarum communione separat paucas illas, quas eo particulari vinculo adstringit.

2um Inde etiam colligitur ineptam non minus quam scelestam esse artem politicam a Macchiavello descriptam, qua pleri-

que singulos maximis damnis afficiendos apti...

2° Absurdum est cujuslibet sophistæ de... illud quod immutabilis veritatis legibus ... Atqui quod bonum et justum in ordine ... ritatis legibus jam est constitutum. ... num in præsenti vita est bonum ... tem in relationibus socialibus u... quam socialis justitia (444). E... politicis nihil aliud est qua... bonum in relationibus civi... dine civico. Itaque, sicut ... cieta- jura cuique individuo, ... so- ... perfectione ... politico requirit ut ir... ...ionis, idcirco ... tum reciproce observent ... socialis ...is societatis constitutionem, profecto aliquid i... quæ inter personas sociales et per- sociorum ment... ...a illius societatis formatione interce- re debeant; ...dem *leges* et *propria instituta*, quæ sunt ordine poli... ...sociale obtinendum; 3° *robustum* ac florentem politica, ...et moralibus bonis rei publicæ *statum* : qui quidem nitatis ... apud rudes et incultas gentes barbaram alienarum et mo... armis occupandarum cupiditatem gignit. De hoc tri- con... amore civico-politico jam libro VIII satis dictum est.

a...

ARTICULUS III.

De politica unitate materiali constituenda.

1030. Pos. 504ª. — Ad materialem unitatem politicam societatis constituendam duo elementa conjungenda sunt : unitas politici organismi et unitas territorii.

Notandum. — *Organismum* societatis appellamus leges, quibus ea regitur, et auctoritates, alias aliis subordinatas, a quibus ea gubernatur.

Prob. — Materialis unitas politica societatis duobus elementis continetur : unitate organismi socialis et unitate territorii. Nam 1° sine multiplici potestatum politicarum subdivisione in plures personas, impossibile est, ut amplior quævis societas suum commune bonum obtineat, ut jam ostendimus libro VIII n. 844. Impossibile namque est ut unica persona cognoscat omnia quibus singula minora consortia indigent, atque iis omnibus ipse unus

subdivisiones istæ singulæ sunt partes quædam, tali subduntur, habent tamen ordinem sibi ...a omnis societas *unitate operationis mul*... Ergo, etc.

...bus humanis consortiis compositum, ...nitatur, ex quo necessaria sibi ad ...us autem est, nisi individua, ...onuntur, et consortia, quibus ...m territorio degant, neque ...mune bonum societatis ... enim conspiratio consistit ...æstandis, quæ personarum præ-...um in eodem quodam loco omnino re-...ues auctoritatibus illis apte compositis posset sa-... constanter societatis politicæ partes gubernatio transmitti, ... in uno certo loco simul habitarent. Ergo, ut ...materialis unitas politicæ societatis habeatur, bina hæc elementa simul constituenda sunt, unitas politici organismi et unitas territorii.

1031. Pos. 505ª. — Formæ organicæ ac territorium, quæ societati cuique conveniunt, sunt illa sola quæ primitivo facto associanti consentanea sunt.

Prob. — Particularis quæque societas est effectus resultans ab abstracto principio socialitatis et a facto quodam particulari, quod est principium concrete associans (473) : ex tali autem facto oriuntur jura quædam (475), quæ sunt fundamentales ejus societatis leges. Ergo societatem particularem perficere est unitatem perfectam illi tribuere juxta normam illius facti et jurium ab eo facto provenientium. Ergo politico ordinatori nequaquam liberum est vel territorium, vel formas organicas, utcunque velit, determinare : quia nequit pro suo lubito jus creare (356), sicut facta ipsa nequit pro arbitratu suo producere. Quare socialem organismum ac territorium constituere, nihil aliud est quam societati maximam illam et loci et formæ unitatem præbere, quæ in peculiaribus illius circumstantiis obtineri possit, salvis omnium juribus, ita ut politicus ordo materialis semper justitiæ, idest morali ordini, subjiciatur. Ergo, etc.

1032. Coroll. — Exinde consequitur distinguenda diligenter esse ea quæ justitiæ legibus jam sunt omnino præstituta ab iis quæ a suprema auctoritate pendent. Etenim quod justitiæ ordo

que laici principes, ejus scriptoris memoria et sequentibus tribus seculis, usi sunt, et qua nonnulli adhuc præsertim hæretici utuntur. Nulla namque idonea potest esse ars mentes subditorum jungendarum, quam quæ in veritatis aditu eisdem facili exhibendo consistit. Huic principali medio poterunt utique secundaria præsidia quædam adjungi; quæ tamen illi, tanquam fundamento, niti semper necesse est. Ars etenim mentium regendarum præsupponit veritatem qua illæ capiantur, atque in facili tutoque modo practico hujus veritatis adhibendæ tota versatur.

Coroll. 2. — Recta ratio Status eo spectat, ut omnes societatis cœtus idem bonum publicum velint. Et quoniam bonum societatis, ut alius cujuscunque entis, consistit in perfectione tum ipsius esse, tum tendentiæ, tum consecutionis, idcirco socialis amor vult ac tuetur 1° *propriam* talis societatis *constitutionem*, nimirum proportionem illam, quæ inter personas sociales et personas physicas ex primitiva illius societatis formatione intercedit; 2° *proprias* ejusdem *leges* et *propria instituta*, quæ sunt media ad bonum sociale obtinendum; 3° *robustum* ac florentem materialibus et moralibus bonis rei publicæ *statum* : qui quidem tertius amor apud rudes et incultas gentes barbaram alienarum terrarum armis occupandarum cupiditatem gignit. De hoc triplici amore civico-politico jam libro VIII satis dictum est.

ARTICULUS III.

De politica unitate materiali constituenda.

1030. Pos. 504ª. — Ad materialem unitatem politicam societatis constituendam duo elementa conjungenda sunt : unitas politici organismi et unitas territorii.

Notandum. — *Organismum* societatis appellamus leges, quibus ea regitur, et auctoritates, alias aliis subordinatas, a quibus ea gubernatur.

Prob. — Materialis unitas politica societatis duobus elementis continetur : unitate organismi socialis et unitate territorii. Nam 1° sine multiplici potestatum politicarum subdivisione in plures personas, impossibile est, ut amplior quævis societas suum commune bonum obtineat, ut jam ostendimus libro VIII n. 844. Impossibile namque est ut unica persona cognoscat omnia quibus singula minora consortia indigent, atque iis omnibus ipse unus

prospiciat. Atqui subdivisiones istæ singulæ sunt partes quædam, quæ dum ordini totali subduntur, habent tamen ordinem sibi proprium. Ergo politica omnis societas *unitate operationis multiplicis* omnino indiget. Ergo, etc.

2° Ens hoc morale, pluribus humanis consortiis compositum, eget sane aliquo territorio, quo nitatur, ex quo necessaria sibi ad victum cultumque trahat. Evidens autem est, nisi individua, quibus particularia consortia componuntur, et consortia, quibus politica societas constat, in uno quodam territorio degant, neque individua neque consortia posse ad commune bonum societatis universæ efficiendum conspirare. Hæc enim conspiratio consistit in multis officiis sibi mutuo præstandis, quæ personarum præsentiam aut propinquitatem in eodem quodam loco omnino requirunt. Neque ab auctoritatibus illis apte compositis posset salutaris ad omnes societatis politicæ partes gubernatio transmitti, nisi hæ constanter in uno certo loco simul habitarent. Ergo, ut materialis unitas politicæ societatis habeatur, bina hæc elementa simul constituenda sunt, unitas politici organismi et unitas territorii.

1031. Pos. 505a. — Formæ organicæ ac territorium, quæ societati cuique conveniunt, sunt illa sola quæ primitivo facto associanti consentanea sunt.

Prob. — Particularis quæque societas est effectus resultans ab abstracto principio socialitatis et a facto quodam particulari, quod est principium concrete associans (473) : ex tali autem facto oriuntur jura quædam (475), quæ sunt fundamentales ejus societatis leges. Ergo societatem particularem perficere est unitatem perfectam illi tribuere juxta normam illius facti et jurium ab eo facto provenientium. Ergo politico ordinatori nequaquam liberum est vel territorium, vel formas organicas, utcunque velit, determinare : quia nequit pro suo lubito jus creare (356), sicut facta ipsa nequit pro arbitratu suo producere. Quare socialem organismum ac territorium constituere, nihil aliud est quam societati maximam illam et loci et formæ unitatem præbere, quæ in peculiaribus illius circumstantiis obtineri possit, salvis omnium juribus, ita ut politicus ordo materialis semper justitiæ, idest morali ordini, subjiciatur. Ergo, etc.

1032. Coroll. — Exinde consequitur distinguenda diligenter esse ea quæ justitiæ legibus jam sunt omnino præstituta ab iis quæ a suprema auctoritate pendent. Etenim quod justitiæ ordo

immutabilis postulat non est objectum quod ab auctoritate ordinante *constitui* possit, sed solum ab eadem potest declarari. Hæc autem omnia, quæ naturalis justitiæ ordo in societate constituenda postulat, *legem* societatis politicæ *fundamentalem* appellamus.

At vero declaratis jam atque in tuto positis fundamentalibus hisce relationibus facto productis, per quas certæ quædam personæ vel physicæ vel morales hanc aut illam politicam potestatem, hoc aut illud territorium possident, potest sane auctoritas constitutiva societatem componere sub certis formis a libera sua voluntate determinandis. Jam in his formis constituendis, etsi ea nullis teneatur vinculis facti alicujus obligantis, debet tamen unice spectare ad unitatem et efficaciam corpori sociali, quam maximam potest, tribuendam, et dirigi semper abstracto illo principio : *Effice ut societas apta sit ad bonum civicum procurandum.*

1033. Pos. 506ª. – Quæ in primitiva societatis politicæ constitutione non fuerunt modo irrevocabili decreta, possunt ob commune bonum deinceps mutari : at quæ jura politica fuerunt irrevocabiliter concessa, ea sine partium consensu mutari amplius non possunt.

Prob. — Quovis facto possunt jura quædam gigni ; et juris inde prodeuntis natura ab ejus facti natura pendet (356). Itaque jura quæ ex facto irrevocabili enata sunt, et ipsa sunt irrevocabilia. Ergo forma quælibet politica quam auctoritas constituens facto non irrevocabili induxerit, potest utique ab eadem suprema auctoritate mutari, non quidem arbitrarie, sicut ne primum quidem potuit arbitrarie constitui, sed mutari poterit ad normam principii abstracti, Bonum sociale facito : quia suprema auctoritas nullo suo facto irrevocabili tunc adstringitur. At vero, si auctoritas ordinatrix promisso, jurejurando, contractu bilaterali aut alio simili facto, jura quædam concesserit, quoniam facta hujusmodi sunt per se irrevocabilia, nunquam licebit sine alterius partis consensu revocare eas leges, quibus certo quodam modo politicus organismus ac territorium sociale determinata sunt. Ergo, etc.

1034. Coroll. 1. — Principia tribus postremis positionibus statuta plurimis iisque gravissimis quæstionibus politicis non difficilem solutionem suppeditant. Licetne principi partem territorii, provinciam aliquam alienare ? eam cum alia permutare ? licetne eidem corpus aliquod politicum extinguere ? illius jura in aliam personam transferre ? ejus internam constitutionem mutare ? etc. Hæc et ejusmodi alia problemata generali hoc principio

resolvenda sunt : si corpus extinguendum ejusque jura atque interna constitutio a principe ipso primum, et modo per se revocabili creata sunt, potest sane princeps hæc omnia delere ac mutare, prout communi bono id postulari censuerit. At, si illa pertineant ad factum primitivum, adeoque ad jus et legem fundamentalem, solum commune bonum abstracte sumptum non sufficit ut principi liceat illa mutare. Tunc plane requiritur causa aliqua quæ jus ipsum originarium deleat, cujusmodi essent, v. g., delictum aut mors alterius partis. Tunc enim, facto originario mutato, jus inde resultans et ipsum mutatur.

Idipsum de territorio, ac de provinciis alienandis dicendum est. Si princeps illud territorium easque provincias jure independente a quocunque incolarum consensu possidebat, poterit utique iis inconsultis, si commune bonum id conferat, illud territorium easque provincias alienare aut permutare. At, si territorium aut provincia fuerit olim pars Status, qui sese ultro tali principi subjecerit, tunc sola communis boni ratio nequaquam sufficit, ut principi liceat membrum illius associationis abscindere, partem territorii aut jurium auferre. Tunc solummodo id principi licebit, quum jus societatis, quæcunque ea sit, cujus assensus esset necessarius, vel ejus delicto vel jure prævalente aut omnino delebitur, aut partim collidetur.

Quod quidem officium integritatis nationalis conservandæ manifeste colligitur ex iis quæ in jure hypotactico lib. VI, cap. 6, art. 2, tradidimus. Etenim suprema auctoritas hypotactica tenetur ad unitatem propriam et esse proprium cuique consortio tuenda. Ergo ea non potest consortium aliquod pro suo lubito a cæteris membris amplioris illius societatis dividere. Neque abstracta boni communis ratio potest arbitrariam ejusmodi divisionem licitam efficere. Nam consortium illud, quando majori societati ultro se addixit, consensum suum socialiter cum cæteris præbuit, quo sociali consensu consortia singula fuerunt alligata. Ergo consortii unius arbitraria a cæteris divisio totum illius socialis consensus principium ac proinde totam ipsam ampliorem societatem, quatenus ei principi subest, plane dissolveret.

Notandum tamen est, ob naturalem hominis tendentiam ad societatem universalem ineundam, hoc fieri solere, ut labente tempore eo magis particularis consortii vincula propria relaxentur, quo arctiores cum majore societate relationes inducuntur. Itaque fieri paulatim potest, ut plura consortia sensim per se

ipsa, quoad particularem eorum associationem, dissolvantur, et communis societatis vincula solum retineant. Hoc modo jampridem in unicam societatem confusæ sunt in singulis provinciis barbaræ illæ gentes, quæ romanum imperium armis occupavere. Judæi e contrario, in omnes terrarum partes dispersi, ob efficacissimas leges quibus a principio ea gens constituta est, particularem suam nationem adhuc separatam ubique servant.

Coroll. 2. — Ad societatem apte componendam potestas constituens debet, ut nuper vidimus, et varias potestates politicas et territorium ita distribuere, ut civica felicitas inde efflorescat. Jamvero, ut hanc idoneam distributionem efficere possit, debet cognoscere et leges abstractas in hac re sequendas et subjectum concretum, ad quod illæ applicandæ sunt. Et subjectum quidem est morale quoddam individuum, scilicet ille populus, qui politice constituendus est. Hujus autem rectam cognitionem non scientia ulla, sed prudentia politica præbere potest. De subjecto igitur hoc nihil nobis amplius dicendum est. Abstractæ vero leges illæ sponte sua emergent ex iis quæ statim de fine ac de officiis aliarum potestatum politicarum explicabimus. Earum namque singularum fine et officiis probe cognitis, auctoritas ordinatrix facile perspiciet sub quibus formis et a quibus membris debeant hæc officia præstari, ut ille finis obtineatur; quemadmodum in corporis humani organismo mens ordinatrix modo hunc modo illum musculum adhibet, prout videt ad suum finem obtinendum requiri. At vero ab humanis individuis, quoniam organismus est fere in illis omnibus idem iisdemque viribus instructus, eadem organa ab omnibus ad similes operationes adhibentur : e contrario, societates, quum eæ sint modis maxime diversis compositæ, sua membra ad corporis socialis functiones adhibere modis etiam maxime diversis debent. Itaque recta istarum functionum distributio, scilicet quæ naturali organorum quorumque aptitudini sit proporrionata, efficit organicæ constitutionis politicæ perfectionem.

Coroll. 3. — Distinguenda diligenter est constitutionis politicæ perfectio ab individuorum rem publicam gerentium perfectione. Etenim qui rem publicam gubernat, quum sit agens intelligentia et libertate præditum, interdum ex personali facultate ingenii ac voluntatis rem præclare administrat. Itaque recta hujusmodi gubernatio bonitatem socialis constitutionis minime demonstrat : personis quippe mutatis, recta illa gubernatio conti-

nuo concidet. Quare tunc solum apta socialis constitutio dicenda est, quum ab ipsa bonum regimen revera profluit. Id vero tunc solum fiet, quando publicæ gubernationis munia, ex ipsa imperii constitutione, iis committentur civibus, qui sua sponte impellantur ad politica hæc officia recte ac fideliter implenda. Sic, *v. g.*, sapienter in polyarchiis constitui solet, ut jura electoris iis solis competant quibus sit certus quidam census; quia electores pauperes sua ipsorum conditione ad suum suffragium vendendum incitantur.

Quocirca, ut perfecta constitutio politica habeatur, iis hominibus munera gubernationis conferenda sunt, qui a socialis suæ conditionis similitudine incitamenta similia ad functiones ei conditioni adnexas recte adimplendas habeant, et politico ipso organismo perducantur ad bonum sociale promovendum, etiamsi personales eorum propensiones publici boni studium retardare in illis aliquatenus possent.

Nemo tamen existimet tam perfecte posse hominum societatem ullam constitui, ut pari felicitate res publica geratur, sive apti et probi, sive inepti aut improbi sint ejus ministri. Probitas enim et peritia magistratuum personalis plurimum ad rectam gubernationem confert, quæcunque tandem sit societatis constitutio. Quapropter perfectissima illa erit socialis ordinatio, quæ non solum administros vel ineptos impellit ad publicum bonum promovendum, sed etiam, et potissimum, eo spectat ut personas, a quibus politicæ potestates erunt exercendæ, idoneas prorsus efficiat; qua de re inferius nonnihil attingemus.

Coroll. 4. — Potestatis constituentis functiones omnes reducuntur igitur : 1° ad perfectissimam, quam fieri possit, corpori sociali unitatem tribuendam, 2° omnium mentes in idem judicium per veritatem, 3° omnium voluntates in ejusdem boni studium per jus, 4° omnium personas in ejusdem operationis consensionem per organicam potestatum dispositionem et per opportunam terrarum jam a societate possessarum cohabitationem conjungendo : quæ omnia ex norma justitiæ, quæ jus suum unicuique servari vult, constanter perficiantur.

CAPUT IV.

De potestate deliberativa.

ARTICULUS I.

De potestatis deliberativæ officiis quoad primum politicum principium.

1035. Notandum 1. — Societate in perfectam unitatem composita tum quoad moralia per judiciorum et voluntatum consensionem, tum quoad materialia per determinationes ad territorium spectantes et per organicam potestatum distributionem, opus est ut *ens* sociale ita constitutum *efficacia* ad operandum polleat; in qua efficacia perfectionem societatis in operando sitam esse jam libro 4° vidimus (430). Hæc autem efficacia tribus præcipuis humanæ operationis elementis, cognitioni, voluntati, exsecutioni, quæ sunt trium præcipuarum politicarum potestatum activarum principia, inesse pariter debet. Igitur de potestate deliberativa primum dicendum est; quæ quidem potest *intelligentia socialis* appellari, quia tota est in recta cognitione societati comparanda.

Notandum 2. — Moralis cognitionis elementa, facultate cognoscendi jam præsupposita, sunt: 1° universalissimum omnis officii principium, scilicet, *Bonum fac*; 2° propria notio boni objectivi et theoretica et practica, nimirum recta cognitio veri illius objecti, in quo bonum societatis positum est; et illius quidem cognitio tum quoad illud ipsum in se spectatum, tum quoad media ad illud consequendum necessaria. Primum principium universalissimum humanas facultates ad omne bonum universim impellit; posterior vero illa notio determinat quid et quale sit in concreto bonum quærendum, et quomodo ad illius consecutionem contendendum sit in præsentibus subjecti agentis circumstantiis. Ergo, ut socialis cognitio sit perfecta, ac proinde efficax, necesse est, 1° eam recte de bono politico universe spectato judicare, ita ut quasi naturali propensione ad omne bonum politicum

particulare feratur; 2° eam recte cognoscere etiam bonum politicum particulare et media ad illud in præsentibus societatis circumstantiis obtinendum accommodata. De hac duplici cognitione seorsim duobus articulis disseremus.

1036. Pos. 507ª. — Primum deliberativæ potestatis morale officium est, individuorum consociatorum verum bonum pro fine proprio sibi præfigere.

Prob. — Potestatis cujusque officium est sine dubio societatem, cui præest, ad sui finis consecutionem perducere : ad hoc unum cætera omnia illius officia reducuntur. Ergo deliberativæ potestatis officium est societatem politicam ad sui finis consecutionem, modo sibi proprio, scilicet opportunas cognitiones suppeditando, promovere. Atqui societatis politicæ finis est individuorum consociatorum verum bonum efficere : nam ordo politicus ad ordinem civilem subordinatur (840) ; ordo autem civicus ad bonum individuorum efficiendum totus spectare debet (*ibid.*). Ergo potestas deliberativa tota esse debet ordinata ad individuorum bonum efficiendum, atque idcirco primum potestatis deliberativæ officium est verum bonum individuorum, tanquam finem, sibi proponere.

1037. Coroll. 1. — Longissime igitur ab officio suo recedit potestas deliberativa, quæ directe et unice quærit florentem *rei publicæ statum*, nempe externam quamdam potentiam et gloriam ad quam ostentandam felicitas individuorum et rectus justitiæ ordo ab illa negligatur. Neque enim in auri et argenti abundantia, neque in paucorum splendore et luxu politica populi cujuspiam perfectio consistit : et a veterum sane complurium imperiorum felicitate et gloria, quæ plurimorum servitute miserrima nitebantur, omnes tanquam a peste immanissima jampridem abhorremus.

Itaque potestas deliberativa, non secus ac potestas constituens, debet primum ad normam facti fundamentalis (1031) sua judicia exigere, jura diversa inter se comparando, et juxta illorum collisionem bonum sociale determinando. His vero juribus in tuto positis, in hunc maxime finem spectare debet, ut scilicet omnium individuorum, pro uniuscujusque indigentia et merito, felicitatem amplificet. Hoc potestatis deliberativæ primum principium, ac personæ eam potestatem gerentis hoc primum officium est.

Coroll. 2. — Ad primum hoc officium exsequendum binæ virtutes peculiares iis qui potestatem deliberativam gerunt, necessariæ sunt : 1ª, mentis vis ad vere judicandum optime comparata ;

2°, rectitudo voluntatis privatis suis commodis bonum publicum præferentis.

Quapropter individua a quibus deliberativa potestas exercenda est, 1° tenentur intelligentiæ vim illam diuturnis aptissimisque studiis sibi comparare. Unde quisque intelligit, quam inepta sint ad suum munus explendum corpora quædam deliberantia, in quibus religionis contemptus atque effrenata morum licentia dominentur.

2° Eadem illa individua tenentur perfectum voluntatis æquilibrium in ipsa deliberatione servare, quærendo non solum quod utile, sed maxime quod honestum sit. Etenim, quamvis quod rectum est, utile quoque esse plerunque soleat, attamen hæc utilitas potest deliberantem latere. At consilii capiendi rectitudo nunquam conscientiam, saltem practicam, præterire potest.

Coroll. 3. — Quoniam corpus quodlibet deliberativum iis, quæ nuper innuimus, officiis adstringitur, perspicuum est, potestatem constituentem teneri talem in societate ordinanda organismum instituere, ut individua deliberantia illius vi ferantur ad mentis et voluntatis rectitudinem constanter retinendam. In quem finem, præter idoneam eorum qui rem publicam gubernaturi sunt, educationem politicam, de qua nonnihil infra innuetur, plura et diversa media apud recentiores præsertim cultioresque populos adhibita fuerunt, inter quæ præcipuum locum tenet numerus deliberantium sic auctus ut peritissimis quibusque civibus corpus deliberans ornetur et deliberantium diversa studia et utilitates hinc inde compensatæ ad æquilibrium adducantur. Perspicuum namque est, numero deliberantium intra certos quosdam limites aucto, intelligentiæ vim in potestate deliberativa augeri, tum quia possunt plures hi deliberantes ampliora objecta complecti, tum quia majore negotiorum explicatione ac disceptatione opus est ut deliberantium plerique in eamdem sententiam conveniant. Et perspicuum pariter est in ampliore deliberantium numero contraria studia privata consultantium et contrarias privatas utilitates adesse, quæ, ubi apte invicem opponantur, ita plerumque temperabuntur, ut soli publici boni studio libera efficacia relinquatur. Hinc factum est ut in monarchiis varia corpora consultiva adesse soleant; in polyarchiis vero corpora deliberantia, in quibus potestas ipsa legislativa resideat.

Jam qua ratione individua congregari et consuli in cœtibus ejusmodi deliberativis debeant, ut judiciorum prudentia et recti-

tudo tutius obtineantur, determinare, non ad moralem philosophiam, sed ad publicum jus practicum spectat. Philosophiæ namque moralis hoc solum est, ostendere quodnam generaliter hac in re officium sit potestatis deliberativæ, adeoque etiam potestatis constitutivæ, a qua illa recte instituenda est.

ARTICULUS II.

De potestatis deliberativæ officiis quoad primi principii politici applicationem.

1038. Pos. 508ª. — Potestatis deliberativæ officium est omnia quæ ad societatis bona spiritualia, ad bona sensibilia, ad utrorumque securitatem pertinent, cognoscere.

Prob. — Potestatis deliberativæ non est solummodo ultimum ordinis politici finem rite statuere. Nam ultimus hic finis obtineri nequit aliter quam per bona particularia et per media quibus hæc particularia bona comparantur. Ergo potestas deliberativa, cujus est opportunam cognitionem ordini politico suppeditare, debet bona etiam hæc particularia cognoscere et media quibus illa obtineantur. Atqui societas quælibet completa ad triplex bonorum socialium genus tendit, scilicet ad bona spiritualia, ad bona sensibilia et ad utrorumque securitatem (841). Homini namque, anima et corpore constanti, actio primum spiritualis tum actio materialis necessariæ sunt ad suam felicitatem persequendam; actiones autem istæ duplices, et bona per eas acquisita debent contra quoscunque hostes efficaciter defendi. Ergo potestatis deliberativæ officium est omnia exquirere quæ ad bona societatis et spiritualia et materialia comparanda et tuenda sunt necessaria.

1039. Coroll. 1. — Qui ampliorem aliquam societatem ordinat, debet igitur ejus organismo sociali talem formam præbere, ut deliberativa potestas omnia quibus societas indiget relate ad triplex illud bonorum genus, probe cognoscat. Hæc autem cognitio tunc solum ab sociali dispositione proveniet, quando certa instituta et certæ personæ aderunt, quarum officium sit eamdem sibi comparare, atque hæc instituta et hæ personæ ita sint ordinatæ, ut reapse officio suo fere deesse nequeant.

Coroll. 2. — Duplicis generis sunt media adhiberi solita ad potestatem deliberativam ita cum societate conjungendam ut so-

ciales indigentiæ omnes illi perspectæ esse debeant : alterum, ut qui rem publicam gerunt, ad subditos descendant ac per omnes eorum classes sese insinuent; alterum, ut subditi ad gubernantes ascendant suasque illis necessitates patefaciant. Piora illa, *media inspectionis ;* posteriora, *media monitionis* vocabimus. Ad media inspectionis pertinent principum provincias et oppida invisentium itinera, inspectores, censores, judices quidam varia loca perlustrantes et hujusmodi. Ad media monitionis attinent legationes, concilia provincialia aut nationalia, libertas quædam typographiæ, associationibus, conjunctis petitionibus concessa.

Præterea ad necessitates boni spiritualis aperiendas pertinent universim omnia instituta religiosa, litteraria, judicialia : ad necessitates boni sensibilis ostendendas pertinent instituta administrativa, statistica : ad necessitates tutelæ commonstrandas spectant *politia interna* seu *civilis*, de qua libro 9° diximus, et *politia externa* seu *diplomatica*, quæ ad propensiones et consilia gentium finitimarum exploranda ordinatur; de qua in libro sequenti breviter disseremus.

1040. Pos. 509ᵃ. — Media adhibenda ad necessitates sociales cognoscendas debent potissimum esse veridica et pacifica.

Positionis 1ᵃ pars est per se evidens. Media illa debent principi necessitates sociales patefacere. Ergo debent verum et totum socialem statum exhibere, nimirum debent veridica esse.

Prob. 2ᵃ pars. — Communia mala coram et penitus inspecta passionum vim perfacile commovent. Passionum autem motus est per se turbulentus, sinceram veritatis cognitionem impedit, et rerum actionumque ordini plurimum nocet. Atqui media illa ad veritatem sincere cognoscendam atque ad ordinem restituendum adhibenda sunt. Ergo ita debent illa media disponi ut immoderatus passionum motus vel impediatur, vel cohibeatur, nimirum debent illa esse *pacifica*.

1041. Coroll. 1. — Difficillimum problema hic practico juri publico a jure publico morali proponitur : quo pacto instituta publicas necessitates declarantia sint componenda ut ea sinceram totamque veritatem sine turbulento passionum motu patefaciant. Duarum namque harum conditionum, ut veridica, ut pacifica illa sint, difficillima conjunctio est. Optimæ in hunc finem essent inspectiones a principe ipso faciendæ. Per eas etenim et veritatem princeps ipse perspicit, et passiones sedantur apud eos qui principem vident populi necessitates studiose exquirentem. At

vero hæc media, sicut magis veridica et tranquilla, ita minus practica sunt; tum quia impossibile est ut princeps subditis audiendis tantum temporis insumat, quin tantumdem publicis negotiis gerendis auferat; tum quia princeps qui subditorum clamores ipse audierit, nisi deinde illis satisfaciat, officio suo deesse judicabitur; tum demum quia populus, ubi illum princeps ipse audire cœperit, politicum quemdam optimismum exiget prorsus impossibilem.

COROLL. 2. — Ingens ea politicæ cognitionis sinceræ simul et tranquillæ obtinendæ difficultas duo gravissima officia in duabus personis socialibus gignit: in principe, officium omni studio curandi, ut veritas sincera et libera ad illum perveniat; in subditis, æquo animo tolerandi imperfectiones quasdam, quas in sociali organismo deliberativo forte videat, aut videre putet; præsertim vero quum princeps sincero et manifesto boni publici studio movetur. Tunc autem qui a principe exposceret plus quam ille præstare possit, absurde ac tyrannice ageret. Atque hoc modo persæpe seditiosi homines commentitiam principis tyrannidem ipsi per veram tyrannidem persecuti sunt.

CAPUT V.

De potestate legislativa.

ARTICULUS I.

De conditionibus quæ legi relate ad ejus finem inesse debent.

1042. NOTANDUM 1. — Postquam verum suum bonum et media ad illud obtinendum societas per deliberativam potestatem novit, debet socialis auctoritas illud velle socialiter, nimirum ita ut hæc volitio omnia individua consociata pariter obliget, eaque morali quodam impulsu ad verum bonum ei societati proprium perducat. Hæc volitio est illud quod lex appellatur (288) : facultas seu potestas talis actus efficiendi, *potestas legislativa* dicitur.

NOTANDUM 2 — De potestatis legislativæ officiis disceptanti

duo potissimum inquirenda sunt : 1um quibus instructa conditionibus volitio illa socialis, seu lex, esse debeat; 2um quænam organismi forma societati inducenda sit, ut per eam leges illis conditionibus instructæ suapte natura enascantur. Conditiones legis a legislatore proveniunt, organismi legislativi aptitudo a potestate constituente dependet.

Notandum 3. — In lege qualibet tria principia, ad quæ illius conditiones spectant, consideranda sunt : *finis* legis, *ordinator* politicus et *subditi* ordinati. Respectu finis, debet lex esse *justa, utilis* et *apta ;* respectu ordinantis, debet *a suprema auctoritate eaque competente* fieri; respectu subditorum, debet esse *perspicua, possibilis, publica* et *efficax*. His proprietatibus, quæ legi inesse debent, totidem officia legislatoris respondent. Hæc omnia singillatim explicanda et probanda sunt.

1043. **Pos. 510a.** — Quælibet lex debet justa esse, nimirum et justa præcipere et juste ferri.

Notandum. — Duobus modis intelligi potest legem esse justam : 1° respectu actus exercendi a subdito ex tali lege, scilicet quod talis ille sit ut honeste ab eo fieri possit; 2° respectu ipsius legis, quod scilicet ea sine injuria subdito imponatur. Utroque modo rem consideramus. — Præterea quum dicimus legem juste ferri oportere, non loquimur de justo agendi modo *ex parte operantis*, sed solum *ex parte operis*. Nam modus ex parte operantis postulat quidem, ut bono affectu et non odio vel cupiditate agens moveatur, et alia ejusmodi, quæ tamen legislatoris propria non sunt. Modus autem justus ex parte operis consistit in hoc, quod in ea ferenda servetur justitiæ forma.

Prob. pos. 1a pars. — 1° Potestas legislativa, sicut tota ipsa auctoritas, ad commune societatis et individuorum unde illa constat bonum suapte natura ordinatur (456). Atqui primum et proprium entis rationalis bonum honestas est (47). Ergo quicunque impulsus, quo ab honestate homo procul amoveretur, noxius ac moraliter pravus esset, ac proinde nullam obligationem pareret : obligatio namque est impulsus secundum rationem (76). Ergo legi cuicumque essentiale est justa præcipere.

2° Legislatoris potestas est vel mediate vel immediate a Deo (327). Atqui Deus non dat potestatem nisi ad illud quod justum et bonum sit. Ergo lex quæ injustum quidpiam præciperet, nullam vim ad obligandum haberet, atque irrita omnino esset.

3° Nullus inferior potest obligare contra legem superioris.

Atqui lex actum pravum præcipiens legi Dei illum prohibentis repugnaret. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Legem juste ferre in tribus justitiæ modis servandis consistit, videlicet : in justitia legali, justitia commutativa et justitia distributiva. Justitiæ legalis est commune bonum intendere, adeoque jura societatis servare. Ad justitiam commutativam spectat, quod legislator non plus præcipiat, quam jure debeat ac possit. Justitiæ distributivæ munus est efficere ut lex præcipiendo distribuat quodammodo onus inter partes reipublicæ accommodate ad ejus bonum, adeoque ut in ea distributione servet proportionem, quæ ad justitiam distributivam pertinet. Atqui 1° lex debet præcipue commune bonum intendere. 2° Legislator nequit plus præcipere quam jus ei suum permittat. 3° Lex debet omnibus imponi, ad quos æque materia legis pertinet; et æqualia onera omnibus individuis aut consortiis imponere, nulla diversarum virium et facultatum habita ratione, recto ordini profecto repugnat. Ergo debet lex juste ferri, triplicem justitiæ modum servando.

1044. COROLL. 1. — Præter iniquitatem ex parte materiæ, potest igitur legi triplex esse injustitia : 1° ex fine privati commodi et non boni communis, quem lex intendat; 2° ex defectu potestatis in agente; 3° ex defectu justæ distributionis. Sic, *v. g.*, si princeps legem ferat pro iis qui ejus auctoritati non sunt subditi, contra justitiam commutativam peccat, atque injusta ejus lex quoad modum est, quamvis rem maxime honestam forte præcipiat.

COROLL. 2. — Quod injustitia ex defectu justæ distributionis sufficiat ad legis nullitatem inducendam, cum quibusdam conditionibus valde notandis intelligendum est. Nam, si tanta sit improportio et inæqualitas legis, ut in commune detrimentum vel in grave et injustum plurium ejus societatis membrorum ea redundet, nulla utique ea lex censenda est. At, si lex per se honesta atque utilis sit, exceptio tamen aliqua injusta sit facta, non propterea lex desinet alios obligare; quia revera his nulla fit injustitia positiva tale iisdem onus imponendo, sed solum quædam improportio admittitur respectu aliorum; quod ad legis nullitatem non sufficit. Quod si ex quorumdam exceptione graventur alii ultra quam par est, quoad illum excessum lex minime quidem obligabit; et poterit tamen quoad reliquum, in quo non est injusta, obligare.

1045. Pos. 511ª. — Omnis lex particulari societati, cui imponitur, universæ utilis esse debet.

Prob. — 1° Recto ordini repugnat commune bonum ad privatam alicujus utilitatem subordinare, idest totum ad partem propter ipsam referre : nam potius pars ad totum suapte natura subordinatur ac refertur. Ergo, sicut lex societati universæ imponitur, ità etiam non ob alicujus privati, vel ob particulare principis ipsius bonum, sed ob societatis universæ commodum præcipue ferenda est.

2° Tota potestas quam legislator in rem publicam habet, ad solum societatis commune bonum illi collata est (456). Ergo etiam lex, quæ unus est ex præcipuis hujus potestatis actibus, debet per se potissimum ad particulare totius societatis bonum referri. Quare, quum a fine seu bono sibi proprio una quæque societas, et auctoritas qua societas omnis gubernatur, tum suum esse tum suas proprietates mutuentur, si auctoritas particularis bonum particularis societatis non procuraret, contra naturam suam propriam ageret, atque ad seipsam destruendam tenderet : quod ab omni rationis ordine maxime abhorret.

3° Primum moralium actionum principium debet esse etiam legis primum principium : nam actiones morales subordinantur legi, et simul ad primum illud principium ultimo tendunt. Atqui felicitas perfecta est primum actionum moralium principium (46, 242). Ergo etiam legis primum principium felicitas esse debet. Bonum autem commune seu felicitas societatis est ultimus finis et civicus et politicus (841) ad quem et societas et auctoritas socialis ordinatæ sunt. Ergo, etc.

1046. Coroll. — Ex postremæ positionis demonstratione facile intelligitur conditionem illam *utilitatis* esse reipsa positivam cujusque legis condendæ causam, *honestatis* vero conditionem esse illius causam tantummodo negativam. Itaque honestas illa efficit ut talis lex condi possit ; at ejusdem utilitas efficit ut ea condi omnino debeat.

1047. Pos. 512ª. — Omni legi triplex constantia essentialis est : ex parte legislatoris, ex parte subditorum, ex parte ipsius legis.

Notandum. — Legis constantia, ex parte legislatoris consistit in hoc, quod lex non amovetur, illo amoto, nec moritur, illo mortuo : ex parte subditorum in hoc posita est, quod non solum obligat eos qui jam actualiter sint subditi, sed etiam alios qui

deinceps erunt : ex parte legis in hoc sita est, quod semel condita semper durat, donec vel revocetur, vel ejus materia aut causa ita mutetur, ut justa lex esse desinat.

PROB. 1ª PARS. — 1° Potestas legislativa apud homines per se constans est, sicut constans est per individuorum successionem ipsa societas, sicut constans est divina potestas, cujus participatio est humana auctoritas. Ergo leges ab hac legislativa potestate provenientes stabiles sunt et constantes sicut potestas, a qua feruntur, constans et stabilis est.

2° Fines, tum generalis tum particularis et proprius, cujusque societatis constantes sunt. Generalis quidem, quia naturæ ipsi humanæ essentialis est : particularis vero, quia tali particulari societati est essentialis. Ergo etiam lex, quæ ad duplicem hunc finem obtinendum tota ordinatur, stabilis esse debet.

PROB. 2ª PARS. — 1° Lex directe societati et consequenter singulis ejus membris imponitur. Atqui societas est stabilis et constans, etiamsi ejus membra perpetuo mutentur. Ergo lex, semel alicui societati imposita, debet constanter totam illam et consequenter omnia membra quæ successive ad illam pertinebunt, obligare.

2° Quamdiu illa societas permanet, semper in duplicem eum finem generalem et particularem, debet contendere. Ergo lex, ad utrumque hunc finem obtinendum condita, tamdiu debet eam societatem, adeoque omnia illius membra, obligare, quamdiu ad fines illos particularem et generalem utilis esse perget.

PROB. 3ª PARS. — 1° Experientia pariter et ratione constat, cujusvis societatis gubernationem, ut recta atque utilis sit, stabilem atque uniformem esse oportere.

2° Lex imponitur societati, quæ stabilis est; conditur ob societatis bonum particulare, quod est et ipsum stabile.

3° Hæc tertia legis stabilitas sequitur ex prima. Nam, si lex durat post mortem primi legislatoris, ob eamdem rationem durabit vivente ejus primo successore et post ejus mortem; atque idem de secundo et tertio successore aliisque deinceps dicendum est.

4° Eadem tertia legis constantia necessaria prorsus est ad secundam : nam ut subditi semper certa aliqua lege obligentur, necesse est eam in sua vi perseverare. Ergo, etc.

1048. POS. 513ª. — Quælibet lex debet esse apta respectu societatis cui imponitur, individue sumptæ.

PROB. — Lex est medium a publica auctoritate adhibitum ad

publicum bonum procurandum. Atqui medii cujuslibet essentia in hoc sita est, ut congruat apte ad finem ad quem obtinendum adhibetur : finis autem legis est bonum populi, non quidem generice quoad abstractam societatis rationem spectati, sed cum suis proprietatibus et conditionibus individuantibus sumpti. Ergo, etc.

1049. COROLL. 1. — Quoniam lex debet esse et justa et utilis et constans, debet igitur etiam esse universalis : si enim a lege eximerentur aliqui eorum ad quos legis materia pertinet, justitia legis distributiva læderetur, ut vidimus n. 1043; neque omnes pariter socii ad bonum societatis commune efficiendum impellerentur, quod ad legis utilitatem pertinet (1044); nec secunda constantia, nuper n. 1047 considerata legi inesset, quam tamen illi esse necessariam ostendimus. Ad legis ergo essentiam pertinet, ut omnia pariter societatis membra ad communem finem lege ducantur, nimirum ut lex sit universalis.

COROLL. 2. — Conditiones societatem quamlibet individuantes sunt ex duplici capite mutabiles : 1° ob progressus, quos ratio ipsa ordinatrix facere potest; 2° ob vicissitudines, quibus societas ordinata obnoxia esse solet. Et ratio quidem ordinatrix, quoniam est essentialiter et indefinite perfectibilis, poterit meliora semper ac meliora instituta invenire. Societas vero infinitis agitari potest casibus, qui particulares illius conditiones vehementer immutent. Quare quæ optima olim fuerunt, instituta et præcepta, inutilia, labente tempore, ac damnosa fieri quandoque possunt. Ergo, etiamsi per se constans lex atque universalis sit, attamen respectu particularis societatis et individuorum unde illa componitur, mutationi atque exceptionibus obnoxia est : mutationi quidem constanti, si alia lex congruentior atque utilior tali societati fore deinde videatur; exceptionibus vero, si et individuis et societati universæ congruentior atque utilior sit temporaria legis, respectu individuorum quorumdam, in certis casibus suspensio.

Qua in re duo hæc diligenter animadvertenda sunt : 1um Quoniam constans legis mutatio est nova quædam directio quæ toti societati imprimitur, non potest ea nisi a supremo totius societatis ordinatore fieri. At temporariam legis suspensionem tam evidens tamque urgens necessitas requirere aliquando potest, ut supremæ interpellandæ auctoritatis copia nulla sit. Tunc vero subditus quisque hoc sibi *præsumere* potest, tam grave detrimen-

tum ab auctoritate minime imponi, legisque observantiam in tali casu ab auctoritate ipsa suspendi, quod *epichein* dici consuevit. Quod si tamen talis præsumptio vel temeraria vel evidenter falsa esset, poterit utique illam subdito suprema auctoritas culpæ vertere, et congruam illi punitionem ea de causa infligere.

2um Legem diximus suapte natura constantem esse; per accidens vero esse mutabilem. Jamvero quod enti cuipiam ex ejus natura competit, est per se certum ac definitum; at quod per accidentales vicissitudines ad illud pertinet, non potest aliter quam per evidentia facti argumenta certum fieri. Ergo manifestum est non quamcunque melioris conditionis speciem sufficere, ut causa legis mutandæ prudens adesse judicetur : præsertim vero, quum illius usus jam inveteratus et magnam ei vim adjecerit et magnum argumentum sit utilitatis et congruentiæ quæ huic legi insit, et plurimum valeat ad determinanda media quæ in quibuslibet procurandis negotiis adhibenda sint. At, e contrario, lex substituenda et minus ob ejus novitatem observabitur, et minus tuta quoad utilitatem erit, nullo adhuc experimento comprobata, et multis in ea societate individuis gravia detrimenta pariet, eorum spes frustrando, ex quarum securitate socialis felicitas magna ex parte pendet. Sic, *v. g.*, mercatori per legum vectigalium mutationem poterit facile pernicies creari; et civili quopiam munere fungens paterfamilias poterit cum sua familia per stipendiorum aut requisitarum conditionum mutationem ad mendicitatem redigi.

Legum igitur mutatio maxime periculosa est, quamvis interdum sit necessaria : ac proinde legis alicujus mutandæ officium pendebit in singulis casibus a comparatione quæ inter commoda novæ legis ferendæ et incommoda veteris legis abrogandæ instituatur.

Ex dictis denique intelligitur quo sensu verum sit illud quod multi affirmant, eamdem legem posse apud alium populum bonam, apud alium vero malam esse. Duplex enim legis bonitas distinguenda est, alia essentialis quæ in ejus honestate consistit, alia accidentalis, quæ in ejus *congruentia* posita est. Et legis quidem bonitas essentialis eadem ubique gentium est; bonitas autem accidentalis potest diversa esse apud diversos populos : rudibus namque, inhumanis, stupidis hominibus longe diversi imprimendi sunt impulsus, quam cultis populis et mitibus et ingeniosis.

1050. Pos. 514ª. — Legislator, etiamsi monarcha sit, ad suas leges observandas et ipse moraliter tenetur.

Notandum. — Duplex legi efficacia est, moralis et physica. Jamvero; quando potestas legislativa conjuncta est cum potestate executiva in eodem homine, perspicuum est legislatorem non posse suæ legis coactioni subesse. At, quando varia politica jura seorsim in pluribus individuis resident, ut fit in polyarchiis, aut quando principatus a pluribus individuis in solidum participatur, tunc etiam personæ auctoritatis supremæ participes possunt legali coactioni subesse, ut ad leges ab iis ipsis latas observandas adigantur; quia in tali casu non individua illa, sed eorum consensus legalis est absolute princeps. At vero, quum quæritur an legis efficacia in legislatorem ipsum cadat, non de physica coactione, sed de obligatione morali id est intelligendum.

Prob. pos. — Legislator est homo auctoritatem politicam gerens, adeoque bina elementa sedulo sunt in legislatore distinguenda. Auctoritas quidem, quæ est jus obligandi, nunquam poterit sua ipsius lege obligari : nulla illi necessitas nisi a vero, quod primum omnis juris principium est (357), provenire potest. Atqui hæc auctoritas in hoc statu abstracto absolutæ independentiæ profecto nec existit nec existere potest; in aliqua persona *associata*, idest cum reliquis sociis obligata ad eumdem finem socialem procurandum, eam residere necesse est. Si enim legislator non deberet, ut reliqui socii, ad eumdem finem socialem conspirare, jam illi societati extraneus esset (427), atque adeo nullo morali vinculo cum illa conjunctus, nullam etiam moralem vim in eamdem habere posset. Ergo legislator et est societatis membrum et debet ad socialem finem conspirare. Conspirare autem in eumdem finem socialem omnia societatis membra non aliter possunt, quam si, iisdem legibus obligata, eamdem directionem sequantur. Ergo etiam persona quæ legislativam potestatem gerit, sua ipsius auctoritate, atque idcirco sua ipsius lege, obligatur, quoties operatur non quatenus est societatis ordinator, sed quatenus illius membrum est.

1051. Coroll. 1. — Auctoritas abstracta, in statu quidem puræ abstractionis minime existit : in tali namque statu nihil est aliud quam auctoritatis idea, quam mente nostra complectimur, de subjecto auctoritatis nihil cogitantes. Attamen auctoritas, qualem abstracte cogitamus, talis in statu concreto reipsa existit : nisi enim hoc ita esset, quum auctoritatem abstracte cogito, non

auctoritatem, qua princeps instructus est, sed aliud quidpiam mente conciperem. Igitur falsum est, quod aliqui dicunt, auctoritatem concrete existentem nihil aliud esse quam voluntatem principis considerati quatenus homo est. Auctoritas namque est *voluntas ordinatrix*, nimirum est ea vis moralis per quam principis voluntas apta et efficax est ad individua ordinanda idest movenda ad commune societatis illius particularis bonum. Quæ quidem vis moralis tam distincta est a principis voluntate, ut eam vel ejus usum princeps amittere possit, quin ulla fiat in ejus voluntate mutatio.

Jamvero hæc vis moralis quæ principi aptitudinem et efficaciam ad subditos ordinandos præbet, illa ipsa est quæ principem ad suas leges observandas obligat. Etenim quod principis voluntatem aptam et efficacem ad leges subditis imponendas efficit, est auctoritas infinita, scilicet supremæ mentis ordinatricis voluntas, quæ principi ab ejus ipsius ratione manifestatur, eumque inducit ad talem condendam legem, eo quod ad commune bonum sit illa necessaria aut utilis. Si enim tali fini eam legem non judicaret consentaneam, nullam ejus condendæ auctoritatem seu jus haberet; auctoritas quippe est jus ordinandi ad commune bonum (451) Si vero tali fini consentaneam eamdem judicat, quoniam hunc finem, et humanitatis et societatis officio obligatus, velle debet, tenetur et ipse suam legem in circumstantiis ab ea determinatis observare, tanquam legem a Creatore præscriptam. Igitur ad suas leges observandas legislator non sua privata voluntate obligatur, sed auctoritate divina, in societatem atque in ipsum legislatorem transfusa.

Coroll. 2. — Utraque sententia, quarum altera negat, altera affirmat legislatorem sua lege obligari, est ergo sub aliquo respectu vera. Verum namque est legislatorem sua lege obligari, considerando legem quatenus est auctoritas ad finem socialem ordinans, et legislatorem quatenus est societatis membrum. Verum quoque est legislatorem sua lege superiorem esse, spectando in legislatore auctoritatem et in lege actum humanæ voluntatis eam auctoritatem exercentis. Quare, ut perspicue et adæquate id explicetur, dicendus est legislator sua lege obligari tunc solum, quum tanquam societatis membrum operatur: quum vero operatur ut princeps, dicendus est ad justas utilesque condendas leges obligari ab æterna ratione, quæ illi sese per naturalem intelligentiam manifestat.

Itaque duæ sunt præcipuæ causæ quæ doctorum in hac re discordiam pepererunt : 1ª quod duas res semper quidem conjunctas, at reipsa distinctas, confuderint, nempe *individualem* principis *voluntatem* et *auctoritatem* qua princeps quis constituitur; 2ª quod præcipuam illam conditionem non consideraverint, scilicet : lex omnes socios obligat *in circumstantiis ab illa intentis.* Hæc etenim conditio multas gignit practicas exceptiones, quibus effectum est, ut multi existimaverint principem legi communi minime subesse, quia videlicet princeps sæpe vel non versatur in circumstantiis a lege consideratis, vel versatur in circumstantiis quæ subditum quemque a legis observatione ad tempus eximerent, vel operatur ut princeps, non ut privatum individuum; in quibus casibus omnibus mirum non est illum sua lege minime obligari.

ARTICULUS II.

De legis conditionibus respectu ipsius legislatoris.

1052. Notandum. — Sicut non omne præceptum est lex (290), sic non omnis potestas præceptiva est legislativa. Potestas scilicet præceptiva est quasi genus quoddam, duasque species complectitur : altera dicitur *œconomica* seu *dominativa;* altera *politica* seu *jurisdictionis.* Inter quas potestates, respectu personarum in quibus illæ resident, quum multæ aliæ differentiæ intercedunt, tum hæ tres quæ ad rem præsentem faciunt : 1ª Quod potestas dominativa per se versatur circa privatas personas, quatenus eæ sunt partes communitatis imperfectæ (290) ; at potestas jurisdictionis per se respicit primario communitatem perfectam. 2ª Quod in potestate jurisdictionis multo major vis ad coercendum et cogendum adest quam in dominativa, tum quia major est potestas publica quam privata, tum quia ad communitatem perfectam tuendam et omnes in officio continendos major quam in privata domo coercitio est necessaria. 3ª Quod potestas dominativa per se magis ad commodum domini, quam ad subditorum utilitatem sit ordinata; quamvis contrarium fieri quandoque possit, præsertim ex pacto voluntario, quo quis alteri se subjiciat; at potestas jurisdictionis per se ad bonum communitatis, propter quam ea confertur, spectare omnino debet.

1053. Pos. 515ª. — Nulla lex fieri potest nisi a superiore politicam supremam potestatem gerente.

PROB. — Lex est præceptum communitati perfectæ impositum (290). Atqui sola suprema politica potestas potest communitati perfectæ præceptum quodpiam imponere. Nam qui aliis præcipit, debet iis omnibus esse superior, ut vidimus libro 3°, n. 278. At sola suprema politica potestas est tota communitate perfecta superior. Ergo, etc.

1054. COROLL. — Lex igitur est suapte natura *ineluctabilis*, quia nulla est superior auctoritas quæ illam infirmare possit: si qua enim superior alia auctoritas adesset, jam ille, qui princeps esse supponitur, non esset revera princeps, idest supremus societatis independentis ordinator (493).

1055. POS. 516ª. — Non omnes subditorum actus possunt lege politica determinari.

PROB. — Suprema potestas politica ad actus externos subditorum in commune bonum dirigendos tota est ordinata (735). Atqui multi sunt in quoque homine actus non externi; multi etiam actus externi, ad publicum bonum nihil conferentes, jure possunt a quoque homine in privatum suum commodum pro lubito ordinari; et multi denique actus externi, ad commune bonum pertinentes, ad diversas societates respicere possunt. Ergo, etc.

1056. COROLL. 1. — Ex postrema positione oritur notio *competentiæ* et *incompetentiæ* in auctoritate præcipiente. *Competens* est auctoritas quæ ad bonum propriæ suæ societatis ordinat externum socii cujuspiam actum ad illud bonum pertinentem: *incompetens* est auctoritas, si velit ad publicum bonum ordinare actum ad illud minime spectantem, vel individua ad talem societatem minime pertinentia. Hæc incompetentia in suprema quapiam auctoritate oritur solum a rerum natura ipsa et a limitibus societatis, quam ea gubernat. At in auctoritatibus subordinatis potest eadem enasci etiam a libera principis voluntate, a quo inferiores magistratus ac præsides majorem aut minorem auctoritatem accipiunt, adeoque incompetentes hi fiunt, ubi hos limites a principe constitutos prætergrediantur.

COROLL. 2. — Utrum consuetudo sit competens legislator, undenam sui juris titulos trahat, jam libro 3° demonstravimus. Et pacti quidem socialis assertores, illa consuetudinis vi obligatoria essentialem populi principatum confirmari arbitrati sunt. At nullum inde argumentum pro illo populi principatu deduci potest. Nam consuetudo tunc solum vim legis habet, quando et circa rem honestam versatur et tacita principis approbatione innititur.

Unde quisque intelliget quo sensu verum sit, quod aliqui asserunt, omnem legem esse factum quoddam antequam sit lex, et justam quamlibet legem esse veri cujusdam facti expressionem. Id enim minime significat solo facto et sola sociali necessitate, quin factum ac necessitas ejusmodi ab auctoritate per legem sanciantur, legem statim constitui, sed solum indicat auctoritati juste gubernanti in factis præexistentibus rationem ad leges condendas impellentem adesse.

ARTICULUS III.

De conditionibus legis respectu subditorum.

1057. Pos. 517ª. — Omnis lex debet subditis, quibus imponitur, esse moraliter possibilis.

Prob. — Evidens est legem quamcunque physice possibilem esse oportere. At superius (1048) eam congruam quoque esse debere ostendimus. Ut autem congrua sit, debet lex præsentibus societatis circumstantiis esse proportionata. Atqui lex moraliter impossibilis hac proportione plane careret: lex enim moraliter impossibilis est ea cujus observatio difficilis admodum esset, vel gravia societati incommoda ac detrimenta pareret. Ergo, etc.

1058. Coroll. — Hinc fit, ut socialis auctoritas multa mala et physica et moralia in societate tolerare possit, quin imo debeat. Etenim, quum moraliter impossibile sit, ut plerique homines honestatis et perfectionis moralis partes omnes, in sua quisque vivendi ratione, servare constanter velint, quæ lex humana honestatem omnem ac perfectionem positive præciperet, rem juberet moraliter impossibilem. Itaque legislatoris prudentis est, talem inter leges imponendas et media socialia, quæ in promptu ad earum exsecutionem obtinendam habet, proportionem retinere, ut leges ab illo conditæ omnia quidem bona relative possibilia societati afferant, sed nihil moraliter impossibile jubeant. Idcirco etiam docuimus superius (1038) potestati legislativæ rectam plenamque status præsentis, in quo societas subdita versetur, cognitionem esse necessariam, et legibus ipsis certum mutabilitatis gradum mutabilitati cujusque societatis proportionatum inesse oportere (1049, cor. 2).

Cavendum tamen est ne tolerantia hæc usque eo perveniat, ut mali approbatio esse videatur. Nam criminis etiam pure indivi-

duali approbatio quæ lege fieret, esset publica sceleris professio et erronea doctrina socialiter tradita, quæ corruptionis, discordiæ et turbarum fons perennis evaderet.

1059. Pos. 518ª. — Debet lex perspicuis verbis enuntiari.

Explic. — Hujus conditionis necessitas tam evidens est, quam est evidens eum qui loquitur debere ita effari, ut ii quos alloquitur, intelligant. Quare optandum maxime esset, ut scientia legalis ad populi totius captum accommodata esset, ita ut sua negotia gerere per se ipsum coram judicibus quisque posset, quin illa incertæ ignoti et extranei viri probitati committeret. Utrum vero tanta legis perspicuitas sit possibilis, ab iis qui practicum jus publicum pertractant, quærendum est.

1060. Pos. 519ª. — Lex debet publice ferri.

Explic. — Lex est norma quam sequi populus agendo debet. Ergo legem ita publicari oportet, ut ea non solum possit a subditis cognosci, sed ipsa, quoad ejus fieri possit, in oculos negligentium incurrat, et ab inconsideratis animadvertatur. Quoniam vero lex apocrypha subditos nequaquam obligaret, idcirco optimum est legis promulgationem talibus communiri formis, quæ extra omnem dubitationem ponant et legis authentiam, et prudentiam consilii, quo legislator ad eam condendam adductus est. Idcirco in legibus promulgandis formæ illæ adhiberi solent: *audito consilio, etc., postulantibus, etc.*

1061. Pos. 520ª. — Lex, congrua sanctione addita, efficax esse debet.

Explic. — Debet profecto lex ita ferri, ut a plerisque subditis revera observetur; secus enim illa prorsus inutilis esset. In hoc autem legis efficacia consistit. Jam, ut lex a plerisque subditis observetur, debent ejus observationi aut violationi bonum aut malum aliquod sensibile proponi, quibus homo sensitivus ad legem observandam impellatur, nimirum congrua sanctio addenda est. Sæpe etiam in lege promulganda rationes, quæ homini intellectuali legis illius utilitatem et congruentiam demonstrant, præmittuntur. Quænam autem in his explicandis rationibus cautelæ adhibendæ sint, jam alibi monuimus (909).

1062. Coroll. — Alium persuadere et præmio afficere, cujuscunque hominis esse potest; at alium punire solius superioris legitima auctoritate instructi est. Quare legis actus proprii quatuor sunt: *jubere, vetare, permittere, punire*; jubere quod ad publicum bonum confert; vetare quod eidem obest; permittere quod

respectu communis boni indifferenter se habet : qui quidem tres actus ad triplicem moralitatis objectivæ differentiam spectant. Denique obstinate reluctantes lex punit : in quo actu subjectivam considerat conditionem subditorum quos ad legem observandam movere debet ; qui sane ut rationales indigent rationibus ad agendum impellentibus ; ut reluctantes autem egent sensibili impulsu, quia bonum et malum sensibilia sunt solæ causæ quæ hominem in obstinato contra justam legem renixu confirmare possit ; ac proinde malum et bonum sensibilia sunt sola media per quæ cum æqua proportione possit hæc pertinacia oppugnari.

ARTICULUS IV.

De sociali organismo legislativo.

1063. Pos. 521ª. — Præcipuum potestatis constituentis respectu potestatis legislativæ officium est, talem huic formam constituere, ut suapte natura ab omni partium studio aliena futura sit.

Prob. — Præcipuum potestatis constituentis respectu potestatis legislativæ officium est ita legislativam potestatem constituere ut hæc in legibus ferendis præcipuam legis cujuslibet conditionem servet. Atqui præcipua legis conditio est illius justitia : lex enim injusta nequaquam esset lex (1043). Ergo potestati constituenti hoc maxime in potestate legislativa ordinanda curandum est, ut ea ad leges justas condendas suapte natura feratur. Jamvero ad hoc obtinendum necesse est potestatem legislativam ita constitui, ut ex ipso suo organismo ab omni partium studio prorsus aliena sit. Homo namque naturaliter est justus, quoties non est ipse pars in causa judicanda, scilicet quoties non judicat in causa propria : nulla etenim tunc adest causa quæ naturalem in homine justitiæ amorem infirmet ac retardet. Ergo, etc.

1064. Coroll. 1.—Ad legislatores omni partium studio vacuos habendos natura politicam auctoritatem apud optimates collocat (460) : hi etenim quo paucioribus premuntur necessitatibus, eo minoribus causis pertentantur ad partis alicujus commoda cum alterius detrimento promovenda. Ob eamdem hanc causam monarchæ multas cautelas ante legis cujusque promulgationem servandas instituerunt, ut sese omnino a privatæ utilitatis, vel

suæ vel alienæ, studio in legibus condendis defenderent, statuendo ut legum authentia et ultima exsecutio dependeat ab acceptatione talium hominum qui et possint et audiant leges injustas apud monarcham ipsum improbare. Ob eamdem causam denique in polyarchiis curari solet, ut corpus legislativum membris ad omnes societatis classes pertinentibus componatur. Inde namque efficitur, ut, contrariis diversarum partium studiis ob suam ipsam oppositionem sese collidentibus, corpus deliberativum emergat solo communis boni studio perductum, idest *artificialiter impartiale.*

Coroll. 2. — Artificialis illa corporum legislativorum *impartialitas* per contrariarum partium et propensionum collisionem producta gravibus tamen incommodis obnoxia necessario est.

1° In ejusmodi conciliis legislativis nemo fere est qui infima et pauperes plebis classes repræsentet, earumque veras necessitates constanter tueatur : nam pauperes homines de infima pleb nequeunt in ejusmodi corpora legislativa admitti, quin publicu ordo et commune totius societatis bonum in grave discrimen adducantur. Ergo lex facile posset pauperis illius sociorum classis necessitates oblivisci, ubi legis justitia a partium et studiorum oppositione et collisione solum enasci deberet. Quod sane nunquam continget, ubi sincero humanitatis sensu legislatorum animi ducantur.

2° Paucorum ingenio, doctrina et gratia præstantium eloquentia potest facili negotio cæterorum legislatorum multitudinem ad suam sententiam pertrahere : quod quam periculosum et a rei publicæ bono alienum sit, quisque videt.

3° Multorum in eadem parte stantium conspiratio facile potest leges efficere quæ potius numero quam justitiæ faveant. Jamvero factiones ejusmodi quam facile apud concilia magno deliberantium numero constantia coalescant, quotidiana nostrorum temporum experientia testatur.

4° Dissensiones, inertia, jurgia indecora, tarditas otiosa, inconsulta festinatio et hujusmodi alia vitia a legislatorum multitudine suapte natura enascuntur, prout passiones contrariæ vel partium prævalentium agitationem communem pariunt, vel partium diversarum motum ob earum collisionem impediunt.

Quapropter his aliisque incommodis prospicere legislativæ potestatis ordinator, præsertim apud polyarchias, maxima cura debet. Nam in monarchiis parum aut nihil principis interest his

potius quam illis partibus favere, adeoque multitudinis præpotentiæ resistere, ubi illius injustitiam noverit, facile plerumque potest. At in polyarchiis major numerus necessario politicum principatum habet, atque ita habet, ut de male factis nequaquam illum conscientia remordeat. Multitudo namque conscientiam suam minime sentit in solidum moraliter obligatam, sicut in solidum auctoritatem possidet. Nempe individuorum, unde corpus legislativum componitur, conscientia, vel decepta recte se agere existimat; vel plurium sic arbitrantium auctoritate nititur, vel sese purgat afferendo impossibilitatem cæteris sic jubentibus resistendi, vel culpam a se avertere putat, sicut avertit infamiam, multos ejusdem sceleris socios enumerando (518). Igitur potestati constituenti hoc summo studio curandum est, maxime in polyarchiis, ut potestati legislativæ tales formas tum in illa *componenda*, tum in illius actione *dirigenda* præbeat, ut leges justitiæ potius quam privatis partium utilitatibus consentaneas efficiat.

COROLL. 3. — Potestas constitutiva debet potestatem legislativam ita *componere*, ut legislatores ii futuri sint qui probitate, prudentia et doctrina cæteris antecellant. Ad ejus vero actionem dirigendam tales ejus deliberationibus normæ constituendæ sunt, ut ratio plus quam eloquentia, prudentia plus quam multitudo, justitia plus quam utilitas valeant.

Itaque idonea corporis legislativi *compositio* ab his potissimum elementis determinandis pendet :

1° A quo legislatores eligendi sint;

2° Quo numero;

3° Quæ conditiones unicuique illorum inesse debeant;

4° Quibusnam in casibus et a quo possint ac debeant à corpore legislativo excludi;

5° Quinam internus corporis legislativi organismus futurus sit : potest enim corpus legislativum in plures comitatus, aut cameras, aut classes, aut provincias subdividi; possunt unus aut plures præsides illi præfici, qui hoc aut illo modo eligantur, his aut illis juribus instructi sint, et hujusmodi.

Actionis vero ad corpus legislativum pertinentis *directio* pendet ab his conditionibus :

1° Quo numero corpus legislativum constituatur aptum ad agendum;

2° Quis habeat jus leges proponendi;

3° Cui verba faciendi in omnium conventu jus sit;

4° Quænam sint materiæ, quas in disceptationem vocare liceat;

5° Quænam dandi suffragii ratio futura sit;

6° Quis numerus suffragiorum prævalens;

7° Quænam deliberationum *publicitas;*

8° Quænam decretorum irrevocabilitas. Hæ aliæque similes conditiones ac normæ hoc vel illo modo determinatæ plurimum referre possunt ad rectam vel pravam legislativæ potestatis operationem. Quare potestatis constituentis officium est, varias earum qualitates variosque effectus diligenter perpendere.

Coroll. 4. — Ad bonas utilesque condendas leges probitas et *impartialitas* minime sufficiunt; doctrina et prudentia quoque necessariæ sunt. Hanc ob causam legislativa potestas cum potestate deliberativa solet esse plus minusve conjuncta; quia scilicet impossibile est velle sine congrua cognitione. Quare in ordine abstracto utraque potestas ad eamdem unicam auctoritatem pertinet, tanquam unius totius partes binæ: quæ quidem in monarchia penes unam physicam personam, earum functiones cum aliis, quotquot ad ejus subsidium necessariæ sunt, communicantem, conjunctæ sunt; in polyarchia vero, si quidem earum conjunctio minus perfecta quandoque sit, talis nihilominus semper debet esse, ut leges a recta cognitione et societatis cui sunt imponendæ, et rerum circa quas eæ versantur, omnino resultent.

CAPUT VI.

De potestate executiva quoad societatis gubernationem.

ARTICULUS I.

De sociorum multiplicatione procuranda.

1064. Notandum 1. — Morales socialis operationis leges, ad recte cognoscendum et recte volendum politicum societatis bonum pertinentes, determinavimus: jam leges morales a tertia potestate politica, ad recte exsequendum destinata, observandas

hic ultimo loco statuendæ sunt. Jamvero ad recte exsequendum quod societatis commune bonum postulat, movendi sunt, ut jam vidimus n. 1036, et *homines* et *res*, seu *per jus* seu *per vim*. Inquirendum igitur nobis erit 1° quo pacto potestas exsecutiva summam consecutura sit efficaciam et per homines et per res, per jus et per vim ad agendum impulsos. 2° Inde colligere licebit, qua ratione a potestate constituente potestas exsecutiva componenda sit, ut illum efficaciæ gradum attingat : quæ omnia quinque capitibus complectemur.

Jam, quod pertinet ad homines ipsos consociatos ad commune bonum movendos, tanto illi validiores ad bonum exsequendum fiunt, quanto major apud illos est sociorum *numerus*, *socialis concordia* et *individualis solertia*. Hoc eodem modo crescit, *v. g.*, exercitus cujuspiam vis et efficacia : nec numerus sine disciplina, nec disciplina sine numero, nec numerus et disciplina sine individuali virtute ac solertia separatim sufficiunt. Tria igitur a potestate exsecutiva apud societatem sibi commissam augenda sunt : *numerus* sociorum seu multitudo, *disciplina* sive obedientia ad concordiam necessaria, et *amor* eorum quæ legislator præceperit. Potestas exsecutiva, quatenus in hominibus ita movendis versatur, apte *gubernatio* dicitur ; de qua toto hoc capite 6° disseremus.

Notandum 2. — Incredibile est quam multa quamque absurda scriptores aliqui, de ratione numeri sociorum in quavis politica societate augendi loquentes, superiore præsertim sæculo, effutiverint. Incipiendo namque ab iis qui societatis finem ultimum in multitudine sociorum augenda collocavere, et pergendo usque ad illos qui certis quibusdam hominum classibus cælibatum coactum imponendum esse docuerunt, plurimas invenimus in eum finem rationes ab iisdem suggeri absurdas, inhonestas, tyrannicas, impossibiles. Alii, *v. g.*, volunt lege vetari, atque opportunis mediis impediri, ne populus per æstatem poma nondum satis matura comedat : sed quomodo id obtineri possit, quot inspectores ad pomorum maturitatem cognoscendam, quot custodes ad arbores custodiendas præficiendi sint, non considerant. Alii volunt a nuptiis prohiberi omnes illos qui fœda facie, distorto corpore sint. Alii senum virorum cum feminis juvenibus, et juvenum feminarum cum viris senibus conjugia vetari ; alii e-contrario frena omnia morum licentiæ laxari, et feminarum prostitutionem promoveri a publica potestate volunt, ut sociorum numerus magis ac magis in dies augeatur. Hinc quisque statim intelliget quam sit

necesse rectas de hac re tota ideas politico-morales præbere. Quocirca tria hæc problemata hic singillatim resolvenda suscipimus : 1um Utrum socialis auctoritas habeat jus ad propagationem humanæ speciei *directe* promovendam ; 2um Sub quibus conditionibus publicæ auctoritati hoc illi jus competat; 3um Quomodo eam propagationem licite promovere possit.

NOTANDUM 3. — Sociorum amplior numerus, siquod ille bonum sociale sit, est bonum ordinis politici, quia societatem directe, non individuum auget ac perficit. Jamvero politicus ordo ad civicum bonum perficiendum destinatus est, adeoque ordini civico suapte natura subjicitur. Igitur, si publicæ auctoritatis directa in humanæ speciei propagationem actio bonum individuorum impediret, eorumque jura violaret, manifestum est nullum sociali auctoritati jus esse posse ad eam propagationem directe promovendam. Quare hoc unum quærendum restat, utrum cuique homini jus sit sese libere ad matrimonium, quæ sola ratio est humanæ speciei propagandæ, vel ineundum vel respuendum determinandi : quod quidem etiamsi manifestissimum per se ipsum sit, ratiocinio tamen, contra adversarios id negantes, aut contrarium tanquam certum supponentes, communiendum est.

1065. POS. 522a. — Ad conjugia individualiter et directe determinanda nullum politicæ potestati jus est.

PROB. — I. Matrimonium pertinet ad ordinem naturalem, ad ordinem individualem, ad ordinem domesticum priusquam ad ordinem civicum et politicum pertineat. Etenim 1° matrimonium est naturæ humanæ functio ad humani generis conservationem, propagationem et perfectionem naturaliter ordinata, ac proinde illud est universæ humanæ speciei constans necessitas. 2° Matrimonium est novæ societatis domesticæ inchoatio. 3° Quandoque illud est necessitas quædam individualis pro quibusdam personis. Tres autem isti ordines, naturalis, individualis et domesticus evidenter sunt priores ordine politico. Natura namque præsupponitur individuo, quia individuum est ens habens naturam humanam individuatam. Et ob eamdem rationem individua præsupponuntur societati domesticæ, et domestica societas civili, quia societas domestica individuis componitur, sicut civilis familiis, et politica civitatibus constant. Ergo, antequam matrimonium ad ordinem civilem et politicum pertineat, jam ordinatori et legibus uniuscujusque ex tribus illis ordinibus, naturali, individuali et domestico subest. Unicuique enim ex tribus illis ordini-

bus proprius ordinator et propriæ leges sunt; naturali Creator, individuali humana ratio, domestico paterfamilias præsunt. Itaque functionum ordinis naturalis nullus alius ordinator est præter supremum totius naturæ ordinatorem. Domesticus ordo nulli alii ordinatori obnoxius est quam rectæ auctoritati domesticæ. Necessitates denique individuales sola ratio cujusque individui determinare potest, sicut necessitatum et functionum politicarum solus supremus ordinator politicus est legitimus judex. Ergo tam absurdum est politico ordinatori matrimoniorum gubernationem adjudicare, quam absurdum esset eidem munus committere fecunditatem gregum, parcimoniam apud singulas familias, alimenta pro singulis individuis determinandi.

II. Ordo politicus ad felicitatem individuorum procurandam ultimo est destinatus : nam ordo politicus ad civicum subordinatur, cujus finis est individuorum felicitas (840). Atqui individuorum felicitati quam maxime repugnaret ejusmodi jus politicæ potestati concessum, matrimonia jungenda singillatim et directe determinandi. Etenim, si a politica potestate cuique individuo determinanda esset uxor ducenda, sæpissime fieret ut vir obligaretur ad perpetuum consortium cum persona sibi minime grata aut etiam invisa, et a persona quam unice diligeret perpetuo arceretur ; idipsum de uxore respectu viri dicendum est. Hoc autem quantopere a natura suavissimi et nobilissimi consortii conjugalis abhorreat, perspicuum est. Ergo, etc.

1066. Coroll. 1. — Quod socialis ordo a matrimoniis recte jungendis plurimum pendeat, non efficit ut eorum conjunctio a politico ordinatore directe et singillatim dirigi debeat. Etenim bonum societatis universæ a bono cujusque individui et cujusque familiæ et naturæ ipsius humanæ omnino pendet. Ergo, si talis dependentia jus illius immediatæ directionis gigneret, omnia pariter quæ ad humanam naturam, quæ ad singula individua, quæ ad singulas familias pertinent, auctoritas politica per se ipsa ordinare optimo jure posset ac deberet : qua re nihil absurdius atque exitialius fingi potest.

At vero socialis ordo est ordo individuorum et familiarum in publica societate viventium, *quatenus in publica societate vivunt* (472). Ergo politici quidem ordinatoris est et individuis et familiis jam in publica societate viventibus leges dare ut ad publicum bonum omnes conspirent; at individua et familias quæ nondum exstiterint, creare, ad politicam auctoritatem minime spectat. At-

qui directa matrimoniorum jungendorum gubernatio ad familias creandas et individuorum creationem procurandam pertineret. Ergo politicæ auctoritatis limites illa excedit. Ergo matrimonia, in se ipsis, a ratione, a contrahentibus, a Deo solummodo pendent.

COROLL. 2. — Etiamsi nullum publicæ auctoritati jus sit ad matrimoniorum conjunctionem directe gubernandam, indirecte illa tamen eidem consulere et jure potest et omnino debet. Hæc autem indirecta matrimoniorum gubernatio politica consistit in juribus auctoritatis publicæ exercendis in familias jam existentes; quæ jura omnia spectant ad publicam ordinis violationem directe impediendam, et felicitatem cujusque socii per omnium sociorum cooperationem procurandam (840). Igitur potest publica contra matrimonii sanctitatem crimina vetare; potest prolis tutelam contra raram parentum aliquorum sævitiam suscipere; potest domesticam administrationem dirigere quoad illa quæ cum ordine publico necessariam et immediatam connexionem habent, cujusmodi sunt jura hereditaria, æs alienum, notorietates legales, etc. Hæ leges aliæque similes possunt ad communem utilitatem esse necessariæ adeoque justæ. At illæ naturalem societatis conjugalis existentiam præsupponunt, eamque nullo modo impediunt, nec illius propriam naturam, secundum quam illa est societas quædam voluntaria, ullo pacto immutant. Quare hoc matrimonii proprium esse, publica societate, quæ ab illo provenit, anterius, a legibus politicis, non secus ac totus naturæ ordo, prorsus independens est.

1067. Pos. 523ª. — Sociorum multitudo crescens est quidem per se bonum quoddam sociale, sed solum intra limites proportionis ex bono societatis et physico et morali determinatos.

PROB. 1ª PARS. — 1° Unitas societatis est unum ex præcipuis elementis perfectionis socialis (429). Ergo perfectio hujus unitatis est bonum sociale; quia quo perfectior illa unitas erit, eo perfectior erit societas. Atqui unitas eo perfectior est, quo plura complectitur et conjungit. Sic unum absolute perfectissimum est Unum infinitum, omnes possibiles perfectiones in simplicissima unitate complectens. Inter unitates vero creatas illa semper habentur perfectissima, quæ in entitate unica maximum virium, facultatum et principiorum numerum comprehendunt. Ob eamdem causam veritas universalis et scientifica judicatur nobilior veritate historica et particulari. Itaque societas domestica perfectior habetur quam sola conjugalis, societas civilis perfectior quam

sola domestica. Ergo tanto perfectior erit quævis societas, quanto ampliorum sociorum numerum ea continebit. Ergo, etc.

2° Quo major est sociorum in unaquaque societate numerus, eo majora sunt bona ad quæ sibi comparanda potest societas assurgere. Nam quo major est sociorum numerus, eo major est mentium vis et efficacia ad verum inquirendum; eo major est socialis vis et robur ad voluntates movendas per publicæ dignitatis et decori sensum et per exemplorum impulsus; eo major est vis materialis ad vincenda obstacula sive a rerum natura, sive a delicti perturbationibus, sive ab hostium incursibus provenientia. Ergo major sociorum multitudo est medium peridoneum ad multa socialia bona obtinenda. Ergo illa est omnino bonum quoddam sociale.

PROB. 2ª PARS. — Sociorum multitudo non est tale bonum, quod debeat aut possit indefinite promoveri, sed solum intra certæ proportionis limites. Nam sociorum numerus est pars quædam organismi socialis. Atqui cuilibet parti essentiale est, ut ad totum referatur; adeoque pars quælibet tunc solum bona, seu recte ordinata, est, quando ad finem totalem tendit, ad eumque obtinendum aptam cum cæteris omnibus partibus et cum toto proportionem servat. Ergo sociorum multitudo tunc solummodo sociale bonum est, quando crescit cum æqua proportione ad reliquas socialis organismi partes, scilicet quando et moralis vis societatis, quæ in sociali intelligentia et voluntate consistit, adhuc apta est ad totam multitudinem continendam et movendam, et territorium, in quo illa extenditur, sufficiens est ad totam illam sustentandam ac nutriendam. Atqui certum mathematice est, territorio aliquo determinato non posse numerum incolarum indefinitum contineri atque ali. Morales autem societatis vires, indefinitos quidem, labente tempore, progressus habere possunt; at determinato quodam tempore limitatus iisdem inest vis cohibentis gradus. Ergo indefinita multitudinis sociorum incrementa sunt respectu territorii omnino impossibilia. Respectu autem virium societatis moralium indefinita hæc incrementa in grave ejusdem societatis damnum verterent, ubi socialem vim excederent; sicuti noxia corpori organico est nimia ciborum, humorum et pinguedinis abundantia, quando vitalis virtus illis amplius dominari nequit.

Igitur, ut major sociorum multitudo sit reapse bonum sociale, necesse est æquam proportionem ab ea servari 1° ad bonum societatis physicum, ita ut ea multiplicatio eatenus solum procure-

tur, quatenus socii in tali territorio commode sustentari alique possint; 2° ad bonum ejusdem morale, ita ut socio cuique, matrimonium contrahere volenti, moralis possibilitas illius contrahendi adsit: hoc enim publica societatis honestas maxime postulat. Etenim in præsenti naturæ humanæ statu non solum est omnibus hominibus jus, sed multis etiam necessitas quædam est matrimonii contrahendi, ac talis necessitas, ut, nisi eidem satisfiat, morum individualium corruptioni et socialibus perturbationibus ac sceleribus infinitis originem præbeat. Atqui nimia sociorum multiplicatio moralem impossibilitatem congrui matrimonii contrahendi multis creat. Nequeunt enim matrimonium prudenter contrahere, qui bonis ad conjugem futuramque prolem alendam sufficientibus careant. Ergo, etc.

1068. COROLL. 1.—Tres gravissimi momenti veritates demonstravimus: 1am Matrimonia jungenda nequaquam a publica auctoritate pendere: 2am Moderata sociorum multitudinis incrementa, quum bonum sociale illa sint, ab auctoritate politica promovenda esse: 3am Ita sociorum multiplicationem esse procurandam, ut sociorum matrimonia minime impediantur, et eorum tamen numero nimis crescenti modus imponatur. Etenim, quoniam homines liberi ac satis felices suapte natura tendunt ad sociorum multitudinem ultra modum augendam, et nimia sociorum multiplicatio potest facile in calamitatem publicam verti, manifestum est, excitamenta ad humanam propagationem a publica auctoritate interdum minuenda esse, ubi, salvis sociorum juribus et publica felicitate id efficere possit.

Eadem ratione, quoniam matrimonium est persæpe homini necessarium, et nimia sociorum multiplicatio multis congruum matrimonium impedit, unde magnæ calamitates, præsertim morales, tum individuales tum sociales, enascuntur, socialis auctoritatis officium est, nimiam illam multiplicationem, quatenus sine injustitia ulli sociorum illata id fieri potest, impedire.

Jamvero, in hoc ipso maxima rei difficultas sita est, in inveniendo scilicet idoneo medio, naturali cujusque hominis ad matrimonium juri et societatis felicitati minime repugnante, quo vel otio et divitiis affluenti homini persuadeatur, ut vehementissimæ propensioni, qua ad amoris conjugalis castas delicias et ad sui ipsius in filios carissimos propagationem fertur, perpetuo reluctetur, eamque vincat ac prope deleat, dum tamen honestissimis iis amoribus et opportunissimo solatio, quod ingruenti ejus

senectuti filiorum gratus animus præstaret, sine ullo criminis metu frui posset. Hoc medium difficillimum catholica religio suppeditat, et sola suppeditare potest. Catholica namque religio perfectam cælibatus voluntarii continentiam et suis laudibus venerabilem, et internis gratiæ divinæ subsidiis possibilem, et externis Clericorum et Cœnobitarum institutis facilem efficiendo, naturali ad humanam propagationem propensioni modum et voluntarium et efficacem et suavem imposuit, quin tamen cælibes ad crimina inhonestæ veneris excitentur; et voluntariam paupertatem apud suos cælibes cum voluntaria continentia conjungendo, vitam civibus matrimonio junctis commodiorem adeoque fecundiorem, atque eorum liberis tutum a famis atque ignominiæ periculis perfugium parat.

A religione autem catholica sola dicimus medium illud difficillimum præstari, quia nulla secta est, quæ, a catholica societate deficiendo, catholicas etiam de voluntario cælibatu doctrinas et instituta non rejecerit. Et quamvis aliqui eorum qui voluntarium cælibatum catholicum profitentur, in turpem scelestamque luxuriam vel clanculum vel palam delabantur, miserrimis istis demptis, multi adhuc cælibatum illum amplexi supersunt, qui vitam catholicis institutis dignam constanter agunt.

Quamobrem, post tam diuturnas tamque acerbas querimonias et vituperia, quibus catholicus cælibatus per tria postrema sæcula impetitus est, huc tandem deventum est, ut hic ipse cælibatus agnoscatur esse unicum medium, quo supereffluens hominum multitudo temperari, salvis individuorum juribus et publica felicitate, possit.

Quod quidem medium, primis humani generis ætatibus, quando humana propagatio immodica evadere non poterat, ignotum, a sapientissima Creatoris providentia posterioribus ætatibus, *ubi venit plenitudo temporum*, exhibitum fuit, quando nimia generis humani propagatio periculosa fieri poterat.

Coroll. 2.— Naturalia media quibus socialis auctoritas potest ac debet humanam propagationem indirecte et moderate in sua quæque societate procurare, reduci omnia possunt ad domesticam nubentium libertatem tutandam contra quamcunque parentum violentiam, et ad famis timorem a familiis per sedulam publicæ felicitatis et commodorum curam depellendum. His duobus in tuto collocatis, Creatoris providentiæ cæteroquin et legibus rationis atque instinctus quibus natura humana regitur, cum generis

humani propagandi permittenda est. Et quanquam leges naturæ humanæ ad multiplicationem hominum indefinitam producendam tendant, huic tamen indefinitæ multiplicationi insuperabilis obex a Creatore oppositus est, nempe virium alimenta gignentium limitatio. Etenim, quoniam vivere sine alimentis homo nequit, iisdem limitibus continentur in quaque regione et alimentorum productio et humana propagatio. Unde quisque intelligit naturalia adjumenta a sociali auctoritate ad sociorum multitudinem augendam in summa reduci ad rectam socialium divitiarum distributionem, de qua inferius dicemus.

ARTICULUS II.

De sociorum numero contra emigrationem conservando.

1069. NOTANDUM. — Quærendum hic nobis est, utrum subditis liceat e patria sua regione emigrare; utrum politicæ auctoritati jus sit emigrationis vel jubendæ vel vetandæ. Cujus problematis resolutio pendet maxime ex doctrina fundamentali, quæ circa societatis originem fuerit constituta. Quare, qui societatis formationem sociali pacto attribuunt, ex eodem pacto sociali principia, per quæ hoc problema resolvant, petere solent. Unde fit, ut conclusiones etiam deducant tam falsas, quam falsum est principium quo illæ nituntur.

1070. POS. 524a. — Tunc solum individuo cuipiam vel consortio particulari illicita est emigratio, quando facto associante vel individua quæque vel consortia particularia ad permanendum obligata sunt.

EXPL. — Sicut vel individuo vel consortio officium est in certa societate permanendi, non potest illud aliunde provenire quam a principio ipso associante. Nam ideo quis obligatur ad permanendum in aliqua societate, quia factum quo tali societati adjunctus est, ad permanendum in eadem illum obligat. Ergo problematis illius resolutio generalis in puro ordine abstracto nulla fieri potest, sed a facto concreto, quo primum obligatio inducta est, omnino illa pendet. Ergo, si factum hoc particulares societates seu consortia ad permanendum obligavit, illicitum subditis erit gregatim e patrio solo emigrare; si individua obligavit, singulis individuis ne singillatim quidem emigrare licebit. In utroque autem casu obligationem permanendi pariet non societatis

dissolvendæ periculum, sed vinculum illud vel naturæ, vel pacti, quo talis societas efformata est.

1071. COROLL. 1. — Subditorum illi officio manifestum est jus correlativum politicæ auctoritatis respondere. Nimirum debebit illa emigrationem vel individuis vel familiis aliisque consortiis permittere aut vetare, pro juribus factisque diversis quibus ea politicæ auctoritati subduntur, et pro diverso modo quo hæc auctoritas publicam procurat felicitatem.

Apud societatem vero prosperis rebus fruentem impossibile propemodum est, ut desiderio emigrandi procul e patria terra, quod acerbissima pœna est judicio damnatis, multi capiantur. Quod si multi hoc desiderio tangerentur, percommode id tali societati universæ accideret, quia superfluo sociorum numero, qui in felici quavis societate exuberare solet, eamdem liberaret.

Et quamvis ad societatis bonum hæc emigratio nihil conferret, attamen, quoniam habitationis electio ad ordinem individualem attinet, quæ individua nullo speciali facto certæ societati alligata sunt, non possunt a publica auctoritate ad permanendum obligari.

At si publicis calamitatibus ea societas prematur, si fame aut peste aut bello vastetur, multo magis licebit civibus illinc emigrare; nisi forte illorum opera sit ad tempus necessaria ad communem patriam ab hostibus incurrentibus defendendam.

COROLL. 2. — Eodem modo contrarium problema resolvendum est, quo nempe quæritur, utrum politicæ auctoritati liceat certo sociorum numero omni culpa vacanti emigrationem præcipere, ad colonias, *v. g.*, in longinquis regionibus constituendas, vel ad civitates integras ex altero loco in alterum transferendas. Quare, si agitur de communi bono tali, quod sine privato aliquorum detrimento obtineri nequeat, et privata damna congruenter compensentur, tunc certe licet politicæ auctoritati emigrationem ejusmodi præcipere; sed ita tamen, ut damnum inde proveniens cum æqua proportione in socios omnes distribuatur, et magis in illos qui bonum sociale, propter quod emigratio illa præcipitur, magis participant. At vero, si bonum illud commune potest aliter obtineri, vel si damna inde provenientia hoc bonum non satis compensent, tunc ex lege jurium collisorum constat publicæ auctoritati nequaquam licere libertatem sui domicilii eligendi sociis aliquibus adimere.

COROLL. 3. — Pulchræ utilesque principiorum hactenus constitutorum applicationes hic fieri possent ad tot illas emigrationes

atque immigrationes, quarum plena sunt historiæ monumenta; cujusmodi sunt, *v. g.*, emigratio Israelitarum ex Ægypto, irruptio Gothorum in romanum imperium, et hujusmodi. Nobis sufficiet de coloniis nostrorum temporum, ac de illarum cum metropoli relationibus nonnihil attingere.

Et I. quidem quærendum est quid sint hodiernæ coloniæ; II. utrum iis liceat sese a metropoleos politica auctoritate subtrahere.

I. Hodiernæ coloniæ sunt partes quædam europæarum societatum, cum auxilio et sub auctoritate prioris patriæ emigrantes ad terras quæ desertæ et nullius dominio subjectæ existimabantur, incolendas. Igitur colonia est respectu metropoleos consortium quoddam, et quamdiu metropolis potest ac vult eam sibi conjunctam retinere, debet eamdem habere, qualis revera illa est, non ut servam, sed ut publicæ illius societatis partem. Quare coloniæ cujusque jura, abstracte loquendo, sunt omnino juribus aliorum civium paria. At, concrete rem considerando, debent illius sicut et aliorum civium jura facto convenienter temperari. Itaque, si cujus coloniæ administratio et tutela majores sumptus postulet, debet illa, majorem hominum et pecuniæ vim suppeditando, ad eos sumptus largius contribuere, et majores, quos pro illa impensas et labores metropolis suscipiat, cum æqua proportione compensare.

II. Factum primitivum, a quo tales coloniæ originem trahunt, earum cum metropoli societatem non parit per voluntarium pactum; sed illæ nascuntur associatæ, sicut infans cum sua familia associatus nascitur. Ergo a facto associante nullum hæ coloniæ jus dissolvendi pro lubito vinculi, quo cum metropoli conjunguntur, habere possunt. Attamen variæ causæ deinceps hujus vinculi solvendi occurrere utique possunt.

1° Politica metropoleos eversio, nempe talis apud illam rei publicæ immutatio, ut illa politicam Status independentis existentiam amitteret, relationem illam conjunctionis, sublato illius termino, abrumperet.

2° Moralis impossibilitas conjunctionis illius retinendæ. Hoc modo provinciæ occidentales sese paulatim ab imperio byzantino separarunt, quando illuc delapsum erat, ubi, nedum remotas provincias, ne se ipsum quidem ab hostium incursionibus defendere jam posset.

3° Mala rei publicæ administratio sub iisdem conditionibus,

sub quibus jam superius (lib. x, cap. 2, art. 2) vidimus licere populo contra principem male gubernantem insurgere.

Jamvero, etiam his tribus causis remotis, æquum videri potest coloniam jam adultam sibique ipsi sufficientem ex naturæ ipsius legibus emancipandam esse, sicut pueri, ubi ad virilitatem pervenerit, emancipationem naturæ leges postulant. At magnum profecto inter hos duos casus discrimen intercedit. Nam individuum, in physica sua unitate limitatum, ut porro crescat, se ipsum in alia individua propagare ac proinde multiplicare familias debet. Ergo jus, quod filius adultus ad suam emancipationem habet, oritur præcipue, non ex eo quod sibi jam sufficiat, sed ex eo quod ad sui propagationem, adeoque ad emigrationem e paterna domo, a natura sit destinatus. Contra vero societas, quæ est persona moralis, quum optime possit et numero crescere et late protendi, quin unitatem sibi propriam amittat, atque a suo territorio exeat; quumque sit potius destinata ad omnes homines ubique terrarum viventes in unicam familiam conjungendos; potest quidem per facta accidentalia in plures societates particulares dividi, sed suapte natura ad unitatem universalem destinatur.

ARTICULUS III.

De sociorum multitudine organice disponenda.

1072. Pos. 525ª. — Politicæ cujusque societatis tres partes organicæ esse debent : princeps, ministri et populus.

Notandum. — Principis nomine intelligimus semper personam illam, seu physicam seu moralem, quæ supremam politicam auctoritatem gerit. Ministros vero appellamus omnes illos, qui politica principis auctoritate quoad aliqua particularia objecta instructi, eamdem applicant ad sociale corpus congruenter movendum.

Prob. pos. — Societati cuilibet necessarium est principium quoddam, quo unitas socialis existentiæ et socialis operationis in concreto producatur et conservetur (452). Præterea, quoniam politicæ societatis amplitudo efficit, ut omnes societatis necessitates cognoscere, iisque consulere per se ipse princeps non possit (844), necesse est complures adesse personas, quæ illi in societate gubernanda opitulentur, ejusque supremam auctoritatem participent, ut principis auctoritas ad omnes societatis partes perveniat. Denique, evidens est præter gubernantes subjectum gu-

bernatum adesse quoque oportere. Ergo tres organicæ partes societati cuilibet politicæ sunt essentiales : prima, quæ unitatis motus socialis *principium* est ; altera, quæ impulsus et directionem a suprema auctoritate ad subjectum gubernatum, nempe ad populum, transmittit, estque motus socialis *organum ;* tertia, quæ socialis gubernationis quasi *materia*, seu *subjectum* est.

1073. COROLL. — Societatis politicæ organica dispositio physico humani corporis organismo similis est. In corpore namque humano præter animam, vitæ atque unitatis principium, duplex organorum species adest, quorum altera motum habent a liberæ voluntatis impulsu pendentem, altera solo naturæ instinctu moventur. Magnum tamen discrimen inter organa corporis physici et organa corporis moralis interest. Nam priorum physica constitutio a natura omnino provenit, nec illa sibi quisque pro suo lubito confingere potest. At corpus morale, quum a facto humano enascatur, possunt multæ illius partes ab humana voluntate accommodate conformari ad earum functiones, vel ejusdem voluntatis vitio deformari.

Jam politicæ auctoritatis est tres illas organicas societatis partes nuper enumeratas et apte primum constituere et in idoneo statu conservare. Et quod ad populum attinet, nihil jam dicendum superest. Etenim omnia quæ in jure civili auctoritati ad commune individuorum bonum facienda constituimus, dum eo spectant ut propria populo felicitas procuretur, ad eumdem simul per amoris patrii vincula conjungendum cum iis qui rem publicam gerunt, suapte natura pertinent. Ergo politicæ auctoritatis officia ad rectam populi constitutionem et gubernationem spectantia jam sunt a nobis in libro superiore explicata. Restat ut de ejusdem officiis in societate gubernante formanda, tum quoad ejus caput tum quoad membra, breviter dicamus.

1074. POS. 526ª. — Politicæ auctoritatis officium est principis et physicæ existentiæ, et morali educationi, et constanti probitati diligenter prospicere.

EXPL. 1ª PARS. — Politicæ auctoritatis est principem idoneum formare. Ad principem autem idoneum efformandum tria evidenter necessaria sunt : physicam existentiam eidem et primum dare et deinceps conservare ; ad moralem honestatem eumdem educare; eumdem in talibus rerum conditionibus collocare, ut eam honestatem ille sit certo secuturus. Jamvero, quod ad primum ex tribus illis spectat, physica principis existentia pendet ab ejus vel

nativitate vel electione, prout principatus est vel hereditarius vel electivus. Ergo 1° potestatis constituentis officium est normas vel successionis vel electionis ad publicum bonum maxime accommodatas determinare.

2° Quoniam principis incolumitas est universale societatis bonum, officium principis erit non solum individuale, sed etiam sociale, sui ipsius conservatio. Quocirca, etsi laudanda in principe virtus sit clementia, attamen vituperanda et culpabilis socordia in eodem esset, quæ contra illius vitam et contra auctoritatis possessionem quam ipse legitime habeat, tentata sint, impunita relinquere; quia publicam quietem ac securitatem gravibus periculis exponeret : quod quidem æque de monarchia et de polyarchia verum est cum hoc uno discrimine, quod in monarchia mors individui est mors principis; at in polyarchia, quum apud illam princeps sit persona moralem tantum unitatem habens, possunt individua principatum gerentia perire singillatim, quin princeps pereat. Quare quidquid contra monarchæ vitam fiat, est delictum contra socialem existentiam patratum. At quæ contra nonnullos e polyarchis tentata sint, possunt individua lædere, quin socialis existentia ullo pacto lædatur. Ergo monarchæ vita multo majore custodia digna est; præsertim quum impetus omnis improborum feratur contra monarcham, a quo uno frena omnibus sceleribus injecta teneri vident.

3° Quacunque princeps custodia protegatur, morti tamen ille obnoxius est, adeoque monarchiæ potest interregnum accidere. Ergo a potestate constituente ita res componenda est, ut principatui organum satis aptum non desit, ubi perierit individuum, qui supremam auctoritatem possidebat. Huc pertinent leges *regentiæ* et *minoritatis*, quarum bona dispositio et gravissimum momentum et maximam difficultatem in monarchica omni constitutione habet.

Manifestum autem est eas leges huc tandem spectare oportere, ut et societatis quies ac felicitas in tuto sit, et pupillus in tali rerum conditione statuatur, ut nec potestatem ullam exerceat, nec jus tamen ullum amittat; educationi subjiciatur, quæ aptum eumdem ad recte imperandum efficiat, et simul contra ambitionem non solum competitorum et adversariorum quorumcunque, sed etiam ejus institutorum ac tutorum præmuniatur. Quæ quidem omnia congruenter intelligenda sunt etiam de rege qui vel morbo aliquo vel senio repuerascat.

Expl. 2ª pars. — Constanti principis existentiæ prospexisse non sufficit. Instruendus ille præsertim est virtutibus necessariis, ut ad recte rem publicam gerendam idoneus evadat. Quam in rem, in principatu hereditario, paternus amor et paterna officia principem efficaciter excitant, ut filium regio sceptro dignum sapienti fortique institutione efficiat. Quare optima educatio, præmaturus rerum et hominum usus, et sincerus populi amor in principe hereditario plerumque supplent quod a mentis animique indole deesse videatur. E contrario, in principatu electivo prudentia electionis et personæ *eligibilis* præclaris virtutibus pensanda est impossibilitas efformandæ per peculiarem educationem personæ illius moralis, quæ principatum possessura sit, ut jam innuimus, n. 1033 et 1063.

Expl. 3ª pars. — Recta politica constitutio denique debet principem in iis rerum adjunctis collocare, ut, ubi jam ad regias virtutes fuerit institutus, in iis colendis perpetuo perseveret. In hunc finem duplex mediorum species adhiberi potest, quorum altera hominem moralem moderentur, altera hominem sensitivum impellant. 1° Medium ad hominem, præsertim vero ad principem, in officio continendum omnium efficacissimum est religio; quæ quidem, hominis non solum externas actiones, sed etiam internas cogitationes et voluntates pervigili providentiæ et inexorabili justitiæ Dei omnipotentis subdendo, moralibus adeoque suavibus vinculis regiam potestatem, per se ineluctabilem, utpote supremam, alligat.

At vero, quoniam religio naturalis, nimis obscura et incerta, parum admodum valeret ad regiam superbiam cohibendam, idcirco supernaturalis revelatio, de qua lib. 5° diximus, humano generi a divina Bonitate concessa fuit : atque ita dictatis pure internis conscientiæ, quibus facile homo reluctatur, addita est etiam penes monarchas publica professio socialium dogmatum perfectissimorum in externa quadam societate spirituali, cui quidem conscientiam monarchæ ipsi subjiciunt, statim ac sese illi devovendos judicaverint. In hac societate principes, fraterno cum suis subditis amore conjuncti, eadem cum illis dogmata credentes, eadem cum illis lege devincti, cum illis quoque advocantur tum ad eosdem ritus publicos, qui homini cuique et divinæ majestatis omnipotentiam et humanæ naturæ infirmitatem in mentem revocant; tum ad eosdem judices, coram quibus illi non secus ac infimus quisque de plebe, debent sui ipsorum et accusatores et

castigatores esse; tum denique ad easdem conciones, in quibus tanto liberius christianæ doctrinæ inculcantur et corrupti mores corripiuntur, quanto et sanctior cæteris omnibus est christiana religio, et christiani sacerdotii dignitas aliam omnem dignitatem antecellit.

Quare, si quod frenum regiæ potestati, per se invincibili, imponi potest, a tali religione solummodo imponetur. Hinc factum est, ut multi populi catholicam religionem, tanquam legem etiam politicam amplexi olim fuerint, atque hæc religio fuerit diu præcipua norma ad quam et regiæ familiæ educatio et populi gubernatio dirigerentur : unde felicia humanitatis et pacis tempora, veteribus regnis et nationibus ignota, apud christianos populos effluxere, principibus quidem paterna benevolentia suos populos, et populis fiducia plane filiali suos principes vicissim prosequentibus, ob christianos sensus quibus majores illi nostri penitus erant imbuti.

2° Ubi sensus illi charitatis, pietatis et fidei vel in principe vel in populo deficiant, tum vero, in eorum locum diffidentia reciproca succedente, alia media adhiberi solent, per quæ personalis gubernantium probitas ab erroribus saltem manifestis protegatur. Atque hinc apud populos catholicos religiosæ auctoritatis, præsertim pontificiæ, in politico ordine vis exorta est. Hinc etiam apud populos cuicunque sectæ religiosæ addictos originem duxerunt tot illæ formæ principatus constitutionalis, de quibus jam nonnihil lib. 4° diximus. Hinc denique factum est, ut principes interdum ipsi certas statuerint conditiones et formas, a quibus vis regiorum decretorum penderet, certosque magistratuum ordines designaverint, ad quos earum conditionum formarumque observandarum inspectio pertineret; ut scilicet regia potestas, si quidem vel ignorantia vel passionis alicujus impetu ad noxium aliquid imperandum impelleretur, in hæc obstacula vel invita offenderet.

1075. Coroll. 1. — Hæc tria sunt animadvertenda :

1um Sicut officium, ita etiam jus est unius supremæ auctoritatis politicæ media illa definiendi, quibus princeps ad officia sua constanter implenda confirmetur; neque ulli subdito vel extraneo jus est ea media præscribendi.

2um Non omnes politicas societates eadem ad principem formandum, protegendum et continendum media decent, ut quisque per se intelligit.

3um Differentia, quæ inter principatus temperatos et principatus absolutos hac in re interest, non consistit in eo quod priorum auctoritas certis quibusdam limitibus coerceatur, posteriorum auctoritas ab omni sit impedimento immunis : omnis enim principatus iisdem justitiæ et boni publici legibus devincitur : sed ea differentia in eo consistit, quod temperato principatui limites illi ab alieno jure, principatui absoluto a principis officio tantum et conscientia præscribantur.

Coroll. 2. Non sola principis persona, sed multæ aliæ præterea efformandæ ad bonum publicum et conservandæ sunt, a quibus etiam societatis gubernatio pendet, et ex quibus hominum ordo quidam activus in re publica gerenda constituitur, qui ordo vocari potest *societas gubernans*. Hic sociorum ordo componitur omnibus illis individuis, quibuscum princeps partem aliquam politicæ auctoritatis communicat : qui ordo, ut quisque videt, essentialiter differt per se, idest ob suarum functionum naturam, tum ab ordine eorum qui auctoritatem politicam in polyarchia participant (497), tum a collectione inferiorum auctoritatum hypotacticarum, quas in ampliore quavis societate semper adesse jam animadvertimus n. 844. Etenim magistratus illi subordinati auctoritatem habent sibi propriam, atque ad recte gubernandum in suo ordine liberam. Politica vero munia gerentes cooperantur omnes simul ad societatem ordinandam, ut ea sit apta ad suos cives gubernandos. At secundariorum gubernantium ordo totus est in auctoritatis unius ab illis participatæ vim per omnia societatis membra diffundendam, eo fere modo, quo musculi voluntarii impulsiones voluntatis unius et simplicis ad omnia corporis organici membra deferunt. Quare auctoritatem hi posteriores habent solum *delegatam*, nimirum quæ non est eorum propria, sed omnino provenit a superiore, qui in illis et per illos operatur.

Unde colligitur gravissimum supremi gubernantis officium esse gubernantes secundarios apte vel efformare vel eligere, omnesque artes adhibere, ut non solum externis invitamentis, sed interna potissimum probitate ad recte efficienda quæ ipse per eos operatur, moveantur.

Coroll. 3. Circa secundariorum hujusmodi gubernantium electionem duo potissimum hic quæri possunt : 1um An hæc electio a principis arbitrio omnino pendeat; 2um An certam aliquam conditionem in eligendis princeps exigere jure possit.

Quod ad 1um attinet, quoniam in principe tum jura atque of-

ficia hominis, tum jura atque officia supremæ auctoritatis insunt, idcirco 1° manifestum est secundariorum gubernantium electionem omnino ad principem pertinere, quia quidquid auctoritatis et facultatis illi habent, a principe totum habent.

2° Principis administri in duplici ordine sunt valde diverso. Nam sunt ordinis privati ministeria, regiæ personæ privatæ, regiæ familiæ, regiarum facultatum privatarum curam habentia; et sunt publica ministeria, militaria scilicet, vel judiciaria, vel administrativa. Itaque priora ministeria seu munia a principe tanquam privato cive distribuuntur, adeoque, nisi promisso, vel grato animo, vel alia peculiari causa princeps obligetur, potest princeps administros ejusmodi pro suo arbitratu plane sibi eligere. At ministeria, quæ princeps ut supremam auctoritatem gerens distribuit, semper accommodate ad commune societatis bonum, scilicet non arbitrio voluntatis, sed intellectus judicio; impertiri debet.

Quod pertinet ad 2um, evidens est, certas conditiones in candidatis ad quæcunque publica munia a principe requiri et posse et debere. Nullum namque publicum ministerium est, quod peculiarem aliquam disciplinam et peculiares virtutes non postulet. At vero sæpe fit, ut secta aliqua, vel politica vel religiosa, ubi rerum potita sit, ab iis qui munia publica adire velint, conditiones exigat vel prorsus inutiles ad commune bonum, vel non necessarias, vel etiam plane injustas. Tunc vero facile quisque intelligit, illicitum id supremæ potestati esse. Inutilia namque vel non necessaria vincula societati imposita semper mala sunt, etiamsi nulla alia injustitiæ labe inficiantur. Multo vero damnabiliora illa sunt, ubi alia societatis jura positive lædant; cujusmodi essent certa ratio aut certus locus educationis, ad munia quæ postulantur nihil pertinentia, ad commune bonum inutilia; vel certarum doctrinarum minime infallibilium professio, et similia.

Coroll. 4. Quoniam bina sunt homini internæ actionis principia, sensus nimirum et ratio, idcirco politica societatis constitutio illa optima erit, in qua homo utroque hoc principio pariter ad commune bonum procurandum impelletur.

Præterea, quum apud populum cujus major pars probitatem colit, ratio prævaleat, idcirco apud talem populum constitui et diu consistere poterit politicum regimen jure et officio *præcipue sed non unice*, fundatum. At, quum apud populum, cujus corrupti mores

sint, sensus dominetur, politica talis populi constitutio utilitate præsertim personali qua maxime sensus movetur, inniti debet.

Notandum tamen est, hoc alterum socialis motus principium, ab utilitate et sensu proveniens, quatenus principio rationali prævaleat, eatenus ordini humanæ naturæ proprio repugnare. Ergo secunda hac impulsione ita politicum ordinatorem uti oportet, ut societatem ad eos probitatis sensus, quæ aptam eamdem ad morales impulsiones efficiant, paulatim reducat.

1076. Pos. 527ª. — Rei publicæ administris congrua stipendia a societate utique retribuenda sunt.

Explic. — Quantacunque voluntatis perfectio supponatur in illis qui rem publicam gerunt, nunquam tamen hi poterunt eximi a necessitate corporis sui sustentandi. Neque ii qui publicis negotiis operam navant, agris simul arandis, aut mercaturæ faciendæ vacare possunt. Ergo societas ipsa, ad cujus utilitates illi et tempus et labores, propriis suis utilitatibus subtractos, impendunt, eos congruenter sustentare tenetur. Quod si præter tempus et labores pecuniam etiam suam ad rei publicæ usus conferant, si detrimenta in suis negotiis patiantur, manifestum est eos sumptus, eaque detrimenta a societate illis esse pensanda. Atqui media illa ad vitam sustentandam suppeditata, atque hæc detrimenta compensata sunt illud quod *stipendium* dicitur. Ergo, etc.

1077. Coroll. — Quisque videt stipendium ex prima sua origine, esse medium ad vitæ sustentationem, secundarie vero esse sumptuum vel damnorum compensationem seu restitutionem, si munus, quo quis fungitur, detrimenta illi aliqua afferat. Quod si stipendium lege aptetur cum æqua proportione ad opus quod quisque perfecerit, poterit ex hac parte ut præmium considerari. Igitur stipendium nequaquam est, ut aliqui volunt, præmium ob muneris acceptationem datum : acceptatio namque semel fit, stipendium contra est constans; munus acceptatum plerumque petitionibus supplicibus conceditur; at nemo supplicem stipendio præmiove afficit, ut acceptet, quod ipse suppliciter postulaverit.

1078. Pos. 528ª. — Stipendium debet cum proportione accommodari et subjecto, et hujus detrimentis, et ejusdem merito, et ejus diligentiæ, et sociali necessitati.

Expl. 1ª pars. — Stipendium est subjecti, quod illo afficitur, sustentatio. Ergo debet alere non solum ipsum qui munere fungitur, sed etiam illos qui jus habent, ut ab eodem alantur. Quare

quæ munera cælibem requirunt, minore afficiuntur stipendio quam illa quæ matrimonio junctum admittunt; et quæ munera hominem commoda vita utentem postulant, eumdem commode quoque sustentare debent.

Expl. 2ª pars. — Stipendium est compensatio. Ergo debet cum proportione convenire detrimento, seu præsenti seu futuro, quod is qui munus gerit, patitur aut patietur sive in se ipso, sive in sua familia. Hinc fit ut quæ munera excellentiorem doctrinam postulant, ad majora quoque emolumenta jus præbeant : hæc enim doctrina magnos divitiarum et commodorum fructus ei qui illam adeptus fuerit, ad senilem præsertim ætatem fovendam, gigneret.

Expl. 3ª pars. — Ea sustentationis et compensationis media ad hunc finem præbentur, ut personæ idoneæ ad rem publicam gerendam semper adsint. Ergo juxta aptitudinem, non juxta necessitatem petentium concedenda sunt munera, eorumque stipendia.

Qua in re vehementer errant aliquorum judicia, qui publica munia eodem loco habent, quo publicam panis distributionem, quæ suapte natura indigentiores præ cæteris spectat. Ubi meritum et aptitudo paria sint, pauperior utique ditiori præferendus interdum est : interdum, inquam, quia pauperies non raro minus aptum ad munia publica obeunda efficit. At munera conferre vel etiam creare ob solam petentium indigentiam, communi societatis bono valde repugnat. Commune namque ærarium disperditur, et societas fraudatur, quæ ad pauperum subsidium liberalitatis et misericordiæ opes tenetur impendere ; nec pati debet, ut superfluis muneribus, in homines ineptos collatis, apta rei publicæ gubernatio præpediatur.

Expl. 4ª pars.—Aptitudo ad publica negotia gerenda sine ipsa actione quæ ad illa recte gerenda applicetur, prorsus est societati inutilis. Ergo tanto justior erit stipendiorum distributio, quanto accuratius in ea facienda spectabuntur et aptitudo simul et diligentia in muneris collati officiis implendis.

Expl. 5ª pars. — Stipendia e societatis fortunis trahuntur. Evidens autem est sociales fortunas non esse insumendas præter id quod societatis necessitas postulat. Ergo stipendia nunquam excedere debent munerum, pro quibus solvuntur, necessitatem.

1079. Coroll. — Ex dictis hoc colligitur, tanto perfectiorem fore societatis gubernantis organicam dispositionem, quanto mi-

nor erit et munerum et administrorum numerus, paribus tamen operibus atque utilitatibus servatis. Nam 1° minor officiorum complexio et administrorum multitudo efficiet, ut egenti cuique facilior opis obtinendæ via, et principi facilior abusuum, qui forte irrepserint, inquisitio sit.

2° Quia munerum non necessariorum adjunctio operas infructuosas auget, adeoque sociales opes imminuit.

3° Quia stipendia inutilia sunt onus non necessarium impositum societati, adeoque illicitum, ut inferius dicemus.

4° Quia quo plures machinæ requiruntur ad certum pondus movendum, eo major debet esse *quantitas* virium collisione et attritu mortuarum, quod totius mechanismi imperfectionem testatur : ostendit enim artificem nesciisse, apte machinas disponendo, omnem virium quantitatem, quæ obtineri poterat, exinde elicere.

Qua ratione autem ea dispositio perfecta fieri possit, est problema a politico jure practico resolvendum. Hoc unum in hanc rem notabimus, problematis illius solutionem consistere in tali systemate politico inveniendo, in quo suprema principis voluntas directe, quam maxime fieri possit, ad infimos usque administros, per omnes munerum publicorum gradus, descendat : quod quidem oritur ex perspicua potestatum seu *competentiarum* definitione ac distributione, ex perfecta inferiorum subjectione sub respectivis eorum superioribus, atque a tali utilitatum oppositione, quæ varios administros constituat alios aliorum inspectores et quasi censores.

CAPUT VII.

De potestate executiva quoad bonorum socialium administrationem.

ARTICULUS I.

De socialibus divitiis prædialibus.

1080. Notandum. — Quoniam politicum societatis regimen a tributis potissimum suas opes trahit, nonnulla sane de socialibus divitiis a tellure ipsa provenientibus dicenda sunt. Quumque tributa in privatorum fortunas imponantur, privatarum fortunarum incrementa plurimum ad publicas opes pertinere manifestum est. Jam potestas politica legibus prædialibus multum conferre in eum finem potest ut privatorum opes conserventur et augeantur. Ergo jus politicum debet generales normas in hac re constituere, cum civilis justitiæ ordine plane consentientes. Pro diversis namque locis, temporibus, moribus potest apud varias gentes justa vel injusta, utilis vel damnosa, possibilis vel impossibilis esse hæc vel illa prædiorum partiendorum determinata ratio. Ad Œconomiam autem Politicam spectat eam prædiorum divisionem monstrare, quæ, cum justitia civili undequaque congruens, et possibilis simul et utilis futura sit.

1081. Poss. 528ª. — Modicorum prædiorum multiplicatæ proprietates privato et publico bono vehementer nocent.

Prob. — Mutiplicantur modicorum prædiorum proprietates per æqualia jura successoria filiis omnibus concessa. Ubi enim paterfamilias, cui quinque liberi sint, centum agri jugera possideat, diviso æqualibus partibus inter filios patrimonio, singulis viginti jugera contingent, atque ex uno majore prædio quinque minora statim exsistent. Quæ divisio neutiquam fieret, si, quemadmodum antiquis legibus sancitum erat, prædiales fortunæ tanquam commune singularum familiarum bonum et communis proprietas, non singulorum filiorum præda, in publicis juribus haberentur. — Jamvero per successivas ejusmodi prædiorum divisiones plurima eaque gravissima incommoda, privato simul et publico bono contraria, inferuntur.

Nam I. vis præstantioris cujusque familiæ atteritur cum publico Status universi et privato clientium damno.

Plurimum interest reipublicæ, ut decus ac potentia servetur in iis familiis quæ rebus præclare gestis ad magnam inter cives gloriam magnasque opes se jam evexerint. Etenim, sicuti princeps, suprema auctoritate ornatus ac peculiari institutione ad tantum onus portandum comparatus, præesse debet, ita sunt etiam necessarii non pauci viri, optimis quibusque artibus singulariter instructi, qui, majorum suorum factis edocti et permoti, vetera instituta, veteres mores, veterem auctoritatem in civitate omnibus suis opibus tueantur, ac, nobiliora quæque munia ab adolescentia obeuntes, idoneos sese adjutores et ministros principi exhibeant. Atqui æqualis illa paternarum opum divisio potentiam clarioris cujuslibet familiæ, post unam vel alteram generationem, frangit, dispersis huc illuc divitiis, quæ civilis illius potentiæ sunt fundamentum prorsus necessarium. Ergo nulla esse poterit in civitate familiarum constans hierarchia, nulla traditionum civilium et politicarum perseverantia, nullum ex paterna gloria incitamentum ad bene de re publica merendum. Novi homines perpetuo exsurgent; novis hominibus, parum ex prima institutione aptis, summi honores, publica negotia gravissima committentur. Inde virorum excellentium raritas; rerum novarum cupido; rei publicæ fluctuatio; auctoritatis eversio, ac proinde societatis universæ confusio et exitium.

Quod vero attinet ad damna privatorum, potentior quæque familia, si stabiles illi fortunæ sint, nihilque ex parentum morte timendum, multos inopes egentesque in suam tutelam ultro suscipiet. At, si familiares divitiæ sint in æquales partes post parentum mortem dividendæ, nulla erit familia satis locuplex; futuræ divisioni prospiciendum; res domestica, quam maxime fieri potest, augenda, ut singulis filiis deinde sufficiat. In talibus rerum angustiis nequaquam poterit liberalitas divitum familiarum in populum, in religionem sacram effundi.

II. Unitas et concordia singularum familiarum disrumpitur.

Utilissima est ad bonos fortesque viros progignendos familiarum singularum unitas et consensio. Fraternæ contra simultates ac dissidia, dum familiam scindunt ac perdunt, civitatem etiam vehementer, ob mali contagionem, lædunt. Atqui æqualitas illa juris successorii bonorumque paternorum æqualis divisio dissensiones, lites, turbas necessario inter fratres plerumque excitant;

quæ mala impediuntur, si bona familiæ stabilia uni familiæ capiti constare omnia per jus publicum debeant.

III. Æqualis prædiorum divisio inertiam in multis civibus gignit; patrimonii integritas in uno familiæ capite conservata industriam et solertiam multorum parit.

Etenim, pingui hereditate in plures filios per partes æquales divisa, singulis fratribus erit adhuc quantum satis est ad vitam honeste et commode agendam. Itaque, ut est natura humana corrupta ad inertiam et mollitiem prona, plerique ii fratres, nulla necessitate ad gnaviter agendum impellente, suis bonis contenti, vitam omnem in otio et socordia traducent. At, si fratres illi, ad liberales omnes artes paternis opibus educati, nulla se videant fortunarum copia munitos, celsa indoles quæ ut plurimum vigere in nobilibus familiis solet, ingenita in talibus animis superbia, optima institutio quæ idoneos illos ad præclara quæque effecit, divitiarum paternarum in uno familiæ capite florentium conspectus, omnia hæc simul acerrimos iis pectoribus stimulos adjicient, ut strenue a prima adolescentia se gerant in civilibus gerendis negotiis, in re militari, in ecclesiasticis muneribus. Inde in optima civium parte industria, solertia, æmulatio, pulchra facinora, virtutesque omnes quas diligentia et constantia in laboribus tolerandis producunt.

IV. Evertuntur naturales libertatum publicarum patroni ac tutores.

Politicæ, civiles, municipales libertates, nisi patronos ac defensores habeant viros plane independentes, quibus nil sit a principe formidandum, arbitrio principis permittuntur, qui pro lubito illas poterit mutare, minuere, abolere. At viri satis multi, satis potentes, ut principis despotismo efficaciter reluctentur, nequeunt in civitate adesse, si civium hierarchia desit in qua prædiales fortunæ indivisæ perstent singularum familiarum capiti. Nam, ubi æqualis paternarum opum divisio per leges generaliter jubetur, ibi altiora quæque munia in re publica, non a nobilibus ac prædivitibus viris, sed a novis hominibus stipendio conductis geruntur ut nuper (I.) notatum est : nobiles autem familiæ ibidem perpaucæ supersunt quæ satis divitiis et potentia valeant ad publicas libertates contra principis arbitrium defendendas (a).

(a) « Sous un nom ou sous un autre, il faut toujours une classe gouvernante. Or, il est plus économique et plus patriotique d'être gouverné par la

— Ob easdem rationes nulla esse poterit familiarum hierarchia quæ supremam principis auctoritatem adversus populares tumultus per vim præsertim moralem protegat.

V. Agricultura deprimitur, annonæ difficultas invehitur.

Parvorum enim prædiorum multiplicatis proprietatibus, 1. multiplicantur tramites et viæ; tantumdem telluris subtrahitur culturæ;

2. Multiplicantur transitus, augenturque eadem ratione damna quæ a transeuntibus inferuntur;

3. Multiplicantur limites, qui remanent inculti;

4. Facultas deperditur magnam vim pecoris alendi;

5. Impotentia subit magni ullius operis suscipiendi ad terras purgandas vel irrigandas;

6. Impossibilis efficitur vigilantia in plures agellos quos quis forte possideat huc illuc dissitos (*a*).

VI. Morum integritas multum læditur.

Nullum vitæ genus ad morum innocentiam servandam, ad fortem excelsumque animum formandum quam agrestis vita, ab urbanis illecebris, turbis, vitiis remòta. Ruris amœnitas pura et salubris, aeris libertas, perpetuus cœli aspectus, divinorum operum quotidiana contemplatio, divinæ denique providentiæ, quæ in terræ fructibus cœlique tempestatibus opportune renovandis maxime elucet, postulatio nobilem virum, bonis artibus optime institutum, sicut corpore firmum ac robustum, ita animo bonum, religiosum, alacrem, generosum, fortem in agresti vita efficiunt. Quæ nobilium virorum virtutes ad plebem facile descendunt. Atqui, ut nobiles familiæ rusticam vitam ament colantque, necesse est amplos fundos illis perpetuo constare, ut est manifestum. Ergo, etc.

1082. Coroll. 1. — Sicuti nimia parvorum prædiorum multiplicatio impedienda per jus publicum est, ita cavendum etiam ne latifundia nimis ampla, quæ nequeant ab una familia diligenter administrari, in unum cogantur. Ab extremis nempe est pariter recedendum, ut in medio consistamus.

Coroll. 2. — Perspicuum est nil juri naturali contrarium fieri, si familiæ cujusque prædia indivisa uni familiæ capiti

classe des propriétaires fonciers que par des employés salariés. » (*Univers*, 15 novembre 1854.)

(*a*) « Le morcellement du sol détruit la richesse territoriale, comme la souveraineté du peuple détruit la notion du pouvoir. » (*Univers*, 11 déc. 1854.)

constare per leges jubeantur, præsertim si ad nobiles solum familias lex ejusmodi pertineat. Ubi enim filius et honestam educationem et subsidia ad commode vivendum necessaria a parentibus obtineat, nullo jure naturali potest eosdem cogere ut per æquales partes paterna prædia inter omnes fratres dividantur. Pater enim est suorum prædiorum dominus, eaque potest uni familiæ capiti per successivas generationes, ad majus tum familiæ tum rei publicæ bonum omnia indivisa legare.

Coroll. 3. — Ad supremam auctoritatem infirmandam simul et ad populi universi duces, patronos, tutores potentes ac beneficos evertendos indefinitam fundorum multiplicationem omnes reipublicæ perturbatores semper maximo studio promoverunt, atque indivisam prædiorum proprietatem uni familiæ capiti constanter servatam clamarunt naturali hominum æqualitati, domesticæque ac civili justitiæ prorsus adversari. Hunc seditiosorum hominum errorem hactenus refutavimus.

At audaciores illi sunt, neque scelestum ac violentum quidquam est quo non maxime uti velint, si modo eorum rapacitati ac perfidiæ favere videatur. Itaque non semel iidem *legem agrariam* proposuerunt, qua, veteribus agrorum possessoribus spoliatis, inter omnes cives prædia omnia ex æquo dividantur : sic enim dictitant versuti latrones æquales omnibus et singulis civibus fortunas tandem aliquando fore.

Atqui lex ejusmodi et iniqua per se omnino est, et ad finem quem intendit, plane inutilis. Nam 1° injustissimum est legitimos possessores propriis eorum bonis spoliare. 2° Legis agrariæ applicatio generalis postulatur ab iis rei publicæ vastatoribus ut fortunarum æqualitas inter cives constet. Jam æqualitas ista nequit consistere, nisi individualis etiam adsit apud omnes æqualitas ingenii, virium, solertiæ, industriæ, aliarumque hujus generis conditionum. Est autem evidens maximam apud omnes homines esse naturaliter eorum subsidiorum inæqualitatem. Ergo, etc.

ARTICULUS II.

De politicarum divitiarum mobilium natura et incrementis.

1083. Notandum 1. — Antequam officium quo politica auctoritas tenetur sociales divitias conservare et augere, statuamus, et

media in hunc finem adhibenda indicemus, explicandum prius est universim quidnam hæ divitiæ sint, unde oriantur, quibusnam eæ subsidiis ali possint.

Divitem illum solemus appellare, qui res alicujus *valoris* possidet cum actuali earum dominio, ita ut pro suo lubito de illis disponere possit. Jam rei cujusque valor duplici potissimum e fonte manat (931), ex *utilitate* quam res affert, atque ex ejusdem rei obtinendæ *difficultate*. Itaque *dives* ille est qui res utiles multas obtentuque difficiles cum libero dominio possidet.

Utiles autem hæ res requiruntur sine dubio ab iis omnibus qui indigent fine ad quem res illæ utiles spectant, ita ut quo universalius et constantius finis iste est necessarius, et quo major ubique et semper est raritas mediorum, sine quibus ille finis haberi nequit, eo fiat acrior talium mediorum perquisitio, eo promptius et largius aliæ res impendantur ad hæc media obtinenda. Sic alimenta semper et omni homini tam sunt necessaria quam ipsa vita : unde fit, ut, annonæ charitate urgente, alimenta quædam, etsi vilissima, ingenti tamen pretio coemantur.

Igitur illa perquisitio et hæc impensa sunt bina indicia valoris quem certo in loco determinata quædam res habet. Scilicet, si in certa societate et certo tempore quisquis paratus sit ad eam sibi rem comparandam tali determinata impensa, ea res in illa societate atque illo tempore talem valorem habebit eo pretio determinatum.

Quapropter uniuscujusque rei valor, etsi causam aliquam habeat positivam quæ est ejus *utilitas*, complete nihilominus spectatus, est terminus relativus et variabilis. Utilitas namque ista potest crescere ac decrescere pro diversitate temporum, locorum, mediorum quæ in ejus rei locum sufficiantur. Ergo potest unusquisque civis, potest societas quævis rerum valorem augere; potest enim illas utiliores efficere. Potest itidem suas augere divitias, rerum istarum utilium numerum augendo.

At vero augmentum hoc, tum quoad rerum utilium numerum, tum quoad utilitatis gradum certis finibus, quos mundi physici natura præfixit, continetur : qui fines in diversis regionibus diversi sunt. Hinc autem fit ut inter diversos populos perquisitionum et mercium permutatio quædam reciproca statuatur, et certus quidam mercibus quibusque valor determinetur : quod quidem *commercium internationale* statum populorum œconomicum prorsus mutat, sicut civile commercium mutat rerum va-

lorem apud privatum hominem, adeoque ejusdem statum œconomicum.

Hæc igitur duo perspecta sunt, 1° quid mobiles divitiæ sint; 2° posse et privatum hominem et societatem quamlibet suas divitias augere.

NOTANDUM 2. — De variis modis divitiarum augendarum breviter jam dicendum est. Manifestum est non posse ab homine divitias gigni novam producendo materiam, sed solum præexistenti materiæ formam utiliorem inducendo : nequit autem hæc utilitas in materiam inertem induci, nisi ab aliqua vi. Ergo bina sunt divitiarum prima elementa, *materies* et *vis*.

Jamvero vis est vel necessaria vel libera; et libera vis est præterea in hominibus vel spiritualis vel materialis; duplici namque vi constat homo, mente nimirum et corpore. Igitur potest homo in materiam agere vel mente sola, vel mente simul et corpore; et uterque iste agendi modus necessarius est ad divitias producendas. Mente sola in materiam homo agit, quum materiæ vires ac proprietates mathematice perscrutatur. Mente simul et corpore agit in materiam, ubi physicas materiæ virtutes pertentat et cognoscit, quod scientiæ physicæ proprium est; atque ubi notitias sic comparatas ad facta et objecta quædam particularia applicat, quæritando quanam demum ratione utilitas materialis inde possit educi, quod ad *industriam* sive *industrialia opera* pertinet; et denique ubi hanc applicationem corporea vi perficit, quod *artis* sive *artificii* est. Itaque *scientia*, *industria* et *ars*, videlicet principium abstractum, applicatio specifica et operatio individualis, sunt tres gradus per quos homo ad divitias producendas potest operari.

In vi autem per tres istos gradus adhibenda potest materialis utilitas triplici ratione spectari. Nam materiæ, quas nobis natura ipsa præbet, inutiles sane nobis essent, 1° nisi a naturæ sinu extraherentur; 2° nisi accommodate ad nostros usus pararentur; 3° nisi illuc comportarentur, ubi nobis profuturæ sint. Triplex igitur ratio est humanæ vis adhibendæ ad res efficiendas utiliores :

1° Materiæ primæ *collectio;* quæ quidem complectitur non solum agrorum culturam, sed etiam venationem, piscationem, pastoralem artem, metallorum extractionem, etc., et vocari potest *prima productio*.

2° Materiæ collectæ modificatio ad illam utiliorem reddendam; quæ modificatio potest vel in formam solum vel in substantiam

ipsam materiæ, vel in utramque cadere; et solet appellari *manufactura*, a nobis autem *productio formationis* dicetur.

3° Mercium comportatio ad eos, qui illis indigeant; et *productio comportationis* seu *commeatus* vocari potest.

Jam in singulis his tribus industriæ modis potest homo vires naturæ necessarias, idest non liberas, adhibere, atque ita vires suas nativas duplicare, quin imo *centuplicare*. Vires autem istæ necessariæ adhiberi possunt vel in eorum statu nativo, vel in statu ab humana industria præparato, sive artefacto : priores illæ vocari possunt vires *pure naturales*; posteriores autem vires *artificiales*, seu *machinæ*. Quo peritior homo evadet in his viribus necessariis adhibendis, eo minor summa personalium illius virium impendenda ipsi erit ad æqualem productionem obtinendam, vel eo majorem productionem obtinebit per æqualem personalium virium conatum. Sic, *v. g.*, si vires homo et sibi proprias et naturæ necessariæ in statu nativo adhibeat ad panem ex frumento obtinendum, frumenti grana inter duos lapides frangendo, panem sub cinere coquendo, vix quantum sufficit ad suam familiam alendam quisque multo labore efficiet. At, si machinis ad frumentum molendum et fornace ad panem coquendum utatur, vel unus operarius quantum satis est ad integrum pagum alendum facile suppeditabit.

Denique vires istæ, vel nativæ vel artificiales, adhibentur in materias, idest in substantias quasdam *transmutabiles*. Igitur hæ substantiæ sunt prærequisitum, quod vi productrici adesse debet, antequam hæc agere incipiat. Quare apud hominem *productorem* hæ materiæ verum quemdam valorem habent, quia non solum veræ utilitatis, sed absolutæ apud illum necessitatis sunt. Earum autem utilitas tota consistit in opere virium productricium passive suscipiendo.

Præterea, vis quæque productrix dependet a certis materialibus substantiis in quibus illa et primum per industriam indita est, et deinceps usu ipso paulatim consumitur atque extinguitur; atque idcirco certa prærequirit constructionis et conservationis media, quæ proprium sibi valorem quoque habent, quia materialem certam utilitatem secum afferunt. Hæ summæ seu valores ad productionem prærequisiti ad eamque destinati, solent appellari *caput* seu *sors* (*le capital*). Quare capitalis hæc summa est radix materialis sive iners productionis : super illam vis operatur, vel eam tanquam alimentum virium aut humanarum aut

necessariarum consumendo, vel eam ad novam aliam utilitatem redigendo.

Jam hæc nova utilitas e capitali summa sic adhibita proveniens potest capitalem ipsam summam efficere vel majorem vel minorem illa quæ primum adhibita est, quum productio incepta est, vel eidem æqualem relinquere : scilicet poterit productor vel emolumentum vel detrimentum ex opere suscepto in ultima summa capere, vel tantummodo sumptus suos ex æquo compensare ; adeoque poterit opus inceptum vel persequi vel etiam augere, aut æris alieni dissolvendi impotentiam suam protestari denique cogetur.

Quod autem productor vel opus inceptum augere possit, vel saltem suas impensas ex æquo compenset, hæc duo pendent ab iis inveniendis qui merces productas coëmant, nimirum a *venditione*. Etenim qui merces illas emit, eas alia productione, quam venditori retribuit, utique pensat. Ergo venditio certæ cujusdam productionis pendet ab alia productione æquivalente.

Postremum, ut venditio compenset productori ex æquo suos omnes sumptus, debet illi reddere non solum capitales summas, sed etiam omnia quæ in viribus vel humanis vel necessariis alendis insumpsit. Venditarum igitur mercium valor est necessario compensatio tum capitalis summæ tum virium insumptarum ad novam illam utilitatem illis præbendam : quæ compensatio si desit, productio exitium productoris gignet, adeoque productio ipsa deficiet ; quia nemo est qui producere quidquam pro aliis velit, nisi lucrum inde aliquod percepturus sit.

1084. Pos. 529ª. — Potestatis exsecutivæ officium est suas divitias cum justis proportionibus augere.

Prob. — Evidens est divitias esse partem præcipuam illius vis quam in societate gubernanda exercere potestas exsecutiva debet. Ad potestatem namque exsecutivam pertinet societatem non solum per jus gubernare, sed etiam cogere per vim. Jamvero hæc vis socialis ex hominum multitudine eorumque organica dispositione resultat : hominibus autem istis, quibus exsecutiva potestas utitur, debet eadem suppeditare omnia quæ illis ad congruum victum, vestitum, cultumque necessaria sunt. Hominibus præterea illis, per quos hæc multitudo organice disponitur et continetur, stipendia debentur. Quæ stipendia, non secus ac media ad victum, vestitum, cultumque multitudinis illius necessaria, sunt utilitates quædam materiales, scilicet divitiæ, ut ex n. 1083 constat. Ergo

tota vis potestatis exsecutivæ nititur denique divitiis, quas illa in promptu habeat. Ergo potestas exsecutiva, sicut suas vires debet ad sociale bonum semper efficacius promovendum augere, ita etiam suas divitias, salva justitia, augere debet.

1085. Pos. 530ª. — Productio mercium et consumptio ad perfectum æquilibrium necessario tendunt in societate solitaria, atque in tali solummodo societate ad æquilibrium tendere possunt.

Notandum. — *Solitariam* vocamus hic societatem, cujus nullum omnino sit cum alia societate commercium. *Stationariam* vero dicimus illam, quæ nullos omnino in artibus colendis progressus habeat.

Prob. 1ª pars. — In societate solitaria merces productæ non coëmuntur nisi ab iis qui illas in eadem societate consumpturi sunt : ac propterea, si nemo ibi certo quodam productionis genere indigeat, illud nemo exposcet : si autem nemo illud quærat, nemo etiam illud producet, ut nuper notando 2° animadvertimus. E contrario, si magna sit mercis alicujus necessitas, emptores parati erunt ad illam magno quoque pretio coëmendam ; et magnum illius pretium multos productores excitabit. At vero genus hoc mercis hac ratione multiplicabitur ultra quam sit necesse, et pauci præ illius copia emptores evadent. Quare merx illa vilescet eo usque, ut ejus pretium compenset productionis sumptus, et nihil amplius. Tum vero decrescet productio, sublato magni lucri incitamento. Sed tamen ea præsenti necessitati semper par erit. Si enim illius productio magis languesceret, ejusdem urgente necessitate, pretium illius crescere inciperet. Neque tamen illius pretium vilescet ultra quam diximus. Quum enim de merce necessaria sit sermo, certe illa semper emetur pretio ad sumptus omnes pensandos sufficiente. Aderit ergo tunc inter productionem et consumptionem æquilibrium. Ergo, etc.

Prob. 2ª pars. — In societate quæ commercia cum aliis societatibus habeat, erunt semper qui merces apud illam productas alio exportent, alibique divendant, si quidem hæ merces melioris aut saltem æqualis conditionis sint, quam illæ quæ a propinquis populis producuntur. Mercium autem apud societatem quamque productarum qualitas pendet evidenter a progressu quam illa in artibus colendis habuerit. Ergo æquilibrium inter productionem et consumptionem quæ in eadem societate fiat, nequit adesse nisi apud eas societates quæ vel prorsus solitariæ vel stationariæ in artium cultura sint.

1086. Coroll. — Valoris et pretii pro quavis merce stabilitas haberi in certa societate nequit, nisi quatenus et quamdiu perfectum illud æquilibrium societatis solitariæ et stationariæ perseverat. At vero hoc æquilibrium diu perdurare non potest, quia revera societas quælibet perpetuum et multiplex commercium cum propinquis societatibus habet, ac perpetuas cognitionum et industriæ accessiones naturaliter accipit, et in necessaria dependentia ab ordinis naturalis vicissitudinibus versatur. Igitur etiam valores et pretia mercium quarumcunque perpetuis obnoxia sunt mutationibus, quas quidem ad suum emolumentum industria productorum convertit, modo hanc modo illam productionem suscipiens, prout hujus vel illius major urgere necessitas videatur.

1087. Pos. 531ª. — Essentiale productionis excitamentum est mercium productarum venditio.

Prob. Essentiale atque universale principium quo ad operandum in scientiarum atque artium cultura homines incitantur, est necessaria illa tendentia qua omnes impelluntur ad quæritanda objecta suis cujusque necessitatibus accommodata. Atqui impossibile est cuique homini per se solum producere omnia, quæ illius necessitatibus veris aut falsis satisfaciant. Quisque igitur hoc sentit, se non posse omnibus, quibus indiget, productionibus frui, nisi et ipse alias res producat, quarum permutatione merces sibi necessarias obtineat. Ergo idem principium quo homines excitantur, ut suis necessitatibus satisfaciant, illos eadem ratione impellit, ut quantum rerum suis ipsi viribus producere possunt, solerter producant, cum aliis deinde rebus sibi necessariis permutandum, idest *vendendum*. Ergo, etc.

1088. Pos. 532ª. — Ad proportionalem mercium permutationem, seu venditionem, medium necessarium est pecunia.

Prob. — Ut suis quique necessitatibus homines satisfaciant, necesse est eos productiones suas cum aliis productionibus permutare, ut nuper aiebamus. Atqui 1° in reciproca ista rerum productarum permutatione sæpe accidere debet, ut partes quædam productionum parvissimæ permutandæ sint; et tunc difficillimum esset proportiones æquivalentiæ in rebus permutandis determinare atque invicem retribuere.

2° In quacunque rerum permutandarum quantitate difficillimum est statuere quid et quantum unius mercis cui et quanto aliarum mercium æquivaleat. Quum enim rei cujusque valor ab ejus potissimum utilitate ac necessitate pendeat, et necessitas ista

atque utilitas diversa plerumque pro singulis hominibus sit, impossibile est universalem et expeditam æquivalentiæ illius determinandæ rationem invenire.

Ergo statuendum est medium aliquod quo valor cujusque rei exprimatur universali et absoluta quadam formula quæ ab actuali æstimatione certæ quantitatis alius mercis independens sit : hoc autem tale medium est pecunia seu moneta, de qua jam nonnihil diximus libro 8°.

1089. Pos. 533ª. — Sociales divitiæ proprie loquendo non in pecuniæ formaliter dictæ, sed in rerum per se utilium copia consistunt.

Prob. — Utilitas pecuniæ formaliter spectatæ, ut constat ex nn. 1084 et 1088, tota consistit in eo quod sit mercium *vehiculum* quoddam percommodum, adeoque maximam commerciis facilitatem afferat. Est enim pecunia merx quædam, cujus facilis est divisio, facillima translatio. Est ea quidem merx proprio et intrinseco valore prædita, quamvis hic valor sit mutabilis non secus ac valor aliarum quarumcunque mercium. At hic valor pecuniæ intrinsecus ad illam, non formaliter, sed materialiter consideratam pertinet. Pecuniæ namque formaliter dictæ natura tota est in rerum valore tantum repræsentando et transferendo (928); ad quam rem nihil attinet quod pecunia ex hac potius quam ex illa materia cudatur. Quapropter pecuniam nemo prudens propter se ipsam quærit, sed solum propter illas res ad corpus alendum et colendum utiles, quæ pecunia comparantur.

Sic, *v. g.*, ubi vestem quis emit, pecunia quam pro veste solvit, non est illud quod vestiarius vendendo expetit; ille etenim vitæ suæ sustentamenta potissimum labore suo quotidiano exquirit. At, quoniam probe novit, pecunia quam pro veste accipit, facillime et semper se posse omnia quæ ad vitam sustentandam et excolendam pertinent, sibi comparare, idcirco pecuniam libenter acceptat. Igitur emptor vestiario alimenta per pecuniam retribuit pro veste : et in hac mercium permutatione pecunia nihil aliud fuit quam intermedium quoddam et vehiculum. Jam vero emptor ille vestiario non poterat alimenta retribuere, nisi et ipse productionem suam aliquam vendidisset.

In his aliisque infinitis permutationibus, quibus materialia apud homines negotia geruntur omnia, perspicuum est, mercium ipsarum utilitatem esse illud unum quod homines, pecuniam dando vel accipiendo, quærunt. Commodum vero facilitatis et

securitatis in pecunia secum transferenda et mercibus quibuscunque statim per illam obtinendis est sola causa ob quam pecunia libenter ab omnibus acceptatur.

Ergo pecunia proprie dicta, scilicet quatenus rerum valores commodius repræsentat, nullam per se ipsa absolutam utilitatem habet, sed eatenus solum est utilis, quatenus per illam aliæ res per se utiles obtineri possunt. Atqui divitiæ in rerum per se utilium copia consistunt (1084, notando 1). Ergo, etc.

1090. Coroll. — Ex iis quæ hactenus in hoc articulo disseruimus, hæc colliguntur :

1° Divitiæ sunt proprie res materiales quæcunque ad vitam hominis sustentandam, ornandam et expoliendam utiles.

2° Divitias augere est novas ejusmodi res utiles producere.

3° Res nulla utilis ab hominibus producitur, nisi spe obtinendi ex adverso alias res ad victum cultumque utiles.

4° Hæc compensatio quam pro rebus a se productis aut possessis homines, dum eas alteri cedunt, semper exposcunt, non est proprie pecunia, sed sunt aliæ res ad victum cultumque per se utiles, ab aliis hominibus productæ.

5° Quare pecunia non divitiæ, sed divitiarum vehiculum tantummodo est.

6° Ad certæ alicujus utilitatis productionem promovendam necesse est aliam quoque productionem, qua prior illa commode compensari possit, excitare.

7° Quo magis multiplicantur in vario rerum genere productores, eo facilior cujusque mercis venditio fit : constat id ex n. 6° hujus corollarii.

8° Ergo singuli in quavis arte productores ita sunt necessario constituti, ut eorum quoque intersit prosper omnium aliarum artium et productionum successus.

9° Mercium externarum importatio commodum vicissim mercibus nationalibus exitum recludit ; ac proinde ad commune bonum in omni societate pertinet externarum productionum vectoribus liberum accessum et commoda commercia præbere.

10° E contrario, pura mercium consumptio, nimirum ad luxum tantummodo facta, cui nulla respondeat reproductio qua illa compensari possit, res est non minus integris nationibus, quam singulis privatis perniciosa.

11° Caritas mercium divitias affert iis privatis qui copiam illarum possident ; at nequaquam societatis universæ divitias auget.

Universæ cujusque nationis divitiæ tunc solum crescunt, quum illa facile potest obtinere omnia quæ illius necessitatibus satisfaciant (1084). Ergo dives quæpiam natio est non quidem quum merces cariore pretio, sed quum viliore pretio constant.

Notandum tamen est, caritatem ac vilitatem mercium non esse metiendam solummodo pecuniæ summa ad singulas illas emendas necessaria, sed proportione permutationum quæ inter merces quascunque fieri possint, nimirum relativo omnium inter se mercium pretio. In contrarium, quando fundi productivi magno pretio stant, id argumento est magnam ab iis utilitatem produci; quæ ratio est cur valde expetantur et magno pretio emantur : quare dives tunc ea natio judicanda est. Crescentibus in tali societate fundorum productionibus, singulæ minore pretio veneunt (1084, not. 2). Viliore pretio mercibus omnibus veneuntibus, facilius cives omnes possunt illis frui, et socialis vitæ commoditas apud populum omnem crescit. Hac socialis vitæ commoditate crescente, omnes etiam utilitates, quæ illam comitari solent, pariter augentur, facultas videlicet colendæ mentis, honestatis sectandæ, virium omnium humanarum evolvendarum, ac civilis denique libertas. Etenim in quacunque associatione sicut indigentia est fons dependentiæ (646), ita independentiæ fons sunt divitiæ.

12° Quæ de divitiarum productione diximus, ostendunt qua ratione in corpus sociale naturaliter illæ distribuantur. Singuli nempe emptores spectari possunt tanquam totidem consumptores respectu productorum qui materiæ primum valorem quemdam tribuerunt, capitales suas summas in id conferendo. Emptor igitur quisque productori omnes sumptus ab illo jam factos retribuit. At, si mercem hic emat, non ut eam ipse consumat, sed ut novam illi utilitatem, novum valorem tribuat, fiet ipse productor respectu aliorum qui illius merces empturi sunt; et suas ille capitales summas anticipat, quas quidem cum laboribus ab illo toleratis futurus emptor congruo pretio compensabit. Atque ita successive, novo quoque emptore sumptus a præcedente productore factos retribuente, aliasque impensas anticipante, unusquisque parva quadam summa ultimum valorem mercis augebit, atque ultimus emptor pretium solvet quod jam in omnes illius mercis productores successivos distributum est : qui quidem omnes lucrum quoddam fecerunt, suas capitales summas ad eam mercem producendam adhibendo, easque suis laboribus atque industria fecundando.

13° Hinc intelligitur quo pacto itinerum celeritas divitias sociales augeat. Etenim, si navis ab America merces vehentis iter, non duobus mensibus, sed uno mense perficiatur, merce sua divendita, dominus navis et suam capitalem summam recuperabit et suorum laborum industriæque fructum statim percipiet, atque aliud iter suscipere iterum poterit. Quare multo breviore tempore mercem ad ultimam utilitatis perfectionem adducet, adeoque omnia utilitati productæ respondentia emolumenta citius percipiet, et citius poterit alias productiones quæ nova eidem lucra allatura sint, suscipere. Itaque itinerum celeritas auget divitias, ad minimos terminos reducendo tempus intra quod capitalis summa et labores ad productionem aliquam anticipantur, scilicet celerius primam materiam perducendo ad ultimum utilitatis gradum.

14° Quoniam divitiæ nihil sunt aliud quam utilitas (1084), utilitas autem est suapte natura medium, non finis, evidens est finem esse aliquem ad quem divitiæ naturaliter ordinantur; qui finis, ut superius notavimus (1084, not. 2), est eas consumere, nimirum eas adhibere ut nostris necessitatibus satisfaciamus. At vero, si omnes suas divitias in suos usus quisque penitus consumeret, omnis ulterior productio necessario cessaret; impossibile namque est novas divitias producere sine capitalibus summis in eum finem collatis. Ergo, ut divitiarum reproductio et conservatio in tuto ponatur, opus est ut singuli cives suas fortunas in binas partes dividant, quarum alteram in suos usûs consumant, alteram ad divitias reproducendas servent. Igitur divitiarum consumptio debet pro uno quoque homine dividi in *improductivam* et *productivam.*

Ab hac lege excipiuntur aliqui solum homines, miseris quibusdam operibus sive artibus addicti, quorum productio a viribus personalibus tota pendet. Apud quos homines duæ species illæ consumptionis in unicam plerunque confundi solent, quia summas suas capitales, quæ in viribus personalibus consistunt, ii non aliter instaurant, quam suis necessitatibus satisfaciendo. Sic bajulus sese nutriendo suas reficit vires, quæ illi unicæ capitales fortunæ sunt. Quamobrem hoc evidens est, tanto amplius societatis cujusque divitias crescere, quanto illæ minus improductive consumuntur, quanto plus earum reproductive adhibentur.

Quæ toto hoc articulo explicavimus, continent summa principia illius scientiæ quæ *Œconomia Politica* vocatur.

ARTICULUS III.

De tributorum impositione.

1091. Notandum. — Potestas exsecutiva, quoniam, ut superius (1085) ostendimus, et divitiis materialibus indiget, et has divitias debet, quantum potest, intra justæ proportionis fines augere, oportet conetur et ipsa multum producere et parum consumere. Morales igitur inquiramus leges quæ ab exsecutiva potestate, suas divitias et producendo et consumendo, observandæ sunt. Quæ leges ut commodius statuantur, inspiciendum prius est quo pacto potestas exsecutiva suas opes et producat et consumat.

1092. Pos. 534. — Potestas exsecutiva habet verum et proprium jus tributa subditis imponendi.

Prob. — Qui stricto aliquo tenetur officio, habet etim jus ad media sine quibus satisfacere illi officio non potest. Atqui potestati exsecutivæ officium incumbit societatis gubernandæ, rebelles comprimendi, crimina quæcunque impediendi; quæ quidem fieri sine magnis opibus nequeunt : opes autem istas potestas exsecutiva aliunde trahere quam ex tributis, quæ subditis imponat, plane non potest. Etenim ea vel nullas vel longissime insufficientes capitales summas per se possidet. Illa namque nihil est aliud quam socialis auctoritas spectata quatenus exsequitur quæ ad commune bonum facienda sunt. Jam socialis auctoritas sicut non alias habet vires, quam sociorum vires simul conjunctas (841), ita non alias divitias, quam quæ a sociis contribuantur, possidet. Ergo, etc.

1093. Coroll. — Duobus modis potest socialis auctoritas exsecutiva opes sibi necessarias invenire, scilicet vel fundos stabiles e territorio sociali, vel partem divitiarum mobilium in societate ipsa circumeuntium sibi vindicando. Et prior quidem illa ratio socialium redituum haberi solet in societatibus nascentibus, quæ et numero valde limitatæ, et organica dispositione simplices, et sociali operatione spontaneæ sunt. Itaque in ejusmodi societatibus unus aut alter a secretis principi adjunctus ad totam rem publicam gerendam sufficit. Patrimoniales autem principis fortunæ satis etiam sunt ad ejus omnes magistratus exercitumque alendos; et principis ipsius maxime interest, ut societas ab illo creata conservetur. Quare libenter ille suas privatas insumit opes

ad commune societatis bonum. At naturalis evolutio societatis, sicuti numerum sociorum et publicorum munerum multiplicitatem auget, ita minuit primitivam impulsionem illam qua gubernantes ad sociale bonum quærendum movebantur. Itaque bonum individuale principis aliorumque gubernantium a publico bono paulatim distinguitur ita ut ii jam nequeant vel nolint suas fortunas ad commune bonum impendere. Tunc vero ut potestas exsecutiva necessariis subsidiis instructa sit, petenda illa sunt ex societatis gubernatæ opibus, quæ nihil sunt aliud quam divitiarum individualium summa. Quare amplior quæque societas ad tributa singulis sociis imposita confugiat demum oportet. Jam quibus limitibus contineatur hoc jus tributorum subditis imponendorum, cujus practica applicatio multis implicatur difficultatibus, inspiciendum est.

1094. Pos. 535ª. Lex 1ª. — Tributa subditis imponere non licet, nisi ad commune bonum necessaria et ad communem necessitatem proportionata.

Prob. — 1°. Jus tributa imponendi oritur ex divitiarum necessitate ad congruam vim et efficaciam potestati exsecutivæ tribuendam, et ex necessitate potestatis exsecutivæ et ipsius exsecutionis ad sociale bonum efficiendum. Ergo, eatenus solum tributa licet imponere, quatenus illa ad societatis bonum efficiendum necessaria sunt.

2° Jus tributa imponendi habet potestas exsecutiva ex obligatione qua subditi quique tenentur cooperari ad commune bonum. Ergo, quando subditos hæc obligatio non adstringit, nullum auctoritati ad tributa imponenda jus est. Atqui subditi non tenentur de suis fortunis ad commune bonum contribuere, nisi quatenus id est necessarium. Nemo enim potest parte quapiam suorum bonorum, quæ legitime possidet, spoliari, nisi ob necessitatem aliquam jure privato fortiorem. Igitur quod præterea spectat ad commoditatem et ornatum, possunt quidem ultro privati de sua pecunia illud contribuere, ubi nulla urgentiora officia id vetent; sed nequeunt ad illud tribuendum obligari. Ergo, quoties de necessariis agitur, potest princeps tributa determinare; at quando agitur de iis quæ ad commodum et ornatum attinent, ejusmodi tributa ei tantummodo subditorum parti imponenda sunt, in quorum utilitatem illa cedere debeant, et eatenus solum imponi possunt, quatenus hæc ipsa subditorum pars libere consentiat. Necessarium autem censendum est societati non secus atque in-

dividuo non solum illud sine quo illa existere non posset, sed etiam illud sine quo ægre nec satis congruenter ad suam dignitatem illa existeret.

3° Multa omnis generis damna societati ex immodicorum tributorum impositione proveniunt. 1. Damnum morale, quia multis criminibus ad tributa vitanda patratis occasionem præbet. 2. Damnum sociale, quia populum contra fiscum ejusque ministros excitat, et horrorem quorumdam delictorum, atque honoris socialis sensum in permultis civibus indigentia pressis extinguit. 3. Damnum materiale, quia ubi tributa nimis gravia sint, minuitur mercium consumptio; hac autem consumptione decrescente, minuitur redditus tributorum : quæ quidem res et privatis, qui utilitatibus quibusdam inviti abstinere coguntur, et ipsi rei publicæ, quæ reddituum sibi necessariorum parte privatur, detrimentum affert. Ergo, etc.

1095. Pos. 536ª. Lex 2ª. — Tributa debent proportionate imponi tum ad cujusque subditi facultates, tum ad detrimentum ex iis cuique subdito proveniens.

Prop. 1ª pars. — Tributa a subditis solvenda sunt socialis quædam cooperatio ad commune bonum, ut constat ex n. 1094. Ergo non secundum commutativæ, sed secundum distributivæ justitiæ proportiones illa imponenda sunt. Etenim cooperatio ista socialis necessario supponit omnes et singulos socios sua bona in commune contulisse, ut per illa ad communem felicitatem conspirent (427). Ergo omnia cujusque socii bona debent ad finem socialem procurandum cooperari. Atqui, nisi quisque socius tributa solvat proportionate ad quantitatem suarum fortunarum, jam non omnia ejus bona ad finem socialem procurandum concurrent, sed solum certa quædam illorum pars. Nam, si ille qui possidet centum, tantum solvat quantum qui solum decem possidet, jam ille ditior non cooperatur ad finem socialem per omnia sua bona, sed solum per quamdam eorum partem æquivalentem bonis alterius qui solum decem possidet : nimirum non cooperatur socialiter neque juxta leges justitiæ socialis. Ut enim quis socialiter cooperetur, debet cooperari tanquam is qui omnia sua bona in commune contulerit, ut nuper diximus; et justitia socialis postulat ut qui sociali tutela fruitur pro bonis suis omnibus, ad societatis prosperum statum per suas fortunas omnes cooperetur; quod non fieret profecto ab illo qui, ampliores fortunas possidens, æqualia solveret tributa cum minus

locuplete. Ergo tributa cuique socio proportionate ad ejus fortunas imponenda sunt.

PROB. 2ª PARS. — In priore hujus positionis parte probanda ostendimus cuique socio tributa imponenda esse proportionate ad ejus facultates. Atqui ad cujusque facultatem pertinet non solum quantum quisque possideat, sed etiam quantum detrimenti ex certa quadam suarum facultatum contributione capiat. Majus videlicet detrimentum est ei qui centum scutatorum solummodo redditus possideat, unius scutati jactura, quam sit decem scutatorum amissio ei qui mille scutatorum annuos redditus percipiat. Ergo in tributis cuique socio imponendis ratio quoque detrimenti, quod cuique exinde proveniat, habenda est.

1096. COROLL. 1. — Iniquissima esse quandoque possunt privilegia quædam et immunitates, quæ, relate ad tributa solvenda, gratuito prorsus nonnullis concedantur, quæque solent pro regiæ liberalitatis et beneficentiæ testimoniis haberi. Etenim, si ejusmodi immunitates arbitrarie concessæ publicos redditus solum diminuerent, damnandæ tamen sine dubio essent, tanquam illæ quæ damnum societati afferant. At plerumque majore quadam iniquitate ejusmodi immunitates laborant. Quum enim iidem nihilominus redditus publico ærario destinentur, miseri plebeii, victum sibi suisque quotidiano labore lucrantes supplere coguntur, quod ditiores illi contribuere deberent, et gratuito illo privilegio fulti minime contribuunt.

COROLL. 2. — Ex altera pos. 536ª parte evidenter consequitur, injustam esse illam tributorum impositionem quæ secundum simplicem bonorum quæ quisque possideat, proportionem fiat. Etenim societas debet cujusque socii bonum procurare secundum gravitatem juris, quod quisque habet : (844) jus autem pauperis ad suam suæque familiæ sustentationem multo gravius est quam jus divitis ad commoda superflua ; et quo magis sunt superfluæ divitiæ, quibus ille fruitur, eo minus grave est jus, quod ad suos redditus sibi retinendos habet. Ergo, ut tributa sint justa, ita imponenda sunt, ut ratione tributi pro certo pauperum ordine eadem constanter manente, ratio tributi a ditioribus solvendi eo magis augeatur, quo major illis est divitiarum superfluarum summa : quæ quidem tributi imponendi ratio, impositio *progressiva* solet appellari.

1097. POS. 537ª. LEX 3ª. — Tributa directa iis tantummodo imponenda sunt, quibus illa directe utilia sunt futura.

Prob. — Utilitas quæpiam duplici modo potest societati afferri, directe et indirecte. Etenim, quum societas sit moraliter una, quod directe in commodum certorum individuorum fit, illud simul ad communem utilitatem indirecte redundat; et, e contrario, quidquid directe ad communem utilitatem fit, ad singulorum etiam individuorum commodum indirecte refluit. At magno tamen discrimine binæ istæ agendi rationes separantur. Nam bonum quo directe communitas afficitur, in omnia et singula illius membra æquis proportionibus sua sponte distribuitur: at bonum quod certis individuis directe affertur, in alia individua proportionibus magis ac magis decrescentibus pervenit. Atqui ordo justitiæ postulat, ut tributa iis potissimum imponantur, quibus præsertim utilia futura sint, servata, quantum fieri potest, æqua proportione inter onus cuique impositum atque utilitatem ab illo percipiendam. Ergo, etc.

1098. Pos. 538a. Lex 4a. — Tributa ita imponenda sunt, ut ea nunquam summas capitales sed solos redditus afficiant.

Prob. — Tributa ad sumptus improductivos (1093) suapte natura conferuntur. Ergo, si illa summas capitales afficiant, sociales divitiæ in sumptus improductivos abibunt, adeoque has divitias paulatim imminui necesse erit, quod potestati executivæ diligenter cavendum esse jam vidimus (1091). Ergo etc.

1099. Coroll. — Facile multi hic vana veritatis specie decipiuntur, existimantes nullum societati ex tributis quantiscunque damnum provenire, modo hæc apud eamdem societatem impendantur. Nam potestas exsecutiva, inquiunt illi, per multiplices suos sumptus altera manu reddit populo, quod altera manu ab illo per tributa accepit. Attamen cum veritate id minime consentit. Nam quod altera manu potestas exsecutiva impendit, totum abit in merces quas illa improductive consumit. Ergo quod altera manu auctoritas percepit, est onus subditis incumbens, quod nulla ferme materiali utilitate pensatur, sed solum eo bono morali, quod in bona rei publicæ administratione consistit. Ergo, materialiter rem spectando, tributa prorsus consumuntur ac pereunt; ac propterea, si ex capitalibus summis educerentur, capitales ipsæ summæ, in quibus et sociales et privatæ opes omnes positæ sunt, tandem deficerent.

1100. Pos. 539a. Lex. 5a. — Tributorum collectio facilis et quam minime sumptuosa esse debet.

Prob. — Unicus tributorum finis est auctoritati gubernanti

suppeditare opes ad bonum publicum exsequendum necessarias. Ergo ita debet eorum collectio disponi ut ad potestatem executivam integra, quoad ejus fieri possit, perveniant, quin ulla eorum pars per viam deperdatur. Atqui sumptus in eorum collectione faciendi eorum partem absorbent. Ergo maxime curandum est, ut hi sumptus quam minimi evadant.

Jamvero tributorum collectio eo minus sumptuosa erit, quo erit facilior. Ubi enim subditi sæpe tributorum perceptoribus reluctantur, media coactiva adhibenda erunt. Hæc autem coactio duplex auctoritati gubernanti damnum afferet. 1° Sumptus majores ad tributa percipienda erunt necessarii, qui omnes denique in subditos recident, et sociales divitias, ut nuper vidimus, magis ac magis imminuent. 2° Odiosam subditis efficiunt auctoritatem, quæ vi coactiva et pœnarum inflictione ad tributa invitis extorquenda uti necesse haberet. Ergo, etc.

1101. Pos. 540ª. **Lex 6ª.** — Tributa debent publicæ potissimum honestati, cæterisque præterea bonis socialibus, favere.

Prob. 1ª pars. — Primum et maxime necessarium ex bonis omnibus socialibus est honestas (484). Ergo nullum tributum, nullum divitiarum genus, quod publicæ honestati directe repugnet, licitum esse potest. E contrario, quo efficacius tributa ad honestatem promovendam tendunt, eo laudabilior eorum impositio erit. Itaque vectigalia, quæ luxui aliisque interdum pejoribus vitiis imponantur, semper præferenda sunt, modo ne illam tacitam quamdam eorum approbationem continere videantur, vel nimiam tolerantiam; moderata namque tolerantia non raro apud publicam auctoritatem est necessaria prudentia, ut jam animadvertimus superius, lib. 8°.

Expl. 2ª pars. — Sunt alia quædam bona socialia, ad quæ comparanda vel conservanda vel augenda optimum medium esse potest quorumdam vectigalium impositio, sicuti nuper de publica honestate diximus. Si qua natio, *v. g.*, fruges nullas e suo territorio ferat, si nullam armis fabricandis officinam habeat, facile poterit a suis hostibus vel urgenti aliqua necessitate in discrimen adduci; frugum tamen productionem armorumque fabricationem obtineret aut promoveret, gravia externis hujusmodi mercibus tributa imponendo.

Itaque, ubi merces quædam, quarum amplior productio ad socialem sustentationem, ad sociales divitias, ad socialem independentiam necessaria sit, paulatim deficiant, poterit utique auctori-

tas externarum ejusdem generis mercium importationem, vectigalibus impositis, difficiliorem, adeoque internam earum productionem lucrosiorem efficere. Igitur in tributis imponendis ita omnia societatis commoda præ oculis habenda sunt, ut non solum honestatis, sed aliorum quoque bonorum omnium, quæ societati comparanda vel augenda sunt, ratio diligens habeatur.

ARTICULUS IV.

De tributorum generibus summis.

1102. Pos. 541ª.— Tributorum exigendorum duplex ratio est: directa, quæ in divitias ab unoquoque possessas, et indirecta, quæ in merces ab unoquoque comsumptas cadit.

Expl. —Tributa a singulis sociis, vel a singulis sociorum cœtibus unicam politicam personam efformantibus petuntur; sunt nimirum illa pars quædam fortunarum quas quisque possidet ad rem publicam sustentandam contributa. Jam vero pars ista fortunarum individualium vel desumitur a fortunarum summa, quam quisque possidere cognoscitur, absolute et in se spectata, vel desumitur solum a summa fortunarum quam quisque in suos usus impendit. Prior ille modus vocatur *directus*, quia tale tributum fortunis cujusque socii directe imponitur; posterior *indirectus* appellatur, quia tale tributum directe imponitur mercibus ipsis, seu potius mercium productoribus. Quoniam autem productores, quum suas merces vendunt, vectigalium quæ jam ipsi solverint, rationem in pretio statuendo, habere debent, idcirco hæc tributa directe mercibus imposita, in ementes indirecte recidunt, et æquivalent tributo directe imposito pro ratione sumptuum quos quisque in mercium variarum usu faciat.

1103. Pos. 542ª.— Tributa directa triplici modo exigi possunt: vel ratione annui redditus quem quisque ex suis fundis percipiat, vel ratione annui sumptus quem quisque faciat, vel ratione annui lucri, quod cuique illius industria pariat.

Expl. — Tributa directa fortunarum summam quam quisque possidet, absolute et in se spectatam, afficiunt. Ergo opus est ut socialis auctoritas, quæ tributorum a singulis sociis solvendorum quantitatem determinat, prudenti et vera æstimatione judicet, quantum fortunarum quisque possideat. Jam prudens hæc æstimatio triplici via diversa procedere potest. 1° Qui tali loco talem

terræ qualitatem et quantitatem possidet, tantos exinde redditus percipere debet. 2° Qui in domo sibi comparanda, supellectili, equis, curribus, famulis et hujusmodi, tantas impensas agit, tantos redditus annuos habere credendus est. 3° Qui talem artem tali loco exercet, tantum quotidie vel in singulos menses aut annos lucrari solet. Prima illa ratione æstimantur cujusque fortunæ ex annuis redditibus, quos percipere ex suis fundis probe excultis ille supponitur. Secunda ratione æstimantur ex annuis sumptibus quos quisque facit. Tertia ratione æstimantur ex annuo lucro, quod cuique ex illius industria et labore provenit. Ergo, etc.

1104. Pos. 543ª. — Tributa indirecta quinque præsertim modis imponi possunt, scilicet vel in quantitatem mercium, vel in earum qualitatem, vel in totam productionis industriam : tributa vero in mercium quantitatem imposita possunt directe afficere earum vel productionem, vel translationem, vel venditionem.

Expl. — In tributis indirectis exigendis variæ artes a potestate executiva adhibentur, quæ reduci ad quinque præcipua possunt. Etenim merces quibus tributa imponuntur, spectari possunt vel ratione earum quantitatis, vel ratione earum qualitatis, vel ratione totius industriæ quæ circa illas producendas aut quoquo modo immutandas versetur.

Jam quantitas mercium considerari potest vel dum merces producuntur, vel dum huc illuc transvehuntur, vel dum publice divenduntur : nihil enim medium inter hæc tria reperiri posse videtur, quod non ad horum trium aliquod reducatur.

Mercium vero qualitas tributo aliquo affici potest per necessariam *sigilli* publici (*timbre*) impressionem, qua mercis cujusque certa qualitas declaretur, et ad quam obtinendam certum vectigal publico ærario solvendum sit.

Denique, publica potestas administrativa totam ipsam industriam, quæ merces quasdam producat, transferat, divendat, sibi uni vindicare potest, efficaciter vetando et impediendo ne ullus sociorum illam privata sua auctoritate et in privatum suum commodum exerceat : quæ quidem ratio alicujus industriæ sibi uni reservandæ *monopolium* appellatur. Perspicuum namque est omnes quoque utilitates ex tali industria provenientes soli potestati administrativæ tunc cessuras.

1105. Coroll. 1. — Quisque facile intelliget, judicium illud, quo, ad tributa directa cuique socio determinanda, illius fortu-

næ a publica auctoritate æstimantur, magni momenti esse : ab illo namque dependet æqua tributorum distributio. Quapropter evidens etiam est, gravi officio teneri publicam auctoritatem omnia media adhibere, quæ ad illius judicii rectitudinem in tuto ponendam necessaria sint.

Coroll. 2. — Tributa indirecta minoris asperitatis speciem quamdam habent. Illa enim, a productore et a mercatore in antecessum præstita, emptores deinceps, nil de tributis cogitantes, compensant pretio, quo merces emunt. Ubi autem de mercibus ad solum luxum pertinentibus, adeoque minime necessariis, agatur, ita emptor quisque hæc tributa indirecta solvit, ut certo sciat se facile posse ab iis solvendis sese eximere, ab iis mercibus abstinendo. Attamen, quoniam his tributis cariores utique merces efficiuntur, sociales ea divitias imminuunt, et socios variis commodis interdum prope necessariis privant : atque idcirco non majora, quam publicæ necessitates postulent, et ipsa imponenda sunt.

Coroll. 3. — Tributorum indirectorum justitia distributiva pendet potissimum a probe cognoscendis justeque determinandis illis sociorum classibus, in quas denique tributorum ejusmodi onus recidet. Quæ quidem cognitio maxime complexa et perdifficilis est. Itaque fieri facili negotio potest, ut, dum potestas exsecutiva, tributum quoddam indirectum imponendo, locupletium fortunas se ferire existimat, pauperibus operariis ea media quæ ad se suasque familias sustentandas vix sufficiebant, eripiat. Quamobrem hoc semper a publica potestate administrativa cogitandum erit, quanto majores divitias emptoribus esse mercis cujusque materia et genus vere indicant, tanto opportuniorem occasionem tributi imponendi eam mercem fore. In hoc genere sunt omnes merces ad vitæ splendorem et luxum spectantes. E contrario, merces quæ *primæ necessitatis* sunt, nunquam tributo onerari possunt, quin grave damnum pauperibus, qui nequeunt illis abstinere, inferatur.

Qua in re notandum est tributorum æqualitatem, quoad merces vel primæ necessitatis vel ad luxum pertinentes, difficillime obtineri in polyarchia. In hac enim principatus forma divites plerumque sunt legislatores : quæ quidem divitum classis facile tributis onerabit eas merces, quæ multitudini sociorum necessariæ sunt, et a ditioribus possidentur.

Cæterum, quocunque tandem modo tributa imponantur et exi-

gantur, hoc nunquam publica auctoritas obliviscatur necesse est, nullos ab illa publicos sumptus fieri posse, qui subditorum fortunas non emungant. Quidquid enim in publicos sumptus abit, privatis aufertur.

ARTICULUS V.

De sociali ære alieno.

1106. Pos. 544ª. — Publici æris alieni contractio quatuor præsertim legibus subesse debet, ut nempe ea sit necessaria, ut honesta sit et honeste administretur, ut sit fidelis, ut ad illud dissolvendum tendatur.

Notandum. — Inter multiplices artes publici ærarii locupletandi sine cujusquam detrimento, ut boni quidam existimant, præcipuum locum, seculo superiore, variæ rationes publici æris alieni disponendi tenuerunt. Has varias rationes, interdum maxime ingeniosas, explicare, earumque fallacias demonstrare ad Œconomiam Politicam pertinet. Nostrum hic est, leges morales publici æris alieni et contrahendi et administrandi innuere.

Explic. pos. 1ª pars. — Publicum æs alienum est quædam tributi species. Nam et sors ipsa, mutuo accepta, ubi creditoribus reddenda erit, et fenora quotannis solvenda, privatorum fortunis, unde publici ærarii opes omnes proveniunt, subtrahenda tandem sunt. Ergo publicum æs alienum sine vera rei publicæ necessitate nullum contrahendum est, sicuti nullum tributum non necessarium licet imponere. Necessitas autem publici æris alieni contrahendi duplex esse potest, scilicet vel *materialis* seu pecuniaria, vel *moralis*. Sic, *v. g.*, bellum justum, ingens aliquod publicæ utilitatis opus, ut portus exstructio, viæ ferratæ et hujusmodi, quæ maximas pecuniæ summas præsentes requirunt, non aliter nostra ætate suscipi, ne publica quidem auctoritate plerumque possunt, quam æs alienum contrahendo. Est igitur in ejusmodi casibus necessitas materialis seu pecuniaria.

At præterea summæ, quas publicæ potestati mutuas tradiderint, et earum fenora quæ ab eadem accipiant, ita creditores tali principatui devinciunt, ut ejusdem conservationem totis suis viribus tueri debeant. Ergo publici æris alieni contractio vel amplificatio est quandoque medium ad politicas perturbationes et mutationes propulsandas idoneum. Diximus autem *quandoque* tantummodo

illud esse aptum medium; quia publica ejusmodi fenora jam nostris temporibus sub tutela sunt universæ societatis europææ, cujus universæ interest ut jura talium creditorum salva et integra, etiam per quascunque politicas perturbationes, permaneant.

EXPLIC. 2ª PARS. — Plurimi sunt mutuæ pecuniæ obtinendæ modi fraudibus variis obnoxii. Credita vero in publicum ærarium quæ *fundos publicos* vocamus, multas dum venduntur, inhonestis artibus occasiones præbere possunt. Igitur publicæ auctoritatis officium est tum honestas conditiones in pecunia a subditis mutuo accipienda offerre, tum solerter, quoad ejus fieri potest, cavere, ne malis nebulonum artibus suorum creditorum fides decipiatur.

EXPLIC. 3ª PARS. — Fidelitati, quæ in publico ære alieno administrando servanda est, duplici modo publica auctoritas deesse potest, defectione scilicet vel *aperta* vel *dissimulata*. Defectio est aperta, si debitas sortes aut fenora creditoribus exsolvere auctoritas aut omnino aut aliqua ex parte renuat : dissimulata vero est, quando nummi falso auro vel argento cudantur, aut nimia syngrapharum multitudo emittatur, ita ut pro reali valore qui creditoribus debetur, valor dumtaxat nominalis reddatur. Jamvero a fidelitatis officio, quod contrahenti cuilibet incumbit, sese eximere publica auctoritas nequit. Quin imo graviore obligatione socialis auctoritas ad contractuum fidem servandam tenetur, tum quia, privato quovis homine potentior et locupletior quum sit, nunquam mediis ad hoc necessariis carere potest, tum quia fidelitatis et justitiæ patrona societati universæ et vindex est.

EXPLIC. 4ª PARS. — Ut fidelitatis officia erga suos creditores publica auctoritas semper implere possit, debet non solum antea diligenter supputare quid ejus vires ferre possint, sed etiam illuc constanter per media opportuna spectare, ut publicum æs alienum paulatim dissolvat, ac denique omnino exhauriat. Quem in finem optimum medium erit prudens in sumptibus faciendis parcimonia. Hæc nempe una est, quæ publicam administrationem constanter possit eripere a periculo perdendi vel se ipsam penuria, vel prædiorum possessores tributis, vel suos creditores defectione.

CAPUT VIII.

De potestate exsecutiva quoad difficultates morales ordini sociali obstantes superandas.

ARTICULUS I.

De potestatis judiciariæ natura et objecto.

1107. Notandum. — Potestatis exsecutivæ officia breviter explicavimus ad *personas* gubernandas et ad *res* administrandas spectantia. Jam ejusdem officia in obstaculis ac difficultatibus superandis consideremus. Quæ quidem obstacula quum in duplici genere esse possint, morali scilicet vel materiali, de obstaculis tantum moralibus hoc capite disseremus.

1108. Pos. 545a. — Supremæ auctoritatis publicæ propria est auctoritas judiciaria.

Prob. — 1° Ex notione societatis generali constat, socialem auctoritatem, cujus est multa individua intellectualia ad communem quamdam operationem conjungere, in obstacula, quæ a mentium dissensu ac renixu oriantur, posse persæpe offendere. Ita, si duo subditi, *v. g.*, certum jus quoddam sibi utrinque vindicantes inter se decertent, aut si ambo in societatem ipsam tale jus sibi competere affirment, non aliter illi vel inter se vel cum societate poterunt reconciliari, quam tale jus determinando, nempe veritatem illam qua tale jus fundatur (358), extra controversiam ponendo. Hæc autem juris et veri determinatio debet ita fieri, ut nemini postea liceat huic definitioni refragari : debet namque illa sic fieri, ut sociorum dissidia prorsus extinguat, eorumque mentes ultimo componat. Atque hæc mentium ultima conciliatio nequit obtineri, quamdiu sententiæ, quæ jura hinc inde determinet, partes decertantes reluctari licite possunt. Atqui solius supremæ socialis auctoritatis est verum et jus ita determinare, ut nemini jam liceat tali determinationi obsistere. Ea namque sola jus habet socios ultimo obligandi. Ergo potestas illa quæ verum et jus inter litigantes obligatorie et absolute determinat, supremæ socialis auctoritatis propria est. Vocatur autem ea po-

dividuo non solum illud sine quo illa existere non posset, sed etiam illud sine quo ægre nec satis congruenter ad suam dignitatem illa existeret.

3° Multa omnis generis damna societati ex immodicorum tributorum impositione proveniunt. 1. Damnum morale, quia multis criminibus ad tributa vitanda patratis occasionem præbet. 2. Damnum sociale, quia populum contra fiscum ejusque ministros excitat, et horrorem quorumdam delictorum, atque honoris socialis sensum in permultis civibus indigentia pressis extinguit. 3. Damnum materiale, quia ubi tributa nimis gravia sint, minuitur mercium consumptio ; hac autem consumptione decrescente, minuitur redditus tributorum : quæ quidem res et privatis, qui utilitatibus quibusdam inviti abstinere coguntur, et ipsi rei publicæ, quæ reddituum sibi necessariorum parte privatur, detrimentum affert. Ergo, etc.

1095. Pos. 536ª. Lex 2ª. — Tributa debent proportionate imponi tum ad cujusque subditi facultates, tum ad detrimentum ex iis cuique subdito proveniens.

Prop. 1ª pars. — Tributa a subditis solvenda sunt socialis quædam cooperatio ad commune bonum, ut constat ex n. 1094. Ergo non secundum commutativæ, sed secundum distributivæ justitiæ proportiones illa imponenda sunt. Etenim cooperatio ista socialis necessario supponit omnes et singulos socios sua bona in commune contulisse, ut per illa ad communem felicitatem conspirent (427). Ergo omnia cujusque socii bona debent ad finem socialem procurandum cooperari. Atqui, nisi quisque socius tributa solvat proportionate ad quantitatem suarum fortunarum, jam non omnia ejus bona ad finem socialem procurandum concurrent, sed solum certa quædam illorum pars. Nam, si ille qui possidet centum, tantum solvat quantum qui solum decem possidet, jam ille ditior non cooperatur ad finem socialem per omnia sua bona, sed solum per quamdam eorum partem æquivalentem bonis alterius qui solum decem possidet : nimirum non cooperatur socialiter neque juxta leges justitiæ socialis. Ut enim quis socialiter cooperetur, debet cooperari tanquam is qui omnia sua bona in commune contulerit, ut nuper diximus; et justitia socialis postulat ut qui sociali tutela fruitur pro bonis suis omnibus, ad societatis prosperum statum per suas fortunas omnes cooperetur; quod non fieret profecto ab illo qui, ampliores fortunas possidens, æqualia solveret tributa cum minus

PROB. 2ª PARS. — Transfusio ista judiciariæ potestatis in alias auctoritates non potest sane ad alium finem quam ad bonum sociale ordinari. Socialium autem bonorum omnium primum et maxime necessarium est unitas (429), quæ a principii societatem universam continentis unitate potissimum enascitur (450, 451). Ergo, sicut in aliis auctoritatis socialis functionibus, sic etiam in potestate judiciaria exercenda debet hæc unitas servari, qua fiat, ut multi illi in quos hæc potestas transfusa fuit, ab unico tamen principio moveantur apteque ordinentur. Atqui hæc ipsa multorum ab uno dependentia est illud quod *subordinatio* dici consuevit. Ergo, etc.

PROB. 3ª PARS. — Princeps, etsi supremam socialem auctoritatem possideat, nequaquam tamen humanam naturam exuit, nequaquam naturæ passionibus ac necessitatibus immunis est. Ergo jura principis individualia possunt utique juribus aliorum sociorum aliquando collidi; potest princeps ipse suis passionibus ac necessitatibus ab ordinis ac justitiæ tramite in sua causa defendenda facile averti. Ergo princeps, quoties propria illius causa agitur, debet omnino in tali causa potestatem suam judiciariam ad tempus abdicare, seque aliorum judicum rite constitutorum sententiæ plane subjicere. Nunquam enim judicans et judicandus una eademque persona esse, nisi absurde, possunt. Judiciaria namque sententia, quæ scilicet ex publica auctoritate feratur, debet ita ferri, ut ad mentes inter se conciliandas sit essentialiter idonea : ad mentium quippe dissensionem auferendam illa unice ordinatur. Atqui, ubi judicans et judicandus eadem persona sunt, judicium est essentialiter ineptum ad hunc finem obtinendum : necessario enim de talis judicii æquitate quisquis dubitabit, quia nemini dubium esse potest quin, communiter loquendo, judicans sibi magis quam aliis faveat. Ergo, etc.

1111. COROLL. — Ubi principis cum aliis quibuslibet sociis litigantis causa a tertia persona judicatur, hæc tertia persona, ut quisque facile videt, non virtute sua propria, sed sociali auctoritate rem judicat. Qua quidem sociali auctoritate hæc tertia persona in principe ligat, non quidem auctoritatem a qua judex ille judiciariam potestatem accipit, sed hominem principem, in tali causa ei se subjicientem, tanquam illi in quo sedes temporaria est abstractæ illius auctoritatis socialis, cui et ipse homo princeps obnoxius est (1060).

1112. POS. 547ª. — In societate quavis hypotactice composita,

PROB. — Utilitas quæpiam duplici modo potest societati afferri, directe et indirecte. Etenim, quum societas sit moraliter una, quod directe in commodum certorum individuorum fit, illud simul ad communem utilitatem indirecte redundat; et, e contrario, quidquid directe ad communem utilitatem fit, ad singulorum etiam individuorum commodum indirecte refluit. At magno tamen discrimine binæ istæ agendi rationes separantur. Nam bonum quo directe communitas afficitur, in omnia et singula illius membra æquis proportionibus sua sponte distribuitur : at bonum quod certis individuis directe affertur, in alia individua proportionibus magis ac magis decrescentibus pervenit. Atqui ordo justitiæ postulat, ut tributa iis potissimum imponantur, quibus præsertim utilia futura sint, servata, quantum fieri potest, æqua proportione inter onus cuique impositum atque utilitatem ab illo percipiendam. Ergo, etc.

1098. POS. 538a. LEX 4a. — Tributa ita imponenda sunt, ut ea nunquam summas capitales sed solos redditus afficiant.

PROB. — Tributa ad sumptus improductivos (1093) suapte natura conferuntur. Ergo, si illa summas capitales afficiant, sociales divitiæ in sumptus improductivos abibunt, adeoque has divitias paulatim imminui necesse erit, quod potestati executivæ diligenter cavendum esse jam vidimus (1091). Ergo etc.

1099. COROLL. — Facile multi hic vana veritatis specie decipiuntur, existimantes nullum societati ex tributis quantiscunque damnum provenire, modo hæc apud eamdem societatem impendantur. Nam potestas exsecutiva, inquiunt illi, per multiplices suos sumptus altera manu reddit populo, quod altera manu ab illo per tributa accepit. Attamen cum veritate id minime consentit. Nam quod altera manu potestas exsecutiva impendit, totum abit in merces quas illa improductive consumit. Ergo quod altera manu auctoritas percepit, est onus subditis incumbens, quod nulla ferme materiali utilitate pensatur, sed solum eo bono morali, quod in bona rei publicæ administratione consistit. Ergo, materialiter rem spectando, tributa prorsus consumuntur ac pereunt; ac propterea, si ex capitalibus summis educerentur, capitales ipsæ summæ, in quibus et sociales et privatæ opes omnes positæ sunt, tandem deficerent.

1100. POS. 539a. LEX. 5a. — Tributorum collectio facilis et quam minime sumptuosa esse debet.

PROB. — Unicus tributorum finis est auctoritati gubernanti

melius quam auctoritas amplioris societatis cognoscit. 2° Secundaria potestas consortii censenda est media ad ea delicta comprimenda multo melius habere comperta; multo magis etiam illius interest delicta quæ illius finem ac leges oppugnant, cohibere. Ergo, etc.

Attamen diligenter hoc animadvertendum est, hanc tribunalium seu *fori* distinctionem injustam et perniciosam evadere, si ad delicta communia extendatur. Etenim, quoad ista delicta major societas habet sine dubio supremam judiciariam potestatem. Communia namque delicta, in quocumque consortio committantur, communi præsertim bono majoris societatis universæ nocent; cujus quidem jura privatis quibuscunque juribus homogeneis semper prævalent. Ergo justitia postulat, ut delicta communia, in quocunque consortio patrata, a communi judiciaria potestate judicentur. Præterea omnia majoris societatis membra æquale jus ad sui suorumque bonorum tutelam habent (447). Hanc autem tutelam nequeunt omnes æqualiter obtinere, nisi facilis ad judices accessus omnibus pateat et ex eodem justitiæ ordine omnes pariter judicentur. Atqui, ubi criminibus judicandis, diversa tribunalia pro distinctis consortiis admittuntur, jam nec liber ille accessus ad judices omnibus sociis æque patebit, nec judicum animi æqualibus erga omnes studiis erunt dispositi. Etenim, si individuum particularis cujusdam consortii membrum ob delictum commune ab illo patratum apud judices ad idem illud consortium pertinentes accusetur, facile continget, ut judices isti tum proprio consortii sui particularis amore, tum hominum de illo consortio precibus et promissionibus, tum dedecoris toti illi consortio ex rei damnatione proventuri metu impulsi, ad causam negligenter cognoscendam et ad reum utcunque absolvendum inducantur.

ARTICULUS II.

De morali judiciorum perfectione, deque judiciis constituendis accommodate ad hanc perfectionem obtinendam.

1114. Pos. 548ª. — Judiciariæ potestati duplicis ordinis functiones sunt: civiles et pœnales.

Prob. — Judiciaria potestas suapte natura est ordinata ad evertenda obstacula quæ civico societatis ordini potest a morali vi

tas externarum ejusdem generis mercium importationem, vectigalibus impositis, difficiliorem, adeoque internam earum productionem lucrosiorem efficere. Igitur in tributis imponendis ita omnia societatis commoda præ oculis habenda sunt, ut non solum honestatis, sed aliorum quoque bonorum omnium, quæ societati comparanda vel augenda sunt, ratio diligens habeatur.

ARTICULUS IV.

De tributorum generibus summis.

1102. Pos. 541ª.— Tributorum exigendorum duplex ratio est: directa, quæ in divitias ab unoquoque possessas, et indirecta, quæ in merces ab unoquoque comsumptas cadit.

Expl. —Tributa a singulis sociis, vel a singulis sociorum cœtibus unicam politicam personam efformantibus petuntur; sunt nimirum illa pars quædam fortunarum quas quisque possidet ad rem publicam sustentandam contributa. Jam vero pars ista fortunarum individualium vel desumitur a fortunarum summa, quam quisque possidere cognoscitur, absolute et in se spectata, vel desumitur solum a summa fortunarum quam quisque in suos usus impendit. Prior ille modus vocatur *directus*, quia tale tributum fortunis cujusque socii directe imponitur; posterior *indirectus* appellatur, quia tale tributum directe imponitur mercibus ipsis, seu potius mercium productoribus. Quoniam autem productores, quum suas merces vendunt, vectigalium quæ jam ipsi solverint, rationem in pretio statuendo, habere debent, idcirco hæc tributa directe mercibus imposita, in ementes indirecte recidunt, et æquivalent tributo directe imposito pro ratione sumptuum quos quisque in mercium variarum usu faciat.

1103. Pos. 542ª.— Tributa directa triplici modo exigi possunt: vel ratione annui redditus quem quisque ex suis fundis percipiat, vel ratione annui sumptus quem quisque faciat, vel ratione annui lucri, quod cuique illius industria pariat.

Expl. — Tributa directa fortunarum summam quam quisque possidet, absolute et in se spectatam, afficiunt. Ergo opus est ut socialis auctoritas, quæ tributorum a singulis sociis solvendorum quantitatem determinat, prudenti et vera æstimatione judicet, quantum fortunarum quisque possideat. Jam prudens hæc æstimatio triplici via diversa procedere potest. 1° Qui tali loco talem

suppeditare opes ad bonum publicum exsequendum necessarias. Ergo ita debet eorum collectio disponi ut ad potestatem executivam integra, quoad ejus fieri possit, perveniant, quin ulla eorum pars per viam deperdatur. Atqui sumptus in eorum collectione faciendi eorum partem absorbent. Ergo maxime curandum est, ut hi sumptus quam minimi evadant.

Jamvero tributorum collectio eo minus sumptuosa erit, quo erit facilior. Ubi enim subditi sæpe tributorum perceptoribus reluctantur, media coactiva adhibenda erunt. Hæc autem coactio duplex auctoritati gubernanti damnum afferet. 1° Sumptus majores ad tributa percipienda erunt necessarii, qui omnes denique in subditos recident, et sociales divitias, ut nuper vidimus, magis ac magis imminuent. 2° Odiosam subditis efficiunt auctoritatem, quæ vi coactiva et pœnarum inflictione ad tributa invitis extorquenda uti necesse haberet. Ergo, etc.

1101. Pos. 540ª. Lex 6ª. — Tributa debent publicæ potissimum honestati, cæterisque præterea bonis socialibus, favere.

Prob. 1ª pars. — Primum et maxime necessarium ex bonis omnibus socialibus est honestas (484). Ergo nullum tributum, nullum divitiarum genus, quod publicæ honestati directe repugnet, licitum esse potest. E contrario, quo efficacius tributa ad honestatem promovendam tendunt, eo laudabilior eorum impositio erit. Itaque vectigalia, quæ luxui aliisque interdum pejoribus vitiis imponantur, semper præferenda sunt, modo ne illam tacitam quamdam eorum approbationem continere videantur, vel nimiam tolerantiam; moderata namque tolerantia non raro apud publicam auctoritatem est necessaria prudentia, ut jam animadvertimus superius, lib. 8°.

Expl. 2ª pars. — Sunt alia quædam bona socialia, ad quæ comparanda vel conservanda vel augenda optimum medium esse potest quorumdam vectigalium impositio, sicuti nuper de publica honestate diximus. Si qua natio, *v. g.*, fruges nullas e suo territorio ferat, si nullam armis fabricandis officinam habeat, facile poterit a suis hostibus vel urgenti aliqua necessitate in discrimen adduci; frugum tamen productionem armorumque fabricationem obtineret aut promoveret, gravia externis hujusmodi mercibus tributa imponendo.

Itaque, ubi merces quædam, quarum amplior productio ad socialem sustentationem, ad sociales divitias, ad socialem independentiam necessaria sit, paulatim deficiant, poterit utique auctori-

tas externarum ejusdem generis mercium importationem, vectigalibus impositis, difficiliorem, adeoque internam earum productionem lucrosiorem efficere. Igitur in tributis imponendis ita omnia societatis commoda præ oculis habenda sunt, ut non solum honestatis, sed aliorum quoque bonorum omnium, quæ societati comparanda vel augenda sunt, ratio diligens habeatur.

ARTICULUS IV.

De tributorum generibus summis.

1102. **Pos. 541ª.**— Tributorum exigendorum duplex ratio est: directa, quæ in divitias ab unoquoque possessas, et indirecta, quæ in merces ab unoquoque comsumptas cadit.

Expl. —Tributa a singulis sociis, vel a singulis sociorum cœtibus unicam politicam personam efformantibus petuntur; sunt nimirum illa pars quædam fortunarum quas quisque possidet ad rem publicam sustentandam contributa. Jam vero pars ista fortunarum individualium vel desumitur a fortunarum summa, quam quisque possidere cognoscitur, absolute et in se spectata, vel desumitur solum a summa fortunarum quam quisque in suos usus impendit. Prior ille modus vocatur *directus,* quia tale tributum fortunis cujusque socii directe imponitur; posterior *indirectus* appellatur, quia tale tributum directe imponitur mercibus ipsis, seu potius mercium productoribus. Quoniam autem productores, quum suas merces vendunt, vectigalium quæ jam ipsi solverint, rationem in pretio statuendo, habere debent, idcirco hæc tributa directe mercibus imposita, in ementes indirecte recidunt, et æquivalent tributo directe imposito pro ratione sumptuum quos quisque in mercium variarum usu faciat.

1103. **Pos. 542ª.**— Tributa directa triplici modo exigi possunt: vel ratione annui redditus quem quisque ex suis fundis percipiat, vel ratione annui sumptus quem quisque faciat, vel ratione annui lucri, quod cuique illius industria pariat.

Expl. — Tributa directa fortunarum summam quam quisque possidet, absolute et in se spectatam, afficiunt. Ergo opus est ut socialis auctoritas, quæ tributorum a singulis sociis solvendorum quantitatem determinat, prudenti et vera æstimatione judicet, quantum fo[...] [...]ue possideat. Jam prudens hæc æstimatio trip[...] [...]edere potest. 1° Qui tali loco talem

6° Attamen, sicuti individuali judicio interdum ratio individualis minime acquiescit, novamque rei discussionem postulat, ita sententiæ latæ à sociali potestate judiciaria possunt socii, justitiæ ordinem illa violari opinantes, refragari, novamque ejusdem causæ cognitionem et novam sententiam expostulare. Quumque judicum vel integerrimorum sententiæ error subrepere aliquis semper possit, et judices, ut qui homines sunt, vel passione aliqua propria vel alieno auro possint corrumpi; idcirco rectus justitiæ ordo hoc poscit, ut judicum sententiæ aliquoties liceat reclamare, novumque judicium obtinere. Hæ reclamationes dicuntur *appellationes* seu *provocationes*. Ergo 1ª quædam appendix judicii socialis est *appellatio*.

7° Denique, sicut sociorum dissidium et controversia circa externa quædam bona vel externas quasdam actiones versatur, ita sociale judicium eo tandem spectare debet, ut externus ordo inter socios efficaciter externo actu recomponatur, eo modo, quo judiciaria sententia recomponendum illum esse constituerit. Ergo, quod judiciaria potestas in hunc finem decreverit, prompte atque integre a publica vi et efficacia exsequendum est. Ergo 2ª socialis judicii appendix est *sententiæ exsecutio*.

1118. COROLL. 1. — Septem igitur præcipua sunt, quæ ad rectum sociale judicium obtinendum diligenter disponenda riteque ordinanda sunt, scilicet tribunalis formatio, causæ propositio, rei discussio, criterium, sententia, appellatio et exsecutio. Pro singulis hisce judicii gradibus aptæ leges ab auctoritatibus constitutiva et legislativa constituendæ sunt. Et 1° quidem quoad tribunalis formationem, nimirum quoad judicum electionem eorumque organicam dispositionem, servanda sunt quæ jam superius de potestatibus deliberativa et legislativa constituendis, deque organismo gubernativo diximus.

2° Ubi judicum concilium apte compactum et ordinatum adsit, efficiendum est ut omne jus impeditum aut violatum (1114) possit illius opem prompte invocare. Jam quærendum hic statim occurrit, quis primus vocem attollere ad judiciariæ potestatis opem invocandam debeat, utrum pars læsa, an multitudo, an auctoritas. Et in causis quidem pure civilibus partes dissidentes per se ipsæ causam ad tribunal deferunt. At in causis criminalibus privata persona delicto læsa, potest vel impotentia et infirmitate vel metu impediri ne judiciariam potestatem adeat; multitudo vero potest rem silentio premere ob horrorem quemdam

muneris accusatorii; publici demum administri possunt vel rem ignorare, vel rem ignavia negligere, vel sua potestate, insontes accusando, abuti. Tribunalis ergo aditus juri violato ita est aperiendus, ut iræ et calumniæ præcludatur; et magistratus aliquis apud tribunal omne statuendus est, incorrupta fide et probata prudentia conspicuus, ad quem pertineat delicta quæcunque ad tribunal deferre, eorumque cognitionem ac punitionem exposcere ac promovere.

3° Ubi jam causa ad judices delata sit, quærendum est qua via rationes, indicia et argumenta sint exploranda, quæ plenam causæ cognitionem præbeant. Et in causis quidem civilibus nulla iterum hac in re difficultas occurrit. At in causis criminalibus dubitari potest, utrum aptior ad societatem tuendam sit via *inquisitoria* an via *accusatoria*. Viam inquisitoriam ratio procedendi undequaque secreta proprie constituit: ad quam pertinent pariter secreta investigatio et secreta discussio. Quibus duobus fit ut nulla rei, testium et accusatoris mutua compositio et disceptatio adhibeatur, nulla indicia et argumenta nisi scripta admittantur.

Ad inquisitoriam rationem pertinere quoque censetur *criterium pure legale*, quod summa severitate a judice sequendum sit, ita ut contra illius regulas proprio et nativo sensu acceptas quemquam absolvere aut condemnare judici nunquam liceat.

E contrario, viam accusatoriam constituunt accusatio aliquo pacto publica, discussio libera et aliquo modo publica, libera collatio et concertatio rei cum accusatore ac testibus, et consequenter judicium orale. Quibus omnibus addi solet *criterium morale*, per quod judici liceat in ferenda juxta legum normam sententia unicum ducem suam conscientiam sequi.

Jamvero ex duabus hisce judiciorum rationibus unaquæque sicuti proprias habet utilitates et commoda, ita quibusdam incommodis ac periculis obnoxia est. Quæ omnia reducuntur pro via inquisitoria ad insontis oppressionem, pro via accusatoria ad delicti impunitatem. Etenim, ubi delictorum investigatio et discussio secreta prorsus fiat, medium judicibus periculosissimum suppeditatur, quo illi vel propria sua libidine permoti, vel aliena fraude decepti, vel alieno auro corrupti, possunt semper ad insontes opprimendos abuti, quin ulla sit oppressis ratio injustitiæ propulsandæ. Ubi vero publica accusatio et publica discussio fieri debeat, impossibile aliquando erit testes et argumenta sufficien-

tia ad reum convincendum obtinere; adeoque delictum aliquando impunitum abibit.

At manifestum profecto est rationem accusatoriam inquisitoriæ longe præstare in iis omnibus quæ ad individualem cujusque socii securitatem atque innocentiæ tutelam pertinent. Quamobrem apud omnes cultiores popnlos jam passim constituta est publica judiciorum celebritas, etsi in ipsa exsecutione variis illa modis apud varios populos fuerit ordinata.

4° De criterio judiciario et de appellatione seorsim paulo inferius disputabimus. De exsecutione hoc unum hic animadvertamus, quanto promptius ac plenius judicum sententia exsecutioni mandabitur, tanto majorem vim moralem judiciariæ potestati accessuram.

Coroll. 2. — Ad fidelem rectamque legum applicationem obtinendam apud multos politiores populos nostra ætate instituti sunt illi quos *juratos judices populares* vel *juratos judices solius facti* appellabimus. Scilicet in causis criminalibus, ubi judices ordinarii causam ipsi penitus cognoverint, tota causa explicatur et excutitur coram certo numero civium ipsi reo parium. Qui quidem de sola delicti et adjunctorum existentia, nimirum de solo facto, sententiam dicunt : tum vero judices ordinarii juxta hanc sententiam leges applicant. Jamvero si, quam apta et opportuna ad justitiæ ordinem efficaciter ulciscendum hæc judicum solius facti institutio sit, quæramus, inveniemus quæstionem hanc non aliud esse quam particularem applicationem duarum aliarum quæstionum universalium, quæ quidem sic poni possunt : — 1ª Estne ad publicum bonum utilius causam rei permittere hominibus quibusdam doctis, sed corruptioni magis obnoxiis, an quibusdam hominibus corruptioni minus obnoxiis, sed magis mentis errori expositis? 2ª Estne judicium magistratuum corruptibilius quam vulgi judicium? — Prior illa est quæstio juris, posterior est quæstio facti. Jamvero utriusque istius quæstionis solutio magna ex parte a morali et a politico societatis statu pendet. Si enim abstrate res consideretur, evidens est judicem doctum usuque exercitatum vulgo indocto et inexperto longe præferendum esse. At, si societas sit late corrupta, timendum viro probo erit ne adversarius fidem judicis auro mercatus sit; ac propterea sinceram vulgi imperiti sententiam judicio magistratus docti sed venalis anteponet. Item, si politica societatis gubernatio ad tyrannidem vergat, timendum rursus

erit, ne judices partibus tyranni faveant; ac propterea sociorum causæ, præsertim politicæ, aliis sociis nil emolumenti a tyrannide sperantibus judicandæ potius quam magistratibus qui tyrannicæ gubernationis instrumenta sint, committentur.

Itaque duplex ea quæstio sic spectata recidit in binas quæstiones jam superius resolutas (l. 8, c. 1, a. 2; l. 10, c. 2, a. 3), nimirum qua ratione principatus debeat privatorum jura et commoda tutari, et qua ratione subditi possint sese a principatus tyrannide defendere.

Quare judices solius facti possunt spectari vel tanquam civilis vel tanquam politica institutio; ac proinde possunt vel a principe concedi ad individualem litigantium contra judices tutelam, vel a subditis exposci ut medium quoddam politicæ defensionis.

Igitur 1• curandum principi omnino erit, ut judices integerrimi eligantur. Attamen, si longo usu constet tantam jam esse morum socialium depravationem, ut judiciorum fides ac sinceritas dubia plerumque sit, medium illud individualis tutelæ subditis concedere princeps utique debebit.

2• Qui rem publicam gerit nunquam tenetur suppeditare subditis vim reactivam, qua hi possint principi reluctari; sed tenetur utique ita res gerere, ut hæc vis reactiva subditis nullatenus sit necessaria. Qua vi subditi si nullo pacto egeant, minime illam exposcent. Populi vero frena politicæ auctoritatis excutere nitentis intolerantia a malis perturbatorum artibus oritur. Attamen hæ ipsæ seditiosorum hominum machinationes socordiam socialis auctoritatis aut incuriam satis ostendunt.

Hæ igitur veteratorum malæ artes comprimendæ ac præcidendæ ab auctoritate sunt; auferendæ prorsus causæ querelarum vel reales vel apparentes. At subditis, quorum officium est, auctoritati non resistere, sed obedire, nequaquam ab ipsa auctoritate arma præbenda sunt, quibus instructi ejus imperiis reluctentur. Contradictorium namque est subditos illos esse qui auctoritati non debeant obtemperare.

Neque minus contradictorium esset, ita judicia disponere, ut justitiæ administrationem ipsam, tanquam injustitiæ ac tyrannidis instrumentum, timendam auctoritas facto suo palam fateatur.

1119. Pos. 551•. — Ad sententiam in quacunque causa dicendam debet judex criteriis simul et legali et morali apte compositis uti.

Prob. — Judex nihil aliud est quam homo repræsentans socia-

lem auctoritatem, jus controversum determinantem. Ergo totum jus obligandi, quo judex pollet, ab auctoritate sociali quam repræsentat, eidem provenit. Ergo judex non potest obligare nisi ad illud quod socialis auctoritas decreverit. Socialis autem auctoritatis decreta, quibus judicia dirigenda sint, legibus continentur. Ergo judex nequit obligare nisi ad ea quæ legibus præscripta sunt: nimirum judex debet in sententia dicenda criterium legale semper, quantum fieri potest, sequi.

At vero, qui sit cujusque legis proprius sensus, ad quam legem una-quæque causa, et una quæque pars causæ pertineat, quantum denique de legum severitate cuique facto applicandum sit, non aliter judex definire quam per individualem suam conscientiam potest, inquirendo scilicet apud seipsum quid propria illius ratio de relatione talis facti cum tali lege judicet. Ergo debet judex juxta propriam conscientiam leges in quovis casu interpretari, et cuique facto certam legem, prout ejus ipsius ratio docuerit, applicare. Id autem est criterium morale cum criterio legali in sententia dicenda conjungere. Ergo, etc.

1120. Coroll. — In judiciis ergo lex vim præbet, ratio judicis lucem præfert. Utrumque hoc elementum omnino est necessarium. Est autem hic diligenter animadvertendum aliud prorsus esse judicare ex sua conscientia de applicatione legis ejusque exsecutione, atque aliud de lege ipsa judicare. Lex enim ipsa judicii principium et axioma est, nulli controversiæ, nulli dubitationi obnoxium : quæ quidem si judici injusta videatur, debet sese judiciario munere abdicare. Quum enim judicis munus totum in lege ad certum factum applicanda positum sit, si injustam judex legem esse existimet, eique tamen in sententia dicenda obsequatur, illius injustitiæ participem se constituet.

1121. Pos. 552ª. — Ex jure naturali semper licet subdito, abstracte rem spectando, a sententia auctoritatis inferioris ad superiorem appellare : at suprema auctoritas potest utique ac debet certos hisce appellationibus limites statuere.

Prob. 1ª pars. — Jam lib. 6°, n. 725 vidimus universe, quoties auctoritas immediata ordinem in consortio particulari non satis conservat, auctoritatis superioris officium esse internam illius consortii directionem gerere. Ergo, quoties auctoritas inferior in quacunque causa injuste judicaverit, auctoritas superior jus habet injustæ illius sententiæ corrigendæ. Ergo superiori auctoritati semper jus est sententiæ ab inferiore dictæ cognoscendæ, quoties

de illius justitia dubitatur. Ergo etiam ille qui injusta sententia se premi existimat, semper habet jus confugiendi ad superiorem auctoritatem, ut hæc sententiam penitus cognoscat, et, si opus sit, reformet. Ergo etc.

PROB. 2ª PARS. — Quoniam semper licet ab inferioris auctoritatis sententia ad superiorem appellare, nisi modus aliquis hisce appellationibus imponatur, omnes propemodum causæ apud ordinaria tribunalia judicatæ ad supremam auctoritatem rursus deferentur. Perraro namque fit, ut qui judicio damnatus est, justo se judicio damnatum esse existimet. Atqui impossibile omnino est, ut suprema auctoritas omnes ejusmodi causas per se ipsa cognoscat, ut jam superius animadvertimus. Ergo appellationes istas suprema auctoritas debet vel eas omnes respuere, vel ad alios judices sibi subordinatos semper alios atque alios indefinite remittere, vel eas tantummodo intra certos limites accipere. Jam 1um non licet : ostendimus enim naturale sociis esse jus appellationum. Si 2um fieret, indefinita ejusmodi appellationum series totali judiciorum suspensioni æquivaleret. Utilitas namque socialis judiciorum tota provenit ab eorum exsecutione; hæc scilicet una est quæ reipsa dissidentium res componit, mentesque reconciliat ; hæc una est quæ delicta efficaciter comprimit. Atqui, si novæ semper ac novæ appellationes opponi possent, nunquam judiciorum exsecutio obtineretur. Ergo, quum omnes appellationes suprema auctoritas ipsa sola nequeat cognoscere ac judicare, nec novæ semper appellationes a magistratuum inferiorum judicio indefinite admitti possint, necesse est certos appellationibus ejusmodi limites a suprema auctoritate determinari. Ergo, etc.

1122. COROLL. 1. — Officium igitur quo socialis auctoritas appellationes excipere tenetur, est necessario limitatum. Et quamvis ob humanorum judiciorum fallibilitatem semper fieri possit, ut vel una adhuc appellatio innocentiam hominis per fraudem vel ignorantiam damnati manifestaret, attamen possunt ac debent ab auctoritate certi appellationibus limites præfigi, ultra quos hominis cujusque sors Dei sapientissime omnia gubernantis, hominumque et ignorantia et scelere ad optimos fines secundario et consequenter utentis, providentiæ permittenda tandem est.

COROLL. 2. — Appellationes, si in omni vel minima causa concedantur, numero sane infinitæ evadent, et societati vehementer nocebunt. Etenim leviores causæ versantur plerumque circa res

ad quotidianum vitæ usum spectantes, quæ diuturnam jurium suspensionem pati nequeunt. Ergo non solum appellationes universim certis limitibus continendæ sunt, sed earum aliquæ, scilicet quæ ad leviora quædam negotia spectarent, prorsus vetandæ sunt.

Coroll. 3. — Qui fines appellationibus ad majores causas pertinentibus præfigendi sint, a quatuor præsertim capitibus colligendum est : 1° A rei, in qua causa vertitur, gravitate. Nam quo gravior res, de qua agitur, est, eo diligentius errandi in judicio ferendo pericula sunt amovenda. Quare in causa, *v. g.*, capitali, nisi publicum aliquod periculum et notoria reatus evidentia obsit, nunquam appellatio deneganda est. 2° A morali societatis universæ ac tribunalium statu; scilicet quo magis et partium litigantium et judicum probitas dubia est, eo facilius appellationes sunt accipiendæ. 3° Ab acerbitate atque evidentia injustitiæ et damni quæ ex sententiæ exsequendæ suspensione enascitur. Nam tum in civilibus tum in criminalibus causis potest indebita appellatio graviorem justitiæ et societatis læsionem efficere. 4° A factorum observatione. Si enim hæc ostenderet plures reapse insontes jam fuisse damnatos, manifestum inde fieret majoribus ad innocentiam agnoscendam cautelis opus esse.

1123. Pos. 553ª. — Potestati judiciariæ semper jus est jubendi comprehensionem hominis cujuslibet, quem delicti gravia indicia premant.

Prob. 1ª pars. — Potestati judiciariæ profecto jus est delicti cujuslibet existentiam, naturam et circumstantias cognoscendi, et congrua punitione ejus auctorem afficiendi. Atqui tum ad delictum penitus ac certo cognoscendum, tum ad ejus auctorem puniendum necesse est eum qui delicti auctor esse creditur, comprehendere. Etenim 1° præcipuum medium ad existentiam, naturam, circumstantias et auctorem delicti cognoscendos est illum qui accusatur, seorsim ita interrogare, ut nequeat sua responsa cum aliis interrogandis consultare et componere. Atqui, ut accusatus nequeat cum aliis interrogandis suas responsiones pacisci, evidens est illum esse omnino comprehendendum, atque alicubi inclusum seorsim detinendum.

2° Nisi comprehendatur atque in carcerem conjiciatur ille qui gravibus indiciis delicti urgetur, ubi hæc indicia patescere cœperint, fugam capiet, atque a potestatis exsecutivæ manibus in perpetuum sese eripiet. Itaque delicta quæque gravissima, nisi

eorum auctores, statim ac delicti fama ad auctoritatem defertur, comprehendantur, semper impunita manebunt; quod evidenter maximum eversionis et exitii periculum societati universæ gigneret. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Non licet comprehendere, atque in carcerem conjicere nisi eum qui gravi aliquo delicti indicio premitur. Etenim ille quem nullum indicium talis delicti arguit, omnino insons ab auctoritate habendus est. At quisquis omnino innocens habendus est, nulla potest jure affici pœna : comprehensio autem ac detentio in carcere sunt pœna gravissima. Nec societatis tutela ullo pacto postulat ut hæc pœna, ob bonum publicum, imponatur ei quem nullum grave delicti indicium coarguit. Grave namque indicium vocamus illud, quo innixus quisque suspicari prudenter potest illum hominem fuisse ejus delicti auctorem. Atqui eorum de quorum reatu prudens suspicio nulla est, comprehensionem tutela societatis nequaquam postulat. Si enim prudenter suspicari potestas exsecutiva non potest ab his potius quam ab aliis hominibus delictum fuisse commissum, nulla ratio prudens est, cur hi potius quam alii judicentur societati periculosi. Ergo, sive cognitio delicti sive auctoris punitio spectetur, non licet comprehendere illum qui gravi nullo reatus indicio teneatur.

1124. COROLL. 1. — Qui gravi aliquo indicio arguitur, potest nihilominus innocens illius delicti esse. Attamen, ubi is comprehensus a potestate judiciaria in carcere detineatur, nequaquam injuste puniri dicendus est. Non omnis namque pœna est punitio (224). Item, qui gravi indicio accusatur, nondum sane delicti auctor existimandus est; at neque innocens est habendus; de illo etenim prudenter dubitatur utrum innocens sit an nocens. Ergo in tali rerum conditione miser iste versatur, quæ et ipsa per se est pœna acerbissima; vel una quippe suspicio et accusatio gravissima innocenti calamitas est; et aliam pœnam illi necessario imponendam ob societatis universæ, adeoque ipsius quoque accusati, siquidem hic innocens sit, commune bonum postulat. Etenim comprehensio hæc de qua loquimur et nocentium punitionem et innocentium defensionem in tuto collocat. Quare innocens accusatus et in carcerem conjectus non socialem auctoritatem culpare, sed adversam sui ipsius fortunam conqueri solum debet.

COROLL. 2. — Quoniam socialis auctoritatis officium gravissimum est innocentium tutela, jus illud hominis malo in loco

pressi tanto sanctius erit custodiendum, quanto sunt 1° indicia minus gravia; 2° res, de qua agitur, minoris momenti; 3° imputatio minus vehemens; 4° fuga minus facilis.

Quoniam autem eo minus facilis fuga esse solet, quo major est socialis perfectio, idcirco apud cultiores societates minor est comprehensionis *præventivæ*, ut dici solet, necessitas. Denique, in quocunque societatis statu, comprehensio ac detentio accusati nondum condemnati tales semper esse debent, ut ad justitiæ tutelam solummodo, non ad accusati supplicium spectent.

CAPUT IX.

De potestate exsecutiva quoad materiales causas bono publico obstantes superandas, seu de vi publica.

ARTICULUS I.

De vis publicæ natura et perfectione.

1125. Pos. 554ª. — Triplici vi publica pollere socialis auctoritas debet, civili, politica et bellica.

Prob. — Quoniam recta societatis ordinatio postulat ut eadem accommodate ad materialem suum finem obtinendum disponatur, evidens est, socialem auctoritatem, cujus unius est societatem universam continere, tueri ac perficere, talibus instructam viribus esse oportere, quæ illam aptam efficiant ad omnia quæ finis socialis consecutioni obstent, propulsanda ac penitus evertenda, ita scilicet ut non solum obstacula ad ordinem moralem pertinentia, juribus contrariis judiciali sententia definitis, facile superet, sed etiam obstacula materialia, reluctantium pertinaciam frangendo, prompte pervincere possit. Ergo societas ita constituenda est, ut materiali socialis auctoritatis vi nulla vis alia resistere efficaciter possit, ac socialis voluntatis, quæ in lege consistit, exsecutionem impedire. Atqui hæc exsecutio impediri potest vel privatorum adversus privatos conatibus, vel ab internis politicæ constitutionis adversariis, vel ab externis rei publicæ hostibus.

Ergo ita societas componenda est, ut socialis auctoritas vi *civica* polleat ad privatorum simultates ac turbas dissipandas, vi *politica* ad seditionum impetus coërcendos, vi *bellica* ad hostium incursiones propellendas.

1126. Coroll. — Triplex hæc virium socialium species a nobis distinguitur, quia singulis illis distinctus finis est propositus. *Civicus* namque primæ, *politicus* secundæ, *internationalis* tertiæ finis est. A fine autem suo facultas quæque speciem propriam accipit. Attamen nil vetat, quin unus idemque armatorum ordo triplici illo officio fungatur, præsertim apud societates recens enatas, apud quas, dum illæ sensim adolescunt, et simpliciorem socialem organismum, et arctius in idem centrum coactas politicas potestates esse necesse est. Itaque unum illud vis socialis instrumentum omnibus munitum esse debet facultatibus, quæ ad diversa munera implenda idoneum illud efficiant.

1127. Pos. 555ª — Vis publicæ perfectio a quatuor capitibus pendet : ab obstaculis per illam superandis et ab securitatis stabilitate obtinenda breviore tempore ac minore sumptu.

Explic. — Facultatis cujusque perfectio tota provenit a plena finis eidem proprii consecutione (20). Atqui vis publica ad materiales causas publicæ felicitati obstantes auferendas destinata est : atque evidens est tanto accommodatius ad socialem felicitatem hæc obstacula auferri, quanto plura et cum minore detrimento, quanto citius et cum tutiore ac stabiliore exitu illa superantur. Ergo, etc.

1128. Coroll. — Vis publicæ perfectio sequitur rationem directam obstaculorum et securitatis, inversam temporis et sumptuum, ut quisque facile intelligit. Jamvero ex diversa hac relatione, quam ad bina priora et ad bina posteriora hæc elementa perfectio vis publicæ habet, efficitur, ut perdifficilis potestati constituenti apta publicævis ordinatio esse debeat. Inde etenim fit, ut, quantum perfectionis vi sociali ex priorum elementorum incrementis accedit, tantumdem illi consequentia binorum posteriorum incrementa demant. Sic, ubi majora quædam obstacula vincenda sint, militum numerum augere plurimum expediret : at copiarum multiplicatio et civium multitudini et ærarii opibus noceret. Item, vis militaris amplificatio ad promptiorem tutioremque obtinendum exitum conduceret : at rei publicæ securitati eadem obesset ; quia facilius exercitus validiores militarem tyrannidem civibus imponunt, faciliusque a factiosis hominibus eorum arma

in principem convertuntur. Igitur in vi militari constituenda sedulo animadvertendæ sunt omnes illæ circumstantiæ, quæ in quatuor illis publicæ vis elementis æquas evertere proportiones possunt. Neminem autem latet in his proportionibus æquis perfectionem socialis constitutionis positam esse, ab iisque felicem societatis progressionem pendere.

ARTICULUS II.

De mediis ad vim publicam recte constituendam idoneis.

1129. Pos. 556ª. — Vis publica congruo præsertim numero militum, vel ultro vel coacte ad vexilla convenientium, communienda est.

Prob. — Tanto vis publica perfectius est ordinata, quanto ad obstacula superanda validior est. Atqui vis publicæ robur a numero militum, qui sunt hujus vis instrumentum, maxime pendet. Ergo in vi publica constituenda eo primum socialis auctoritas spectare debet, ut quam maximo fieri possit armatorum numero illa constet.

Jamvero militum numerus duplici ratione augeri potest, aut juvenes alliciendo, qui ultro ad stipendia merenda conveniant, aut cives quoslibet vel invitos conscribendo. Evidens autem est voluntariam illam militum conscriptionem coactæ longe præferendam esse. At, ubi hæc sufficientes armatorum copias non amplius suppeditet, quoniam vis publica ipsi societatis existentiæ necessaria est, non solum jure socialis auctoritas pollet, sed stricto etiam officio tenetur, cives ad militiam vel invitos cogendi: quia nulla tunc alia ratio est, qua præsidium societati prorsus necessarium comparetur. Ergo socialis auctoritas debet 1° congruas armatorum copias ad societatem tuendam in promptu semper habere; 2° ad has copias obtinendas, si voluntaria conscriptio sufficiat, hæc sane præferenda est; 3° si voluntaria non sufficiat, coacta civium conscriptione utendum.

1130. Coroll. 1. — Voluntaria militum conscriptio his potissimum legibus subjicienda est, quæ ad societatem quamlibet voluntariam pertinent:

1° Libertas hominis conscribendi; contra quam peccabant olim qui filiosfamilias minores, aut famulos, paternæ aut herili auctoritati obnoxios, ad militarem conscriptionem alliciebant.

2° Libertas ipsius conscriptionis; qua libertate profecto carent quicunque vel per vim, vel per dolum ad nomen militiæ dandum inducuntur.

At, iniquis hisce artibus prætermissis, honestæ rationes quibus juventus ad militiam exercendam adducantur, societati recte constitutæ non desunt, cujusmodi hæ sunt: causæ armis defendendæ sanctitas; laus acquirenda ab eo qui fortiter vitæ discrimen pro illa subeat; præmia juste distribuenda, præsertim tranquillam commodamque senectutem emeritis militibus præstando. Quod præmiorum triplex genus, tribus humanæ actionis principiis, moralitatis studio, passionibus, vitæ necessitatibus, respondens, apte adhibitum, ingentes strenuosque exercitus voluntaria conscriptione olim celeberrimis ducibus suppeditavit.

Coroll. 2. — Coacta militum conscriptio toties licita est, quoties id socialis necessitas postulat. Socialis autem hæc necessitas a vi inimica comprimenda exoritur. Jamvero hæc inimica vis, sociali bono renitens, in civico ordine semper subsistit. Semper namque homines legi reluctantes adsunt. In ordine autem politico non semper vis illa adversa propulsanda occurrit, sed semper timenda est, atque ab illa perpetuo cavendum. Semper enim seditio, occulte conflata, explodere inopinato potest. In ordine tandem internationali vis illa inimica non semper instat, et quotiescunque illa exsurgeret, multis magnisque præsidiis ab hoste apparanda est, quæ belli inferendi consilium ab eo susceptum necessario produnt. Ergo, virium renitentium natura sola spectata, socialis necessitatis lex hoc postulat, ut vis quidem civica pleno sui muneris exercitio semper vigeat; vis publica semper ad actionem illi propriam aggrediendam sit parata; militaris denique tunc adornetur, quum periculum instat.

At, quoniam exercitus ex hodierna militari arte comparari apteque disponi sine diuturnis exercitationibus diuturnaque disciplina nequeunt; et quoniam cœtibus quibusdam hominum peculiari multarum rerum scientia præstantium, adeoque rei militari constanter addictorum illi omnino indigent; idcirco vis militaris apud hodiernas societates perpetuo debet adesse, exercitusque permanentes necessarii sunt.

Coroll. 3. — Coactam militum conscriptionem diximus tunc solum esse licitam, quando voluntaria non sufficit: cujus limitationis rationem facili negotio quisque potest perspicere. Etenim socialis operatio illuc semper spectare debet, ut unicuique civium

plenum tueatur usum omnium jurium *vivorum*, quæ scilicet ex eorum cum aliis juribus collisione integra manent. Atqui certissimum hoc cuique civium jus est, utendi videlicet ad vitam sustentandam his aut illis mediis, prout libuerit, atque hanc aut illam vitæ rationem pro lubito ineundi. Sui namque sustentatio pro quovis homine ad ordinem individualem per se et primario pertinet. Individualis autem ordo non a sociali auctoritate, sed ab cujusque hominis ratione gubernandus est. Ergo sociali auctoritati nequaquam per se et generaliter licet quidquam efficere, quo cives ad certam vitæ sustentandæ rationem præ cæteris amplectendam obliget. Tunc solum id ei licebit, quum jus illud individuale jure omnium sociorum majore aut æquali collidetur.

Unde intelligitur, quotiescunque pecunia vel alia quavis ratione, sine ullo societatis aut privatorum incommodo, sufficiens publica vis comparari potest, quoniam tunc juris individualis cum jure sociali collisio nulla est, jus privatorum ad vitæ suæ rationem pro lubito instituendam plane reviviscit. Itaque, ubi socialis auctoritas, necessitate urgente, sociorum numerum quemdam ad militiam cogit, hanc illis non ut munus aliquod ad vitæ sustentationem accommodatum, sed ut necessariam socialis organismi functionem imperat; ac proinde nulla in re ad ordinem individualem pertinente, sic jubendo, sese interponit, sed hoc solum curat, ut quisque civis ordini politico, ut par est, subserviat.

Coroll. 4. — Leges, quibus coacta militum conscriptio dirigenda est, ad has duas præcipuas reduci possunt: 1ª Qui aptiores ad militiam sunt, conscribantur; 2ª Coactæ conscriptionis onus æqua proportione in omnes societatis partes distribuatur. Priorem eam legem finalis necessitas hujus conscriptionis, posteriorem justitia distributiva postulat. Etenim debet auctoritas maximum vis publicæ per minimum onerum societati impositorum comparare. Atqui virium illarum quantitas non solum a militum numero, sed ab individuorum delectu pendet. Oneris prætereа cujusque gravitas minuitur, in omnia superficiei, cui sit imponendum, puncta illud apte distribuendo.

Jam quænam sit hujus distributionis ratio aptissima, ab iis determinandum est, qui de publica re apte utiliterque administranda disserunt. Nonnulla tamen ad jus ipsum pertinentia a nobis postremo loco hic adnotabuntur. 1ᵘᵐ Quoniam oneris cui-

que impositi proportio, et a viribus illius a quo portandum est, et ab aliorum onerum jam eidem impositorum quantitate pendet, idcirco a militari conscriptione jure ac merito eximentur tum qui jam aliis muneribus rei publicæ serviunt, tum qui rei domesticæ unicum in sua familia præsidium sunt, tum qui ad militaris vitæ functiones inepti prorsus videantur.

2um Rei publicæ defensio non solum corporis viribus ad militiam adhibitis, sed aliis quoque pluribus subsidiis indiget. Itaque justitiæ lex jubet horum subsidiorum plus ab illis sociis exquiri, qui corporis vires ad communem tutelam minus conferant.

3um Sunt qui existimant nemini permittendum esse, ut a militia, homine valido aptoque in sui locum suffecto, sese eximat : his enim suffectionibus, aiunt illi, exercitus optimis sæpe ductoribus ac præfectis privatur. At vero, quod ad jus ipsum et æquitatem attinet, manifestum est, nequaquam esse eum qui renitatur, ad militiam cogendum, quoties alius vir æque validus in ejus locum succedere ultro consentit. Quod autem spectat ad rei militaris utilitatem, non minus evidens est illius gratia suffectiones militares minime esse respuendas : 1° Quia utilitas quæ a renitentibus obtinenda speratur, incerta et rara est; non omnes namque renitentes illi fient egregii centuriones ac belli duces; damnum vero renitentibus illatum, ubi substitutiones omnes vetentur, certum est atque universale ; 2° Quia ad altiora quæque militiæ munera permulti semper adsunt sese ultro offerentes, quorum plerique, nisi hac occasione rei militaris exercendæ excitarentur, ingenium et industriam, quibus ad hanc artem pollent, otio et inertia consepelirent. Contra vero, qui animo sunt a re militari alieno, nulla etiam ingenii vi ad hanc artem accommodata, ut plurimum, vigent. Ad quas namque artes quisque aptus est, ad easdem quoque naturæ propensione fertur.

4um Vis bellicæ status socialis a statu virium civicæ et politicæ multum differt. Etenim vires civica et politica suis fungi muneribus possunt, quin a societate cui serviunt, procul abeant, et quidquam de vitæ civilis utilitatibus deperdant. At vis bellica, seu miles proprie dictus, quum perpetuis migrationibus ad alias aliasque regiones sæpe et lingua et moribus et religione ipsi extraneas proficisci, ibique diu quandoque commorari debeat, dum ad militiam conscribitur, hoc ipso pene omnibus privatur commodis ab civili societate, ad cujus bonum vires suas vitamque ipsam insumit, provenientibus. Quapropter multis rationibus

societas tenetur tot tantarumque utilitatum jacturam, quantum quidem fieri possit, militibus compensare. Hæc vero causa est, cur exercitus sit particularis quædam societas, undequaque completa, propriis suis præfectis, legibus, domibus instructa; per quæ omnia *esse* quoddam a reliqua societate distinctum habet.

Coroll. 5. — Ad validius vim socialem constituendam, præter militum et numerum et delectum, alia sunt permulta quæ a sociali auctoritate sunt procuranda, et, a rei militaris doctoribus fuse explicata, a nobis hic omittuntur, ut quæ nullam moralitatis speciem peculiarem contineant. Etenim militum acies strenue exercere, arma et cibaria opportune comparare, morali militum educationi consulere, et hujusmodi auctoritatis officia nihil aliud sunt quam particularis applicatio officiorum, quibus omnes rei publicæ administri hypotactici, ac præsides obligantur, quæque jam superius, quantum satis est, a nobis sunt pertractata. Itaque tria tantum breviter innuenda supersunt:

1um Manifestum est, supremæ sociali auctoritati jus esse arces et castella construendi, quorum ope non solum externi hostis impetus retundantur, sed civium quoque turbulentorum seditiones multo facilius comprimantur. His quidem præsidiis, utpote ad populos coërcendos validissimis, etiam malus princeps ad suam defendendam tyrannidem sane utetur. Atqui, ubi suprema auctoritas politica penes populum jure sit, recta utique ratio postulat, ut nulla ejusmodi munimenta et castella construantur, aut conserventur, quæ jurium popularium exercitium impedire possint. At vero, si monarchica penes unum hominem suprema potestas sit, ob eamdem illam causam ei sane licebit arces et castella construere, quorum ope tranquillam auctoritatis suæ possessionem usumque liberum tueatur. Igitur arces ipsis urbibus imminentes ad seditionum audaciam compescendam exstruens monarcha, non solum nil agit populi juribus repugnans, sed officio suo fungitur, quo tenetur publicam tranquillitatem minimis quam fieri possit sumptibus tutari.

2um Quod ad minimos sumptus in rei militaris practicæ dispositione faciendos spectat, multa ab Œconomia Politica, a Politica Applicata atque a Tactica Militari disputantur. Harum namque facultatum est determinare varias formas quibus armatorum copiæ possunt organice disponi; quibus denique modis artifices et agricolæ minimo tempore utilibus ac necessariis opificiis subtrahantur; minimum libertas individualis lædatur; minimum

societas domestica turbetur; minima moralis honestatis in militum animis corrumpendæ occasio præbeatur.

At, quoniam eventus militum armis obtinendi certitudo est una ex conditionibus ad vis publicæ perfectionem pertinentibus, hoc unum hic notabimus : scilicet, ut finis ad quem vis publica essentialiter est ordinata, obtineatur, moralis honestas et sana religio in militum pectoribus summa cura fovenda et conservanda est. Etenim, quum vis publica tam valide firmiterque constituta esse debeat, ut nulla illi vis alia resistere possit, si exercitus probitas atque honestas corrumpatur, evidens est, totius ordinis socialis publicæque tranquillitatis ac privatarum fortunarum exitium ab illo impendens esse perpetuo formidandum. Militari namque exercitus tyrannidi nulla civitas resistere potest. Quod quidem omnium temporum monumenta confirmant. Apud omnes enim populos, sed in romano præsertim imperio, prætorianorum et reliqui exercitus vis, a proprio suo fine atque instituto aberrans, innumera in rem-publicam mala, summamque perniciem adduxit.

Igitur rei publicæ plurimum interest, ut in militum animis honestatis studium et religionis amor semper vigeant. Inde enim officii sui publicique boni constans invictumque studium et milites et militum præfecti ducesque haurient.

Unde intelligitur quanto mentis errore decipiantur ii qui omnem mortis metum ex militum pectoribus, omni religionis sensu vitæque futuræ fide in iisdem exstincta, depellendum esse statuunt. Etenim, siquidem ad publicam tranquillitatem armorum præsidio tutandam miles esse strenuus atque impavidus debet, at illum non minore probitate ac fide erga patriam, patriasque potestates legitimas præditum esse oportet. Jamvero et constans erga patriam fides et strenua contra hostes virtus a ratione, ab officii conscientia, a religionis studio promanant : hæc namque una sunt actionis humanæ principia naturalia.

3um Ex iis quæ superius de vis publicæ natura diximus, manifestum sit, eam, pro diverso objecto ad quod diversæ illius partes ordinantur, administrandam esse ab ea persona penes quam suprema socialis potestas illi objecto correlative residet. Itaque in monarchia supremus vis publicæ ordinator et administer monarcha solus est. In polyarchiis vero unaquæque vis publicæ species pendere debet ab illa potestate, cui peculiaris objecti, in quod unaquæque vis ordinatur, cura commissa est.

CAPUT X.

De jurium politicorum distributione.

ARTICULUS I.

De jurium politicorum inter plures personas distribuendorum necessitate.

1131. NOTANDUM. — Quoniam persona, penes quam suprema jura socialia resident, unica vel physice vel moraliter esse absolute potest, quærendum hic postremo loco est, utrum sociale bonum universe postulet necne, ut jura politica in plures physice personas distribuantur. Non desunt enim qui putent tyrannicum suapte natura esse principatum quoties penes principem physice unum omnia supremæ auctoritatis jura conjuncta resident, ita ut qui legem condiderit, et ejus executioni præsit, et de hac exsecutione juridice ipse cognoscat. Quæ quidem quæstio affinis est ei quam libro IV, cap. 6, art. 4, jam pertractavimus, quænam videlicet principatus forma, monarchica an polyarchica, optima sit. Atque ex iis quæ libro illo quarto de monarchicæ formæ laudibus et de regiminis repræsentativi, præsertim neoterici, vitiis disputavimus, facilis hujus erroris postremi refutatio colligitur. Attamen paucis ille adhuc, ad coronidem huic juri politico imponendam, refellendus a nobis est.

1132. POS. 557a. — Jura politica non sunt in plures personas, nisi ob veram necessitatem, distribuenda.

PROB. — Principium maxime omnium essentiale ac necessarium ad societatem constituendam, est unitas auctoritatis, a qua potissimum unitas societatis ipsius enascitur (484). Ergo quidquid unitatem illam socialis auctoritatis imminuit, est per se malum quoddam sociale, nec bonum sociale evadere potest, nisi quatenus hæc unitatis imminutio necessaria est ad majora mala impedienda. Atqui jurium politicorum in plures personas distributio unitatem auctoritatis in concreto existentis imminuit, ut evidenter patet. Ergo quælibet jurium politicorum distributio

non necessaria est merum societatis malum, atque a recta omni politica constitutione constanter prohibenda est.

1133. Pos. 558. — Nulla est universalis et absoluta necessitas, a sociali bono proveniens, jura politica in plures personas distribuendi.

PROB. — Ut necessitas illa supremam auctoritatem distribuendi absoluta et universalis adesset, deberet profecto totius auctoritatis supremæ in personam seu physice seu moraliter unicam conjunctio abusum supremæ auctoritatis et tyrannicum principatum suapte natura et necessario parere. Atqui ex illa conjunctione non necessario abusus potestatis enascitur.

Nam 1° certum est plurimos apud omnes gentes exstitisse Monarchas, qui populi utilitatibus sincero constantique studio servierunt.

2° Etsi verum sit quamlibet humanam potestatem eo suapte natura tendere, ut magis ac magis invalescat, omnibusque inferioribus viribus atque opibus ad suam vim confirmandam et augendam uti; attamen præter hanc et supra hanc naturalem cujusque potestatis tendentiam adsunt in Monarchæ animo, et plerumque prævalent, rationis et moralis conscientiæ vires, quibus ille ad populi bonum fideliter procurandum excitatur. Etenim officii justitiæque sensus sæpe in humanis pectoribus validior est quocunque privatarum utilitatum amore; et nulla est inter homines vitæ conditio, quæ minoribus urgeatur incitamentis ad malum aliis hominibus inferendum, quam supremus ille dignitatis ac potentiæ gradus, omni honorum et commodorum genere abundans, quem Monarcha tenet : nam qui omnibus dignitate atque opibus præstat, est in omnes sponte sua beneficus, ut vidimus nn. 462 et 463.

3° Monarchæ ipsi plerumque probe intelligunt ad eorum privatam ipsam utilitatem publicum societatis bonum maxime pertinere; præsertim vero quum publici mores jam admodum exculti sunt, et civium animi ad cognoscendum et judicandum de principis regimine intenti. Unde fit, ut, si politica sua potestate princeps cum populi detrimento abutatur, multum illi timendum sit, ne populus paulatim commotus eum tandem e solio detrusum tumultuario impetu exigat : quod nostra patrumque memoria jam sæpe nimis evenisse dolendum est. Huc pertinent quæ de naturali principatus monarchici ad populi utilitates sincere curandas propensione, et de naturalibus supremæ potestatis

temperamentis a monarchia magis quam a polyarchia qualibet præstitis disseruimus n. 515.

4° Jurium politicorum in plures personas divisio, quæ ad tyrannidem impediendam exposcitur, in tyrannidem suapte natura atque ex morali necessitate desciscit; quod jam libro 4°, contra regimen repræsentativum neotericum disputantes probavimus (520, 537). Nam inter varias potestates principatus proprias una semper adest, potestas exsecutiva, quæ, quum omnes societatis vires opesque in suis manibus habeat, semper potest cæteras vel promissis, donis, fraudibus allicere in suasque partes trahere, vel minis, mulctis, vexationibus omnis generis frangere ac plane domare. Ergo tunc persona quæ potestatem exsecutivam possidet, una regnabit: nulla amplius erit potestatum diversarum oppositio et reciproca observatio, qua principatum nostri boni sperabant se coacturos ut ad publicum bonum procurandum unice incumberet. Ac præterea potestas exsecutiva sociales vires ac facultates, suam industriam suosque labores, quæ omnia ad publicum bonum curandum adhibere ex officio stricto deberet, in alias potestates supremas aut corrumpendas aut comprimendas, eo modo quem innuimus et paulo fusius libro 4_0 explicuimus (520), insumet. Ergo veram tyrannidem et in alias personas supremæ auctoritatis participes et in populum universum exercebit.

5° Ex hac divisione potestatum consequuntur gravissima incommoda quæ libro 4° (515, 516) indicavimus, infirmitas et inconstantia regiminis, tarditas in negotiis, factionum colluctatio, etc.

Ergo, utcunque spectetur illa potestatum divisio, et inutilis ad suum finem et perniciosa multis modis omnino est.

ARTICULUS II.

De opta jurium politicorum apud principis personam unam aut multiplicem subordinatione.

1134. Pos. 559a. — Varia supremæ auctoritatis jura sic disponenda penes principem sunt, ut vis materialis semper sit vi morali subordinata.

Expl. Omnia supremæ auctoritatis jura ad publicum societatis bonum suapte natura sunt ordinata (454). Quid autem in singulis casibus ad publicum bonum pertineat, rationis et conscientiæ est

judicare. Ergo vis materialis, quæ instrumentum est ad illa exsequenda quæ ad societatis bonum pertinent, debet morali rationis et conscientiæ vi penes principem semper obtemperare. Ergo varia supremæ auctoritatis jura sic vel in una vel in multiplici persona disponenda sunt, ut vis materialis exsecutivæ potestatis sub morali rationis et conscientiæ vi constanter subjecta permaneat.

1135. Pos. 560ª. — Tres sunt rationes vim materialem vi morali penes principem subordinandi : prima materialis, altera moralis, tertia mixta ; quarum bonitas a præsenti societatis statu morali pendet.

Explic. 1ª pars. — Duplex est et contraria ratio obtinendi ut vis materialis penes principem vi morali constanter sit subordinata. Prima, efficiendo, ut princeps, vis materialis possessor, ultro sese vi morali, juri videlicet ac rationi, subjiciat. Altera, efficiendo ut ille vel invitus debeat vi morali obtemperare. Prior illa ratio procedit veritatis lumen justitiæque amorem penitus apud principis animum constabiliendo. Posterior operatur malefico passionum, quibus princeps agitur, instinctui reactionem aliarum passionum validiorum opponendo. Itaque binæ primum adsunt contrariæ rationes politici regiminis supremi disponendi, binis humani compositi elementis respondentes, animo nempe et corpori. At vero, sicuti humanæ naturæ perfectio in apta duplicis hujus elementi compositione in unicum subjectum ac subordinatione consistit, ita politici regiminis perfecta dispositio illa est, in qua binæ rationes illæ simul conjunctæ, riteque sunt subordinatæ. Ergo præter binas illas contrarias rationes tertia quædam ex duarum priorum conjunctione resultans adest, qua jura politica possint in principis unica vel multiplici personas disponi apteque subordinari.

Explic. 2ª pars. — Multum profecto inter philosophicam quamque theoriam et politicum regimen illi respondens differt. Theoria namque verum absolute persequitur ; politicum autem regimen ad bonum societatis perficiendum intendi omni ex parte debet. Theoria, quum circa rerum ideas tantummodo versetur, plena in suum objectum libertate utitur ; at politicum regimen, quippe quod in alienas voluntates liberas operetur, ab diverso illarum statu plurimum pendet. Igitur theoria recta erit, modo verum absolute exhibeat : sed politicum regimen, ut aptum ac perfectum sit, non solum ad bonum, quod esset absolute societati obtinendum, conniti debet, sed etiam suas ipsius formas ad vo-

luntates, a quibus sociale bonum efficiendum est, juxta præsentem earum statum, accommodare. Ergo in politica illa soietate in qua rationis et conscientiæ vis longe prævalet, multo minus erit necessaria contrariarum passionum oppositio ad istarum æquilibrium obtinendum. Ubi vero juris et conscientiæ sensum apud eos qui rem publicam gerunt, languere perspectum sit, major utique apud illos, passionum oppositio adhibenda est. Atqui passionum æquilibrium, ubi juris et conscientiæ sensus deficiat, non aliter obtineri potest, quam efficiendo ut singulæ partem supremæ auctoritatis possideant. Ergo jurium politicorum apta compositio et subordinatio per hanc aut illam ex tribus rationibus nuper enumeratis a præsenti statu morali societatis omnino deducenda est.

1136. Coroll. 1.— Jurium igitur politicorum in plures personas divisio tantummodo ob moralem et politicam societatis corruptionem fit necessaria; ac tanto magis est necessaria tantoque major adhibenda est, quo magis apud societatem, cujus politicum regimen est constituendum, rationis et moralis conscientiæ vis exstincta est. E contrario, quanto majorem politica populi cujuspiam constitutio moralis conscientiæ vim præbet iis qui rem publicam gerunt, eo minus jurium politicorum divisio necessaria vel utilis est.

Coroll. 2. — Doctrina nuper tradita, ubi variis principatibus in concreto applicetur, has facile conclusiones suppeditabit.

1° Quoniam supremæ auctoritatis divisio eo magis vel minus utilis ad publicum bonum est, quo magis vel minus facile a pravis passionibus princeps quisque commoveri potest; ergo Creatoris principatus eo perfectior est quo magis est absolutus et independens.

2° Improbi hominis principatus eo meliôr est, quo pluribus ac validioribus vinculis impeditur.

3° Principatus hominis, apud quem humanæ naturæ infirmitas nullo peculiari præsidio morali sustentatur, quique idcirco ad passionum errores propensus est, multis communiri obstaculis atque impedimentis debet, ne ille suprema auctoritate cum populi detrimento abutatur.

4° Denique principatus hominis qui et naturalibus optimæ institutionis, et supernaturalibus veræ ac divinitus institutæ religionis subsidiis instructus sit, longe minoribus frenis continendus erit, utpote qui sincero constantique officii sui publicique

boni studio jam seipsum ab omni malarum passionum incursu defendit.

Cum particulari ista doctrinæ superius traditæ applicatione historia generis humani universa optime consentit. Etenim principio in societate patriarchali socialis auctoritas suprema, duplici primitivæ religionis et charitatis paternæ præsidio innixa, perfectam absolutamque nacta est unitatem. Deinde, religionis atque honestatis studio paulatim ex humanis societatibus dilapso, supremæ auctoritatis divisio apud cultiores quosque populos invecta est. Quæ quidem prima divisio pacem et quietem apud populos reductam aliquanto tempore conservavit, per mutuam plurium personarum supremam auctoritatem administrantium oppositionem. At plures hi rei publicæ moderatores, studiis sensim conjunctis, in corpus quoddam sæpe coalescebant, quod suprema potestate, non secus ac si una physice persona esset, ad privatas suas utilitates cum rei publicæ damno abutebatur : vel una aliqua plurium illarum personarum, cæteris oppressis ac de medio sublatis, supremam auctoritatem omnem sibi vindicabat, sævamque in populos tyrannidem exercebat. Tum vero novæ jurium divisiones ad tyrannidem propulsandam inducebantur ; unde perpetua quædam oriebatur tendentia democratica, seu potius anarchica, quæ ubi summam populis perniciem attulerat, *despotismum* gignebat.

At vero Deus ipse terris illapsus perfectam apud homines monarchiam creavit, doctrina infallibili ac lege sanctissima subnixam ; quam quidem unico homini, perpetua successione, committens, supremam illius auctoritatem, ad genus humanum universum sanctissimas religionis et morum doctrinas legesque docendum constitutam, formis quibusdam aristocraticis adjectis, temperavit. Ex eo tempore plerique populi, ubique terrarum nova hac societate universali jam conjuncti, possibilem iterum existimarunt apud eos qui rem publicam gererent, talem moralis conscientiæ vim, quæ passiones omnes publico bono adversantes efficaciter coërceret; talem scilicet principatum, qui rationis atque honestatis legibus constanter regeretur. Hinc vero factum est, ut multæ passim monarchiæ absolutæ, populis adsentientibus, exsurgerent. Fiduciam enim populis erga monarchas afferebat tum religio christiana quam monarchæ communem cum populo colebant, tum supremi Pontificis tutela, qui et populis et

regibus summa auctoritate, quam omnes æque verebantur, jus dicebat.

Igitur, quum plerique principes potentiam regiam pontificiæ potestati prorsus distinctæ subjicerent, multi inter eos omni virtutum genere præcellentes exstitere, suosque principes summa observantia, fide atque amore populi passim complexi sunt. Tunc etiam monarchicum regimen auctoritate maxime absoluta potitum est, diuque illam in populos ultro obtemperantes exercuit.

At, labentibus seculis, principes paulatim sese tum paternæ universalis christianorum Pontificis jurisdictioni, tum rationis et honestatis consiliis, primum quidem facto, deinde etiam doctrina ipsa subduxerunt. Quamobrem, populorum fiducia erga suos principes sensim quoque deficiente, supremæ auctoritatis divisio denuo apud cultiores quasque gentes inducitur.

Coroll. 3. — Jam de supremæ auctoritatis divisione hoc merito constitui a nobis potest : absolutam illius unitatem esse politicum regimen integræ et incorruptæ humanæ naturæ proprium; illius divisionem ad corruptam et collapsam hominum naturam pertinere; naturæ autem humanæ per christianam religionem reparatæ naturalem motum eo tendere, ut ad absolutam auctoritatis unitatem propius semper accedat. Scilicet supremæ auctoritatis divisio ab hominum vitio dimanat, estque principium quoddam socialis destructionis quod alii promptioris destructionis principio, nempe tyrannidi, opponi solet. Ejusdem absoluta unitas e contrario a natura ipsa provenit (431, 452), ac socialis perfectionis est naturale principium. Postremum, auctoritatis summæ divisio talis, quæ ad unitatem magis semper ac magis reducatur, est politicum regimen præsenti hominum statui, in quo ratio simul et vitium naturæ humanæ dominantur, maxime conveniens; eaque est principium varia ratione applicandum pro variis oscillationibus, quas et individua et societates universæ perpetuo subeunt, modo in sensibilem, modo in rationalem felicitatem vehementius inhiantes.

LIBER UNDECIMUS.

JURIS SOCIALIS PARS SEXTA.

DE ACTIONE RECIPROCA INTER PLURES SOCIETATES INDEPENDENTES.

Jus internationale.

CAPUT I.

De officiis internationalibus in statu pacato, ad politicam societatum aequalium existentiam pertinentibus.

ARTICULUS I.

De primo juris internationalis principio.

1137. NOTANDUM 1. — Quæ de publica hominum societate universim spectatæ hactenus disputavimus, ea facili negotio ad societatem amplissimam, ex universo hominum genere constantem, applicari possunt. Etenim quæcunque, societatem quamque particularibus comprehensam limitibus contemplantes, generaliter constituimus, ea nunc, mutatis solummodo objecti dimensionibus, de universali totius humani generis societate verissime statuentur. Primo igitur ex principiis superius traditis propria societatis internationalis natura declaranda est. Et quoniam societas internationalis non aliud esse potest, quam complexio socialium relationum emergentium ex justitia et jure universalibus ad varios populos inter se independentes per facta quædam particularia applicatis (470, seq.), idcirco primum omnium facta hæc particularia, quæ certas quasdam relationes sociales inter varios populos æquales pepererint, cognoscenda sunt singillatim atque omnino determinanda.

Ex illis autem relationibus certa jura, certa officia illis populis æqualibus enascuntur, quæ quidem *leges internationales* appel-

labimus. Cumque societatis internationalis proprius finis in harum legum observatione promovenda tutandaque consistat, ex hoc fine colligendum est, quænam societatis illius natura sit, quænam illius politica ordinatio esse debeat, ut ea possit efficaciter nationum consociatarum jura tueri, et officiorum, quibus populi erga populos æquales tenentur, observationem obtinere.

Animadvertendum denique hic est, *nationis* nomine in tota hac de juribus et officiis internationalibus disputatione intelligi « politicam societatem quamlibet sui juris et independentem, » omissa hujus vocis alia pressiore acceptione, quæ ad nationem unicam constituendam postulat stirpis, linguæ, regionis, aliorumque hujusmodi identitatem.

NOTANDUM 2. — Quoniam societas internationalis a morali hominis operatione enascitur, unde fit ut ejus formatio moralibus legibus sit obnoxia; idcirco ad hujus societatis naturam probe intelligendam eadem via, quam de individuis loquentes secuti sumus, hic quoque procedendum est : nimirum jura et officia universalia, inter binas quascunque nationes æquales inintercedentia, primum consideranda sunt. Quorum quidem jurium et officiorum conservatio et perfectio ad societatem internationalem essentialiter pertinet : quocirca jure illa sub hoc respectu appellari potest *civica nationum societas*. In hunc autem finem tantisper fingamus duas tantum nationes æquales, seu societates independentes in terris existere, et relationes, quas communia naturæ principia inter illas statuant, perscrutemur.

NOTANDUM 3. — Relationes quæ plures inter nationes intercedunt, non possunt realiter et moraliter exerceri nisi inter earum principes, sive monarchicus, sive polyarchicus unusquisque illorum tandem sit. Quanquam pro diversa principatus forma diversos etiam effectus relatio internationalis gignere possit, attamen, quod ad naturam ipsam ejus relationis attinet, certum est eam semper terminari ad socialem cujusque nationis unitatem, quæ singularum auctoritate concrete sumpta, quæcunque illa sit, essentialiter constituitur (740).

1138. POS. 561ª. — Primum juris internationalis principium est, nationem quamque ita cum alia natione quavis agere oportere, ut ejus felicitatem pro viribus promoveat.

PROB. — Relationes internationales non aliter possunt quam variarum inter nationum principes exerceri, ut nuper notando 3º animadvertimus. Jamvero fundamentalis et primaria relatio

quæ inter principes intercedit est relatio individuorum ejusdem speciei et undequaque æqualium, ut qui pariter sunt independentes : et relatio individuorum ejusdem speciei et æqualium est communis obligatio cooperandi ad Creatoris intentionem assequendam, quæ est commune illorum omnium bonum et felicitas (743). Creatoris namque intentio hæc est, ut suprema auctoritas in quavis societate temporalem suorum subditorum felicitatem, sub justitiæ et æqualitatis legibus, procuret (454). Ergo ob primariam hanc relationem suprema quæque auctoritas, dum, quatenus est pure auctoritas, debet suorum felicitatem perficere, debet simul, quatenus est alteri supremæ auctoritati æqualis, velle et efficere, ut ea quoque auctoritas communem suorum felicitatem obtineat. Hæc enim Creatoris mens et voluntas est, ut auctoritas quæque felicitati suorum efficaciter consulat.

Idem autem ratiocinium prorsus constat respectu duarum societatum æqualium, si per se ipsæ, non per earum auctoritates, comparentur : nam ex earum æqualitate, et pari ad eumdem finem ex intentione Creatoris destinatione, idem officium amoris mutui exoritur. Ergo, etc.

1139. Coroll. 1. — Ex primo illo juris internationalis principio moralis hæc summa lex, qua omnes principes, idest omnes societates independentes, alter erga alterum, tenentur, enascitur : *Societas quæque ita cum alia societate agere debet, ut nihil in suis subditis efficiat, nihil ab eisdem exigat, quod alii societati detrimentum afferat.*

Quoniam vero hæc lex ad omnes pariter societates æquales pertinet, idcirco cuilibet societati independenti jus commune est, ut ne ab alia ulla impediatur, quominus suorum subditorum jura tueatur et felicitatem promoveat. Unde quisque intelligit, quantopere vituperanda sit ea doctrina quæ statuit licere quandoque populo cuipiam alterum populum bello aggredi ob hanc unam causam, quod hic prospera præter modum fortuna utatur, et magis magisque in dies invalescat.

Coroll. 2. — Quanquam societates omnes independentes, non secus atque homines individui, mutuum sibi vicissim amorem debeant, duo tamen sunt, quibus lex amoris inter societates a lege amoris inter individua differt. 1um Quoniam amare aliquem, est illius bonum efficaciter velle, et bonum societatis ad individuorum, quibus ea componitur, commune bonum essentialiter subordinatur (484, 735); idcirco mutuus, qui inter

societates, sive inter earum principes, ut tales, intercedere debet, amor non consistit in amore personali alterius principis, sed in optando et procurando alterius societatis universæ bono, ad individuale singulorum sociorum bonum ordinato.

2um In principatu monarchico unus ille qui socialem auctoritatem totam possidet, est hoc ipso vir in societate præpotens : at in polyarchia, apud quam potestas omnis politica in polyarcharum consensu residet, singuli polyarchæ nullam privatim politicæ potentiæ partem habent. Hinc vero fit, ut monarcha, in quibusdam suis, individualibus potius quam socialibus, officiis adimplendis, possit quandoque, aut etiam debeat uti ea potentia, quam a suo principatu habet ; quod quidem polyarcharum nulli unquam licet. Etenim monarcha unicum individuum est omni principatus auctoritate pollens. Atqui in officiis suis individualibus implendis debet quisque, juxta individualem suam conscientiam, vires officio suo proportionatas adhibere. Ergo, siquando individuale officium majores, quam quæ homini privato insunt, vires et potentiam postulet, monarcha, qui vires omnes sociales in manibus habet, potest utique, interdum etiam debet, sociales istas vires et potentiam ad privatum atque individuale suum officium implendum adhibere. At polyarchæ, quoniam sociales vires movere, nisi per socialem consensum, non possunt, ad nullum privatum suum opus vi publica uti possunt.

Coroll. 3. — Quæ de primo juris internationalis principio diximus, jam sufficiunt, ut intelligamus, ad quamnam normam dirigi sociales omnes deliberationes debeant, quoties societas aliqua fœdus cum alia quodcunque jungit. Debet nempe illa considerare : 1° An particulares novi fœderis conditiones politicam illius ipsius existentiam perficiant, majora illi media suppeditando, quibus suorum felicitatem procurare possit ; — 2° Utrum eædem illæ conditiones utiles futuræ sint ad perficiendas politice eas societates, quibuscum novo fœdere conjungitur, ita ut auctoritates singulis earum præfectæ non ad earum damnum, sed potius ad positivum earum bonum spectaturæ videantur. Hoc enim est præcipuum discrimen, quo amor inter individua ab amore inter societates differt, a diversa personarum associatarum natura proveniens. Etenim in persona physice una, quum corpus omni sensu per se ipsum careat, unicus est sensus, unicum consilium in anima residens; adeoque, siquis uni physice personæ placere quærat, ejus unius bonum comparandum illi est. At in persona morali, quæ ex

sociis et principe simul conjunctis constat, multitudo propriam sibi mentem ac sensum in singulis sociis habet : qui sensus potest a voluntate principis offendi. Quare fœderis conditiones a principe propositæ possunt quandoque societatis illi subditæ bono repugnare, ac propterea, ut quæ iujustæ essent, nequeunt licite ab alia societate acceptari, nisi hæc velit tali injustitiæ cooperari. — 3° Quando plures principes relationibus individualibus conjuncti sunt, possunt utique hi personalibus subsidiis ac benefactis easdem fovere, sed ita tamen ut personalium istiusmodi beneficiorum alternatio nullum societatibus, quibus illi præsunt, damnum sit unquam allatura. — 4° Idipsum de polyarchiis aristocraticis dicendum est, in quibus certo cuidam numero familiarum, penes quas suprema potestas jure hereditario constanter residet, utilitates et commoda sunt ab universi populi utilitatibus diversa. Possunt nempe tales aristocratiæ, fœdera cum aliis societatibus ineuntes, particularibus suis utilitatibus eatenus consulere, quatenus nullo per eas damno vel suos vel alienos subditos afficiant.

Coroll. 4. — Ex hactenus explicatis hæc jam satis constant : 1° Ex universali juris naturalis principio, quod est : *Bonum facito*, societati plurium nationum æqualium applicato primam juris internationalis legem enasci, quæ est *lex amoris internationalis*. — 2° Amoris internationalis objectum adæquatum esse integras ipsas societates seu nationes. — 3° Illius finem esse earumdem nationum felicitatem. — 4° Organum, per quod mutuus hic amor exerceri debet, esse cujusque nationis principem. — 5° Normas, ad quas amor ille internationalis exigendus est, binas esse : *justitiam*, quæ ab alienis juribus lædendis abstinet, ac *benevolentiam*, quæ cum aliis nationibus sua bona communicat.

Quoniam vero, ut alibi jam notavimus (917), societatis idea complexa et multitudinem sociorum, et socialia instituta, et personam in qua auctoritas socialis residet, et territorium quod societas incolit, comprehendit; idcirco singula ista elementa sunt amoris internationalis partiale et inadæquatum objectum, cujus conservationem et perfectionem ille amor velle debet.

Jamvero hujus amoris internationalis et officium aliis exhibendi, et vicissim jus ab aliis obtinendi cuicunque nationi est : quod quidem jus, quatenus hic amor ad aliena jura non lædenda pertinet, est jus proprie et stricte dictum; quatenus vero ad benevolentiæ actus attinet, est jus minus proprio et latiore sensu

acceptum. Ex hac autem distinctione colligendum est quandonam societas aliqua independens veram injuriam ab alia passa sit, et, ad jus suum repetendum et offensorem puniendum, aliam societatem bello possit lacessere. Solâ namque jurium proprie et stricte dictorum violatio èst ea quæ veram injuriam constituit, et jus illius ulciscendæ tribuit: alia vero minus proprie dicta jura, quum sub exactam æstimationem cadere nequeant, jus talis ultionis, cujus quantitas determinari non posset, nunquam conferunt; nisi forte ob peculiares circumstantias officium benevolentiæ in officium justitiæ mutaretur.

Et quoniam jura privatorum sunt æque inviolabilia quam jura societatum, idcirco potest ac debet societas quævis apud alias æquales societates privata suorum jura et tueri et ulcisci. Quâ in re tamen hoc probe animadvertendum est: Si individualium jurium in aliquo socio ab alia natione violatorum ultio grave nationi læsæ universæ periculum gignere posset, tunc profecto inspicienda sedulo est juris illius individualis cum jure et periculo sociali collisio; cum jure et periculo sociali, inquam, non autem cum multorum individuorum periculo. Etenim fieri aliquando potest, ut bellum ad jura unius socii violata ulciscenda susceptum multorum laboribus et morte sustinendum sit. At vero singulis et omnibus sociis pacificam securamque omnium suorum jurium possessionem tueri et conservare tantum bonum est, ut illius causa nonnullorum civium jactura toleranda sit.

E contrario, si ad jus individui violatum vindicandum hostis longe potentior sit oppugnandus, ita ut præsenti cladis et exitii periculo tota societas aggressura exponatur, potest ac plerunque debet injuria in privatum commissa æquo animo pro communi salute sufferri, abjecto quovis illius ulciscendæ consilio.

COROLL. 5. — Quæri hoc loco potest, utrum societati cuipiam universæ possit externa aliqua relatio esse cum individuis ei minime subjectis: tunc enim mutua officia aliquatenus diversa esse possent. Jam individuum potest vel omnino independens esse, vel alii societati subditum. Quod individuum alii societati est subjectum, non potest aliter spectari quam ut inhærens societati ad quam illud pertinet, et idcirco externæ cuivis nationi agendum est cum illo individuo tanquam cum membro illius societatis diversæ.

Quod vero individuum est prorsus independens vel familiam et agros sibi proprios possidet, vel solus et nulli loco hærens

huc illuc vagatur. Si posterior hæc sit ejus conditio, nulla societas cum illo agere potest, quin illud, saltem ad tempus membrum quodammodo hujus societatis evadat (437). Itaque societas, cum tali homine agens, omnia saltem auctoritatis universalis, e generali humana associatione resultantis, jura in illum habebit. Quæ quidem relatio societatis ad externum hominem qui apud illam vagetur, elementaria suppeditat principia legum omnium, quæ in omni societate advenis hominibus imponi solent. Hujus autem relationis particulares applicationes maxime variæ esse possunt pro diverso gradu moralis et civilis honestatis, quam advenæ isti præseferant. Tranquillus quippe et innoxius alienigena nullum societati apud quam degit, damnum aut periculum parit. At dubiæ probitatis advena graves societati, quæ illum exceperit, perturbationes et discrimina afferre potest, et subditus ejusdem societatis evadet non solum ob temporarium utriusque contactum, sed multo etiam magis ob diminutionem naturalis independentiæ ab delicto provenientem (679).

Denique individuum independens, quod cum sua familia terras a se jure proprio possessas incolat, societatem domesticam independentem utique constituit, et principium quoddam politicæ auctoritatis supremæ habet (504). Itaque, quotiescumque alia societas independens cum tali familia independente agit, inter hanc familiam, sive illius caput, et eam societatem vera intercedit relatio internationalis. Principatus enim domesticus non differt essentialiter a principatu politico, quum uterque sit relate ad suam societatem suprema et independens socialis auctoritas : erratica autem hujus familiæ conditio nihil de illius juribus detrahere potest. Quod enim terras jam a se possessas ea sæpe deserat, ut alias occupet, nequaquam vicinis populis jus tribuebat eam a suis terris, quamdiu in illis considebat, vi et armis expellendi, sed solum in eas succedendi, statim ac ab ea familia essent desertæ.

Quæ toto hoc articulo docuimus, morale criterium suppeditant, quo de majorum nostrorum irruptionibus in Americæ regiones a tranquillis pacatisque populis ac tribubus jamdudum occupatas juste judicare possumus.

ARTICULUS II.

De jure et officio internationalibus societates æquales ab externorum hostium aggressionibus defendendi.

1140. Pos. 562ª. — Unaquæque natio debet alii cuicumque nationi efficaciter optare et statum politicum ipsi debitum, et actionis politicæ perfectionem.

Prob. — Ex universali humanitatis lege ad nationum mutuas relationes applicata constat (1138) unamquamque nationem debere aliarum omnium nationum bonum seu felicitatem efficaciter amare, adeoque pro viribus promovere. Atqui bonum et felicitas cujusque nationis duobus continetur, congruæ existentiæ conservatione et operationis socialis perfectione (484, 486). Ergo quælibet natio independens debet efficaciter et politicam existentiam et politicæ actionis perfectionem aliis nationibus optare; nimirum debet eas omnes, quibuscum aliqua in concreto relatione conjungitur, pro viribus adjuvare, ut unaquæque et politicum statum sibi debitum vel conservet vel recuperet, et suos socios civiliter felices efficiat.

1141. Coroll. — Conservatio status politici, a quo socialis unitas formam concretam accipit, est revera finis immediatus amoris internationalis, cujus est sociales unitates conjungere: bonum autem civicum est finis mediatus ejusdem amoris, quia bonum politicum ad bonum civium subordinatur (840); eo prorsus modo, quo civicum societatis bonum est immediatum civilis amoris objectum, quod tamen semper subordinatur ad bonum universale (484), ad quod particularis omnis societas unumquemque hominem perducere debet.

1142. Pos. 563ª. — Quælibet natio naturali officio tenetur alias nationes contra injustam quamvis aggressionem pro viribus defendere.

Prob. — Omnes nationes tenentur naturali officio cooperari bono ac felicitati aliarum nationum (1138), non-secus atque homines individui tenentur pari officio cooperari aliorum hominum individuorum, inter quos versentur, felicitati. Atqui primum omnium bonorum, quod omnis felicitatis est fundamentum, est sine dubio, et pro individuo et pro-societate, existentiæ conservatio; alia autem bona quælibet sunt existentiæ perfectio et comple-

mentum. Ergo quælibet natio tenetur alias nationes pro viribus defendere primum quidem et maxime contra eos qui politicam earum existentiam impetant, deinde etiam adversus eos qui sociali bono aliquo non levi easdem privare conentur.

1143. Coroll. — Rationes, ob quas quævis natio tenetur alias nationes contra injustam aggressionem pro viribus defendere, eædem sunt, ut quisque videt, ac rationes quæ simili officio individua inter se obstringi demonstrant. At, ubi de natione aliqua ab injustis aggressoribus defendenda agitur, multo majus rationibus illis pondus accedit, tum ob gravitatem longe majorem alienæ utilitatis publicæ et alieni juris impugnati, tum ob salutem propriam nationis ipsius quæ pro alterius nationis tutela decertare aggreditur. Etenim, quum contactus inter nationes multo magis necessarius et perpetuus sit, quam inter individua, ex vicini alicujus populi oppressione multo majus similis exitii periculum vicinis populis impendet. Individuus namque homo, ubi vicinum oppressum viderit, fuga sibi consulere potest : at societas, suo territorio affixa, vicini populi oppressi gentisque illum opprimentis contactum et periculum inde provenient vitare nequit. Quamobrem, ubi populus aliquis injuste ab alio impetatur, vicini omnes populi debent ad ejus defensionem convolare non solum amoris internationalis officio impulsi, sed etiam cura propriæ suæ salutis excitati.

ARTICULUS III.

De jure et officio internationalibus societates æquales contra intestinas perturbationes tuendi.

1144. Pos. 564ª. — Ubi prima seditionis germina apud aliquam nationem pullulent, alia quævis natio debet pro viribus illi opem ferre ad periculum et cognoscendum et propulsandum.

Prob. — Ens quodvis sociale, quum sit quid compositum, potest non solum externa oppugnatione everti, sed etiam intestina dissolutione interimi. At amor internationalis imponit cuique nationi officium existentiæ politicæ aliis nationibus pro viribus conservandæ (1140). Ergo quælibet natio, quoad ejus fieri potest, debet alias nationes tueri non solum adversus externum aggressorem, sed etiam contra intestinos motus, qui ad politicam existentiam singulis earum debitam subruendam tendant. Atqui frustra ple-

rumque opem periclitanti ob internos tumultus nationi ferret amica natio, nisi et latentia seditionum germina sociali ejus nationis auctoritati statim denuntiet, et ad illa prorsus exstirpanda auxilietur. Ergo quævis natio debet pro viribus alii cuicunque nationi, apud quam seditio paretur, opem ferre ad periculum illud et cognoscendum et propulsandum.

1145. Coroll. — Ex postrema hac positione quisque facile duo hæc intelliget: 1um Juri naturali prorsus repugnare *jus asyli* apud vicinos populos perturbatoribus alterius nationis ita concessum, ut ii possint porro seditionum flammas in illam vel palam conjicere, vel clanculum summittere. Itaque, si quidem politicis ejusmodi perturbatoribus perfugium ac tutelam contra justam nationis offensæ severitatem concedere nationi propinquæ videbitur, at hoc humanitatis opus ita erga scelestos perfugas quævis natio exercere debet, ut omnem certe facultatem perturbandi alias nationes illis adimat.

2um Si turbis ac seditionibus illis injusta aut inepta rei publicæ administratio vel causa vel occasio sit, ad amicam nationem pertinebit, improvidum aut ignarum societatis perturbatæ principem opportune et secreto commonere.

1146. Pos. 565a. — Ubi civile bellum apud aliquam nationem eruperit, quævis alia natio, in auxilium vocata, tenetur naturali officio jus prævalens apud illam, quantum potest, vi et armis propugnare.

Prob. — Quælibet natio debet pro viribus politicam alterius nationis periclitantis existentiam tueri (1140). Atqui politica cujusque populi existentia in illius politico jure non in personis fundatur. Ergo, si qua natio, apud quam civile bellum exortum sit, aliam nationem in auxilium advocet, tenetur hæc protegere vi et armis, non quidem personas sibi forte amicas, sed eas partes quæ jure prævalente utantur.

1147. Coroll. — Natio igitur in auxilium a populo internis dissidiis periclitante vocata, ubi statuendum illi erit, cuinam partium dissidentium adhæsura sit, nequaquam utilitate sua, sed sola causæ quam defendendam suscipit, justitia moveri debet. Justitia namque est omnium bonorum socialium primum ac maxime necessarium (484). At in justitia causæ dijudicanda hoc notandum est, non semper jura adhuc vigentia et prævalentia esse jura antiquiora. Est enim jurium, sicut rerum omnium creatarum, naturalis quidam processus et evolutio, quæ factorum

socialium successionem sequitur. Itaque jura anteriora possunt multimodis collisionibus, quas novæ rerum circumstantiæ adduxerint, immutari. Antiqua scilicet jura imminui potuerunt delicto vel illius qui sua potestate abusus sit, vel illius qui justam obedientiam abjecerit, vel culpa, quod plerumque fit, utriusque potuerunt jura antiquiora elidi, vel politica præscriptione quam publicum bonum jam necessariam efficiat, vel explorata formarum quarumdam politicarum impossibilitate, vel reciprocis partium dissidentium pactis, vel aliis hujusmodi causis. Ob quas causas juste matureque perspectas nationi amicæ utique licebit, non quidem has aut illas pro arbitratu suo conditiones nationi intestinis motibus perturbatæ imponere, sed illam, et pro illa partem cui jura prævalentia favent, suffulcire et adjuvare, ut ipsa per naturalem suam auctoritatem sociale corpus internis commotionibus disturbatum ac divulsum recomponere atque apte restituere possit.

In postrema thesi supposuimus alterutram saltem e partibus dissentientibus auxilium a societate amica postulare. Quærendum modo est, quæ jura, quæ officia sint nationis amicæ, si ejus opem neutra e partibus colluctantibus invocet..

1148. Pos. 566a. — Quamdiu apud societatem internis motibus turbatam politica illius auctoritas quæcunque satis valida stat, nulla alia natio, nisi ab illa advocetur, jus habet interveniendi ad eos motus apud eam sedandos : at potest utique ac debet alia quævis natio, etiam non vocata, in hunc finem pro viribus intervenire, statim ac omnis politica auctoritas apud illam sit eversa aut prorsus impedita.

Prob. 1a pars. — In quavis societate concrete existente est propria illius auctoritas, concrete pariter in aliqua persona, aut physica aut morali, existens, a qua ordinatur et continetur. Jamvero hæc auctoritas in societate quavis independente est essentialiter independens (493) : et quicunque est omnino independens non potest extrinseca vi obligari ut aliena auxilia invitus accipiat. Atqui, siqua natio haberet jus alteri nationi opem vel invitæ afferendi, huic profecto officium incumberet talis auxilii, quamvis non postulati, admittendi : juri etenim cuique officium congruum respondet. Ergo, quamdiu apud societatem intestinis motibus perturbatam suprema auctoritas quæcunque satis valida et expedita stat, nullo hac societas officio tenetur externi auxilii suscipiendi;

et idcirco nullum cuivis nationi esse potest jus auxilii vel invitæ afferendi.

Dicimus autem, quamdiu stat auctoritas aliqua, quæcunque ea tandem sit : quia socialis auctoritas apud unamquamque societatem una semper eademque est, quicunque demum sint illius possessores ; et in societate independente semper suprema auctoritas est æque independens, apud quamcunque tandem personam illa resideat, ad eamque unam pertinet societatem ordinare ac recomponere, quamdiu satis valida est atque expedita, ut in commune bonum operari adhuc possit. Quare quicunque eam societatem, ab ejus auctoritate non vocatus, ordinare aggrediatur, ejus auctoritatis jura injuste usurpat.

PROB. 2ª PARS. — Duplex anarchia est in quam societas intestinis motibus impulsa prolabi potest : altera, quum persona aliqua physica aut morali, in qua auctoritas concrete resideat, adhuc permanente, exercitium tamen auctoritatis illius ita a perturbatoribus impeditur, ut inefficax illa prorsus evadat, perinde ac si nulla esset ; altera, quum nulla amplius persona determinata superest, quæ publicam auctoritatem gerat. In utroque casu societas similis est homini amenti, qui rationis usu caret. Nam ratio societatis est auctoritas (451). Jamvero in priore casu evidens est societati rationem quidem adesse, at usum tamen illius prorsus impediri. In casu autem posteriore, ubi politici ordinis perturbatores omnem plane personam, quæ publicam auctoritatem gereret, de medio sustulerint, multi tamen adhuc patriæ ordinisque publici amatores supersunt, quamvis occulti. Ex quibus simul conjunctis adhuc perstat anterior societas, jure sui ipsius gubernandæ semper instructa. Huic autem juri a natura ipsa societatis provenienti aliud accedit jus, quod in scelestos societatis perturbatores ipsum eorum scelus bonis civibus confert (679). Ergo duplici ratione socialis auctoritas apud honestos cives simul conjunctos perseverat.

Est tamen hæc auctoritas etiam in altero casu prorsus inefficax, quia perturbatorum audacia et vi omnino impeditur atque opprimitur. Atqui homini rationis usu carenti, si præsens illi periculum impendeat, quisquis debet, naturali officio obligatus, opem pro viribus afferre. Ergo etiam integræ societati, ob intestinos motus periclitanti, statim ac illa alterutro ex duobus illis modis careat socialis suæ rationis usu, nempe auctoritatis exercitio,

quævis alia natio debet ei similiter, quantum potest, opitulari, etiamsi a nulla societatis periclitantis parte advocetur. Talis enim nationis amicæ interventus, qui legitimam auctoritatem ab improborum oppressione liberatam in societate illa perturbata sic restituit, ut ea denuo possit libere suos omnes subditos ad commune bonum efficaciter ordinare, nullo pacto est usurpatio juris alienæ societatis ordinandæ, sed solum est legitimum ordinatorem in sua jura, utique volentem, restituere. Etenim legitimus ordinator, scelestorum vi oppressus, quamvis voluntatem suam libere significare nequeat, certissime tamen censendus semper est alienam opem in utroque illo casu et velle et tacite invocare : quia essentialiter auctoritas vult gubernare, sicut facultas omnis essentialiter vult pro sua natura operari. Ergo, etc.

1149. Pos. 567ª. — Siquis, legitimo principe dejecto, principatum injuste apud nationem quamlibet usurpaverit, omnes nationes aliæ, nisi obstet præscriptio, possunt ac debent pro viribus legitimo principi opitulari ad illum in jura sua restituendum.

Prob. — Relationes omnes internationales ad politicum cujusque nationis ordinem immediat spectante, ut superius ostendimus n. 1137. Atqui omnia jura ordinis politici non in usurpatore, sed solum in legitimo principe resident, quamdiu hic politica præscriptione aut justa alia causa non est illis juribus destitutus; quod sane jam probavimus n. 695. Ergo quævis alia natio, quamdiu jura politica legitimo principi stant, tenetur amoris internationalis officio ad illi opem ferendam, ut suorum jurium, usurpatore expulso ac digne castigato, possessionem recuperet, nisi grave damnum exinde sibi ipsi, aut majores nationi perturbatæ calamitates merito timeat.

1150. Pos. 568ª. — Quotiescunque ex internis motibus qui nationem aliquam perturbant, præsens periculum vicino populo gignitur, potest hic vi et armis apud illam ad turbas compescendas intervenire.

Prob. — Est sine dubio cuique societati, non secus ac singulis individuis (l. VII, c. 1, a. 6), jus sui ipsius defendendæ. Atqui motus ac turbæ quæ nationem aliquam interius agitant, vicinis populis interdum gravia pericula creant, tum pravi exempli contagione, tum seditiosis excitamentis, quibus nationis illius perturbatores vicinos etiam populos commovere conantur. Atque his periculis propulsandis nulla sæpe efficax ratio suppetit, nisi turbarum ac

tumultuum auctores, nationis illius fines transgressus, vicinus aliquis populus appetat dispergatque, aut debitis pœnis afficiat. Ergo quotiescunque grave periculum nationi cuipiam ex vicinæ societatis commotionibus internis impendet, quod nulla ratione alia quam armato intra illius fines interventu, propelli possit, licet utique huic nationi perturbatores vicinæ societatis apud illam ipsam armis appetere ac profligare.

1151. Coroll. — Jus armati interventus, quod populo cuique ob alius populi intestinos motus periclitanti adest, generalibus quidem verbis constitutum habemus. At, quoniam motus illos, vicinis populis pericula afferentes, supponimus esse prorsus alii nationi internos, manifestum est ea pericula enasci oportere ex practicis doctrinis, quæ ab hominibus seditiosis ei nationi cum rei publicæ perturbatione applicatæ, ad vicinos etiam populos inliciendos et commovendos tendant, vel suapte natura vel illorum hominum seditiosorum tum fraude tum conatibus apertis. Perpendendum igitur est, quibusnam conditionibus convestitæ esse debeant sociales ejusmodi pravæ doctrinæ nationem aliquam exagitantes, ut illæ grave populis finitimis periculum creare jure ac merito dici possint.

Jam de iis doctrinis hoc universim statuendum est, eas tantummodo jus armati interventus vicinis populis præbere, quæ, apud nationem quamdam dominantes, actualis vicinarum gentium aggressio videri debeant. Etenim vicinæ genti eatenus tantum licet intra alius nationis fines arma ferre, quatenus hæc natio censenda est vicinam gentem actualiter jam aggredi; quia defensionis suæ causa tantummodo licet vicinæ genti contra aliam nationem arma capere; nemo autem sese defendit, nisi quatenus alter aliquis illum vi aggreditur.

Jamvero, ut prava doctrina practica nationem aliquam perturbans vicinarum gentium aggressio videri jure ac merito possit, hæ tres illi adesse conditiones debent : 1° Ut talis doctrina politicam vicinarum gentium existentiam directe impetat et in discrimen adducat; 2° ut gens vicina sit jam propensa ad pravam illam doctrinam excipiendam; 3° ut socialis auctoritas apud nationem iis doctrinis perturbatam illas vel plane foveat, vel comprimere, quamvis jam commonita, prorsus negligat.

Etenim, 1° quamvis omne verum sit utile, et omne falsum e contrario noxium sit, attamen deductiones quædam practicæ, a principiis jam admissis sponte sua promanantes, sunt minus

directæ et minus evidentes, ita ut quæ natio jam illa principia exceperit et plane profiteatur, possit tamen has deductiones inde consequentes respuere. Igitur non quodcunque falsum, sed tantummodo illud quod directe vel cujuslibet societatis fundamenta subruit, vel individualem nationis alicujus particularis existentiam oppugnat, societatis aggressio dicenda est.

2° Etiamsi quælibet doctrina, simul atque publice in aliquam societatem admissa est, essentialiter ad sese propagandam tendat, attamen non omnes aliæ nationes, nec omni tempore, sunt æque ad eas excipiendas comparatæ. Quando enim populi alicujus raræ et infrequentes sunt cum societate corrupta ac perturbata relationes et commercia, quando populus ille tranquillus sanis doctrinis firmiter adhæret, ac doctrinæ vicinam societatem perturbantes nituntur evidenter principiis quæ apud hunc populum passim contemptui et odio sunt; manifestum est, in eo casu doctrinas et commotiones vicinæ societatis remotum dumtaxat periculum huic populo creare, atque idcirco illas nequaquam aggressionem hujus populi dici posse. Sic, *v. g.*, Buddismus et Islamismus nullum, nisi remotissimum, europæis gentibus periculum afferre possunt.

3° Pravam doctrinam potest societas illa corrupta profiteri vel cum expresso socialis auctoritatis suæ consensu, vel cum ejusdem oscitantia et neglectu, qui consensui tacito æquivalet, vel cum positiva illius tolerantia.

In primo casu, si doctrina est antisocialis eo modo quem in *prima* conditione explicuimus, constat populum qui illam publice profiteatur, esse vicinarum gentium injustum aggressorem; præsertim si ille palam denuntiet, se velle talem doctrinam in alios quoque populos propagare. In altero casu, socialis auctoritas, cujus negligentia doctrinæ antisociales apud illum populum invalescunt et late excurrunt, a vicinarum gentium supremis auctoritatibus commonenda est. Quod si prudentes hæ monitiones nullum apud eam auctoritatem fructum sufficientem pariant, tum vero pravæ doctrinæ, quarum compressionem illa oscitanter negligit, tamquam vera et injusta vicinorum aggressio spectandæ sunt. In tertio denique casu, notandum est toterantiam posse vel debitam vel indebitam esse, ut jam alibi (888) explicatum est. Si tolerantia est debita, quoniam jure ipso nititur, nullam vicinis populis querimoniæ occasionem justam præbere potest, sed solum debet excitamento iisdem esse ut ad

verum apud societatem illam propagandum auctoritati cooperentur. Si vero est indebita, in neglectum et oscitantiam recidit; quanquam hoc tolerantiæ genus, ut quod magis voluntarium est, majore etiam severitate est a vicinis gentibus castigandum.

Cæterum, in qualibet societate auctoritas legitima concrete spectata sanis doctrinis atque ordini sociali, ut plurimum, favet. Igitur, quamdiu legitima auctoritas apud societatem perturbatam satis valida stat, vicinæ gentes, illius jura protegendo, seipsas indirecte tuentur. Quapropter, quamdiu incolumis auctoritas legitima apud nationem perturbatam perstat, nunquam fere licebit aliis gentibus apud illam armis intervenire, nisi ab legitima auctoritate advocentur : hoc namque primum supremæ auctoritatis jus est, ut populum sibi subjectum ipsa per se ordinet ac recomponat.

CAPUT II.

De officiis internationalibus in statu pacato ad materialia societatum æqualium bona spectantibus.

ARTICULUS I.

De internationalibus dominii socialis cujuscunque relationibus.

1152. NOTANDUM. — Primum ac præcipuum officium internationale a primo principio amoris mutui ad nationes inter se æquales applicato dimanans superiore capite exposuimus; quod quidem officium eo totum spectat, ut cuique nationi politicæ illius existentia incolumis servetur. At profecto non sufficit existentiæ bonum amicis utcunque velle : præsidia simul, quæ ad illam sustentandam necessaria sunt, iisdem optari et pro viribus suppeditari oportet. Hæc autem media, quoniam societas humana ex individuis animo et corpore compositis et morali vinculo conjunctis constat, et spiritualia utique et materialia esse debent. Itaque inquirendum nobis est quænam jura et officia nationibus

æqualibus ex utrorumque horum mediorum necessitate, qua omnes æque urgentur, proveniant.

Et primum quidem, de mediis materialibus agentes, hoc generaliter innuemus, sociales cujusque nationis fortunas, quæ duplicis generis sunt, territorium ac pecuniarii proventus, ab alia quavis natione et protegendas esse, et augendas etiam, quoad fieri potest (1138, 1140) : justitia nimirum præcipit, ut alii cuicunque populo sociales ejus divitias quælibet natio integras esse velit, nihil ab iis seu vi seu fraude distrahendo; benevolentia insuper internationalis postulat, ut sociales alius populi conatus, per quos juste ac decenter majores sibi opes ille comparare studeat, amico favore et auxilio unaquæque natio, quantum potest, prosequatur. Hæc enim duo jam sunt primo articulo capitis præcedentis demonstrata. Particulares nunc aliquas horum principiorum applicationes hic adjiciemus.

1153. Pos. 569ª. — Societas quævis, non secus atque homines individui, proprio dominio res possidere potest.

Prob. — Jam n. 775 et seqq. vidimus rei cujuspiam dominium esse jus illius rei in suos usus adhibendæ, et alius cujuscunque ab ejusdem usu excludendi. Hoc autem jus ostendimus eodem loco homini individuo provenire ex fundamentali ipso jure quod ad sui conservationem habet. Quum enim ad sese conservandum quibusdam uti quilibet homo debeat subsidiis, quæ usu consumuntur, necesse prorsus est horum subsidiorum usum illi esse uni, qui propria sua industria et labore illa comparaverit (lib. VII, cap. 1, art. 8). Atque horum quidem mediorum, quæ et pauca sunt in promptu et usu consumuntur, dominium quisvis homo per industriam opusque suum acquirere potest. At aliorum quorumdam quæ et ubique affatim abundant, et nullo usu absumuntur, nemini dominium exclusivum acquiri potest. Quare hæc alia sunt semper libero primi cujusque occupantis usui exposita. Huc pertinent, *v. g.*, lucis solaris haustus, aquæ fluvialis potus, aeris cummunis respiratio et hujusmodi.

Atqui hæc eadem probant societatem etiam quamlibet universam vero dominio frui posse. Nam et ipsa debet sui ipsius conservationi consulere; atque, ut se ipsam conservet, materialibus quibusdam indiget mediis, quorum aliqui usu consumuntur. Ergo unaquæque natio universe sumpta habet jus adhibendi in suos usus talia media, et ab eorumdem usu excludendæ alius omnis nationis; quod est ipsum dominium. Aliis vero mediis,

quæ usu non pereunt, vel quorum copia semper abundat, ita demum quævis natio uti potest, ut ab eorum usu alios populos minime excludat.

1154. Coroll. — Duo sunt, quæ prohibent, quin ulli societati liceat alias societates ab usu rerum quæ usu non pereunt, excludere, justitia scilicet ac benevolentia internationalis. Etenim, 1° jus dominii non aliunde, sive homini individuo, sive societati cuipiam universæ, provenit, quam ex necessitate utendi quibusdam rebus, a quarum usu nisi cæteri homines prohibeantur, nequaquam illæ ad hujus unius conservationem sufficient. Igitur quæ res ubique sic abundat, ut nemini, quantumcunque utenti, deesse possit, in nullius unquam sive individui, sive societatis particulare dominium et proprietatem cedere potest. 2° Internationalis item benevolentia vetat nos communi aliorum commodo subtrahere ullam rem, quæ nobis minime sit necessaria : id namque esset, non quidem nostris utilitatibus consulere, sed alieno bono invidere; quod sane benevolentiæ officio directe adversatur.

1155. Pos. 570ª. — Publicæ auctoritati duplex sociale dominium est : alterum *tutelæ* in res a suis subditis privatim possessas; alterum *administrationis* in res a societate communiter possessas; et in utrasque res habet illa jus *regiminis* exclusivum.

Prob. — Quoniam subditi omnes communi societatis vinculo in unum corpus conjuncti sunt, et bonum particulare cujusque membri est etiam totius corporis bonum; idcirco dominium, quod subditi omnes singillatim in suas quique res habent, est dominium ad societatem quoque universam, ac proinde ad supremam socialem auctoritatem pertinens.

At societas universa res alias in commune etiam proprio dominio possidet, ut nuper ostendimus. Atque in bona quidem a singulis subditis possessa non aliter sociale dominium exercere auctoritas debet ac potest, quam ea bona tuendo, et aggressorem quemcunque ab eorum usurpatione prohibendo (841). Alias vero res, in quas societas universa commune dominium habet, socialis auctoritas potest ac debet ad commune bonum administrare (1153).

Jamvero nationali cujusque societatis independentis auctoritati jus et officium est aliam quamcunque nationem et auctoritatem ab illa bononum nationalium et tutela et administratione excludendi, ut ea sola hanc tutelam et administrationem per se ipsa ad commune bonum dirigat. Nam socialis auctoritatis

actus est proprie regimen seu gubernatio, quæ ad debitam rectamque unionem toti societati conservandam et perficiendam maxime spectat : nequit autem hæc unio a duorum principiorum independentium actione separata provenire. Ergo, etc.

1156. COROLL. 1. — Ex nuper dictis hoc intelligitur, alio modo res dici *meas* a societate atque ab individuo. Nam societas *suum* dicit illud, ad quod ordinandum et gubernandum habet sibi proprium jus; individuum vero *suam* rem dicit, ad quam consumendam jus habet. Itaque, sicut eadem res nequit a duobus principiis non subordinatis dirigi supremo jure ac gubernari, ita nequit eadem res a duabus simul societatibus independentibus *mea* dici : at potest sane eadem res dici *mea* simul, quamvis diversa ratione, ab individuo et a societate publica ad quam illud pertinet.

Quare etiam respectu aliarum nationum habet quævis natio *dominium* quoddam *politicum*, vi cujus eidem competit jus alius cujuscunque nationis excludendæ a possessione ac regimine regionum ac bonorum, quæ ipsa politice possidet : cujus quidem juris violatio est *injustitia internationalis*. Hoc autem jus, quum nationi cuique respectu aliarum nationum competat, nullo pacto impedit vel immutat privatum dominium quod singuli cives in suas res habent : hi namque suis bonis, privato hoc dominio nixi, utuntur ; societas vero per dominium politicum eadem bona respectu aliarum nationum ordinat. Igitur utriusque dominii, et individualis et politici, eadem materia est : sed hujus materiæ substantiam ipsam potest dominium individuale transformare, dum politicum dominium potest solummodo *ordinem* illius sive externas relationes immutare. Quapropter societas ipsa, quando sociales suos proventus consumit, actum exercet ad civicas relationes pertinentem; quando vero illos accommodate ad sociale bonum ordinat, politice operatur.

COROLL. 2.—Perspicuam, ni fallimur, dominii politici notionem hactenus præbuimus ; per quam facile dignosci potest quænam res sub illud cadant. Nam 1°, quoniam per hoc dominium socialis auctoritas est jurium individualium tutrix ; ergo quidquid potest ejus subditorum esse proprietas civilis, potest societatis publicæ fieri proprietas, sive in bonis mobilibus, sive in immobilibus. — 2° Quum eadem auctoritas sit eorum omnium quibus socialiter, idest ad publicum bonum, uti oportet, administratrix ; quumque ad publicum bonum et stabilibus et mo-

bilibus rebus utendum sit; ergo potest socialis auctoritas civiliter ad commune bonum et stabiles et mobiles fortunas possidere, quoties earum possessio utilis ad publicum bonum est; utilis, inquam, vel ad suorum civium, qui illis utantur, sustentationem, vel ad socialem ordinem, qui illis indigeat, protegendum. In harum autem rerum civiliter possessarum administratione ordinanda socialis eadem auctoritas politicum dominium exercet.

Hinc vero intelligitur, quum societas quæpiam universa, *v. g.*, colonia quædam, e patrio solo, regionem incolis vacuam occupatura, emigrat, dum individui quique socii et auctoritas ipsa socialis *civicam* agrorum quos legitime occupant, proprietatem acquirunt, societati universæ simul acquiri *politice* totum illud territorium, quod ea velle se ad publicum bonum ordinare palam denuntiat.

Itaque duæ conditiones ad tale dominium acquirendum requiruntur, *utilitas rei* postulatæ, et *intentio publice declarata* illius occupandæ ad illam in publicum bonum ordinandam. Si enim societas palam non significet se rem illam occupare, deest promulgatio illius facti, a quo jus dominii socialis enascitur. Atqui in humana societate externus tantum ordo consideratur. Ergo, ut factum illud occupationis aptum sit ad illud jus gignendum, necesse est illud externe significari. Si vero usus rerum illarum, quas societas se ad commune bonum occupare denuntiat, nihil ad socialem ordinem confert, illa denuntiatio primariæ legi amoris internationalis adversatur, jubenti aliarum nationum bonum velle : alias namque nationes illa excluderet ab usu rei sibi inutilis. Quin imo talis denuntiatio rei societati inutilis occupatæ esset in se ipsa contradictoria; quia tunc societas affirmaret se rem sibi *inutilem* occupare ut illam ad *communem utilitatem* ordinet.

Coroll. 3. — Ex hisce omnibus illud etiam colligi potest, quid nempe inter rerum valorem in ordine politico, et earumdem valorem in ordine civico intersit. Valor scilicet politicus consistit in utilitate rei ad ordinem socialem, valor civicus in utilitate rei ad hominis individui victum et cultum. Jamvero individuus homo, ratione et sensu constans, utilitatem sæpe non levem capit e rebus, quas ratio sibi prorsus inutiles judicat : socialis autem ordo, quum totus sit rationis ordinatricis opus, nullum valorem, idest nullam utilitatem, præbere potest, nisi rebus illis, quæ

ordini sociali, ex solius rectæ rationis legibus considerato, vere et efficaciter conferunt.

Et quoniam ideæ pure rationales sunt suapte natura constantes et uniformes, unde fit etiam ut scientiæ proprie dictæ objectum sint; propterea utilitas politica nequaquam a variis hominum indole, consuetudine, educatione, libidine pendet, sicut civica utilitas et valor, sed ex universalibus principiis socialibus est determinanda. Attamen, quum jus omne politicum ad ordinem civicum statuendum et confirmandum essentialiter spectare debeat (840), aliqua semper in jure politico determinando habenda est ratio individualium utilitatum, quæ illo jure dirigi et sustentari debent, quæque magnum sæpissime in studiis et propensionibus singularibus maxime variis momentum habent. Quamobrem politici dominii juribus et universe toti etiam juri internationali tanto accuratius et arctius lex collisionis jurium (844) applicanda est, quanto istorum jurium materia est abstractior, adeoque scientifice magis determinabilis.

ARTICULUS II.

De internationalibus relationibus ad sociale maris dominium spectantibus.

1157. Notandum. — Si specialem juris gentium tractationem suscepissemus, principiorum in superiore capite et in hujus capitis primo articulo jam constitutorum applicatio particularis hic facienda esset singulis rerum speciebus, quæ ad commune bonum possunt juxta leges amoris internationalis a politica cujusque nationis auctoritate ordinari. At eorum quæ jam lib. x de civilibus et politicis fortunis disseruimus, pleraque possunt hic facili negotio ad relationes internationales applicari. Quapropter, ne longius in his applicationibus persequendis excurramus, atque ut earum tamen aliquod exemplum afferamus, quoniam jura et officia internationalia ad terrarum dominium spectantia multo clariora sunt, de relationibus internationalibus ad maris dominium pertinentibus quæstionem hic instituemus.

Duo sunt igitur hanc in rem disputanda: 1um an mare possit in cujusquam individui vel populi proprietatem exclusivam cadere; 2um quisnam et quonam modo possit hanc maris proprietatem sibi acquirere.

Quoniam autem dominium politicum rei cujuspiam supponit (1153) illius rei proprietatem conducere ad ordinem politicum occupantis, et illius rei usum aliquid commodi afferre ; quærendum ergo est quænam a maris proprietate atque usu commoda percipi, sive ad politicum ordinem servandum sive ad individuorum vitam sustentandam, possint. Ordo autem politicus, ut jam sæpe monuimus, ad bonum civicum ordinatur (840). Igitur hoc primum indagandum est, utrum maris proprietas possit singulis civibus esse utilis.

1158. Pos. 571ª. — Determinati quidam tractus maris, spectati ut res quædam fructiferæ, possunt utique sub dominium et privatum et politicum cadere.

Prob. 1ª pars. — Evidens est multos maris tractus posse privatæ industriæ fontem quarumdam divitiarum fieri ; qui tamen paucis plerumque hominibus sufficiat, brevique exhauriatur omnino, si adventantibus omnibus semper patere debeat : cujusmodi sunt tractus maris ad varia piscationum genera accommodati. Ergo, siquis privatus eos maris tractus primus occupet, palam constanterque significans velle se illos industria sua privata colere, eædem rationes quæ probant simili agri occupatione illius dominium primo occupanti acquiri (784), demonstrant etiam primum occupantem, qui tractum aliquem maris constanter sibi colendum susceperit, ac denuntiaverit, verum jus proprietatis in illum acquirere.

Prob. 2ª pars. — Socialis auctoritas habet jus protegendi suorum bona et privata suorum dominia ; habet jus privata hæc bona et dominia ordinandi, prout censuerit aptius ad communem societatis universæ utilitatem (1155) : in quo sane dominium politicum situm est. Atqui, ut nuper vidimus, quidam maris tractus possunt privatorum esse proprium bonum. Ergo et socialis auctoritas potest politicum dominium in aliquos maris tractus fructiferos habere.

1159. Pos. 572ª. — Quævis natio habet verum dominium in eos tractus maris, quamvis infructiferos, quorum possessio est illi exclusive necessaria.

Prob. — Utilitas et necessitas rei cujuspiam, quæ nulli adhuc aliorum hominum dominio sit obnoxia, sunt tituli sufficientes ad dominium creandum iis, quibus illa res utilis est ac necessaria (775). Atqui libera navigatio per quosdam maris tractus est sæpe utilis ac necessaria aliquibus populis ut possint ab alia in aliam

littoris sui partem abire, mercesque suas transvehere, et in exteras etiam regiones transfretare. Ergo cui genti libera per certos quosdam maris tractus navigatio necessaria est, illi utique dominium in illas maris plagas, quamvis aliunde infructiferas, competit.

1160. COROLL. — Mare igitur, omni etiam alia utilitate seposita, magnum hoc populis commodum affert, transitus nempe et immigrationum mutuarum facultatem; ita ut qui olim oceanus *dissociabilis* a poeta vocatus fuit, reapse præcipuum sit medium materialis inter populos associationis. Attamen hoc medium, quoad tractum aliquem determinatum, potest esse vel multis vel paucis individuis aut populis magis vel minus necessarium. Hinc fit ut jus illud dominii in aliquam maris plagam possit esse magis aut minus commune, magis aut minus validum.

1161. POS. 573ª. — Cuivis nationi in mare, etiam infructiferum, ejus terras alluens, competit dominium politicum tanto spatio, quantum illi ad sua littora tutanda et maritimas vias liberas sibi servandas necessarium est.

PROB. — Mare, quod terras quasdam alluit, nulli populo magis utile ac necessarium est, quam nationi eas terras incolenti, ut reciprocis communicationibus via pateat, ut accessus ad eas terras iis omnibus qui detrimentum quodlibet allaturi essent, præcludatur. Atqui et communis boni tutela, et mutuarum inter cives atque exteras nationes communicationum ordinatio ad politicam auctoritatem pertinent. Ergo, etc.

1162. COROLL. — Per hoc dominium, quod societas quævis habet in mare illius terras alluens, accedit eidem societati jus impediendi, quin in toto illo mari ab ulla alia natione ordinatio ulla politica fiat. Et quoniam inter jura politica, quæ socialis auctoritas habet per omne territorium sibi subditum, est etiam jus vectigalium exigendorum, potest igitur socialis auctoritas cujuslibet nationis tributa et vectigalia imponere iis omnibus, qui appulerint ad tractus maris, in quos illa politicum dominium habet.

1163. POS. 574ª. — Omnes tractus maris, qui nulla privata industria sunt occupati, et nulli populo sunt exclusive necessarii, nulli particulari dominio obnoxii sunt.

PROB. — Duplex solummodo est radix particularis dominii, quod nationi alicui in quemdem maris tractum competat: 1ª tutela privatæ suorum industriæ exhibenda, et ordinatio pri-

vatorum jurium et possessionum inibi efficienda; 2ª necessitas alicujus commodi, quod communicare vel privati vel societas nequeant, quin illo ipsi priventur. Atqui neutra ex duabus hisce dominii radicibus adest relate ad maris tractus, quos nec privata ulla industria, ad illos excolendos, occupavit, nec societas ulla exclusive sibi necessarios habet. Etenim, ubi nulla privatorum industria operatur, nihil sociali auctoritati tutandum vel ordinandum suppetit. Item, si utilitas, quam societas quæpiam ex transitu per aliquod mare percipit, nequaquam illi ex aliarum nationum transitu aufertur, nulla ratio est cur illi uni, cæteris exclusis, dominium illius maris competat. Ergo et radix dominii civilis, et radix dominii politici æque hic deficiunt. Ergo et inhumanum et injustum esset, transitum per aliquod mare in tali casu impedire; id namque esset, non quidem bonum sibi necessarium vel utile comparare, sed solum bono alieno invidere.

1164. Coroll. 1. — Posset quis contra ultimam hanc positionem sic statuere : Altum mare nunquam est plane infructiferum; quia siqua potens natio illo valida classe potiatur, poterit ab unaquaque navi illac transeunte vectigal exigere; atque ita, libenter tributum illud exiguum unaquaque navi solvente ad transitum obtinendum, maximas inde opes ea natio percipiet. Quæ quidem argumentatio in ordine politico simillima est illi quam in ordine civico ad feneratores excusandos nonnulli instituunt (944). Pecunia, aiunt illi, quæ valorum est vehiculum, quamvis per se infructifera sit, potest tamen per alienam industriam fructuosa evadere. Igitur, si magnam pecuniæ vim possideam, potero vectigal mihi solvendum imponere iis qui pecuniam, apud me prorsus infructuosam, a me commodato accipiunt, ut suam ipsi industriam possint exercere.

Cui sane ratiocinio, quum de alto mari agitur, quid respondeant doctores *utilitarii*, illud idem in feneratoris causa approbantes, nihil habent. At ex veris sanisque principiis facile argumentationis illius vitium demonstratur. Etenim jus vectigalium imponendorum a jure quidem dominii enascitur; sed dominium ipsum a sola vectigalis imponendi possibilitate nequaquam educi potest : fieret namque circulus vitiosus, quo et totum illud ratiocinium nititur, et quodcumqne aliud injustitiæ genus approbari posset. Alto scilicet mari potitus, tributa exigam : tributa hæc fructiferum sane oceanum efficiunt, et fructiferæ quæ-

libet res sub verum dominium cadere possunt : ergo alti maris, per se infructiferi navigatio, potest particulari alicujus gentis dominio obnoxium esse. Simili nempe argumento quisquis alteri potest vel positivum detrimentum afferre, malum patrando, vel negativum, bono aliquo sublato, jus haberet mercedis seu tributi ab illo exigendi, ne damnum illud accipiat : quod profecto est verum beneficium latronum.

Quamobrem vera vectigalis imponendi causa est bonum sociale; quæ causa jam præsupponit imponenti esse politicum dominium in eas res, ob quarum usum vectigal imponitur. Hoc autem politicum dominium et proprietas, uni alicui societati competens, supponit nequaquam esse moraliter *conveniens*, ut rerum illarum usus cum aliis gentibus ab illo populo communicetur : atque ex hac communionis morali *inconvenientia*, per rationem oppositorum, *convenientia* exclusivæ possessionis, idest honestas dominii (775), sponte sua dimanat.

Igitur, quotiescunque ejusmodi *inconvenientia* nulla est, quia potest cum omnibus sine mutuo illorum damno utilitas illius rei communicari, tunc nulla est ratio, cur alii ab ejusdem usu excludantur, et nulla dominii ratio, nullus titulus est. Atqui altum mare, quatenus transitum præbet, est bonum omnibus populis, sine ullo reciproco illorum damno, communicabile. Ergo injustum esset aliquam gentem illo exclusive potiri; et vectigal aut legem ullam transeuntibus illac imponere, vel actum quemvis alium politicæ auctoritatis ibi exercere, esset vexatio amori internationali prorsus repugnans. Hæc autem omnia de statu mutuæ pacis inter eos populos perseverantis intelligenda sunt : nam quæ illorum in statu hostili jura sint, inferius inquiremus.

Coroll. 2. — Tractus aliquis maris potest pluribus simul nationibus esse necessarius, cujusmodi sunt Hellespontus et Sundicum fretum. Tunc vero quærendum est, num liceat uni ex illis nationibus eo mari exclusive potiri. Quæ quidem quæstio, et aliæ huc pertinentes, tractari perspicue non possunt, nisi antea generalius aliud problema resolvatur, scilicet quæ jura variæ nationes habeant ad mutua inter se commercia internectenda, et quibus ad hoc ipsum officiis impellantur.

ARTICULUS III.

De naturali officio commercii internationalis.

1165. Pos. 575ª — Quælibet natio tenetur naturali officio societatem internationalem cum cæteris omnibus populis inire; quod officium, ex parte negativa, est absolutum, ex positiva, hypotheticum.

PROB. 1ª PARS. — Quodcumque factum, quo constans inter duas nationes contactus statuatur, easdem positive in unicam conjungit societatem, quæ binis legibus universalibus subest, *justitiæ* videlicet, quia sunt ambæ inter se æquales, et *benevolentiæ*, quia ad eumdem finem a Creatore sunt ambæ ordinatæ (1137). Atqui 1º mundi hujus natura ipsa fert, ut unaquæque natio stabili contactu cum finitimis aliquibus populis conjungatur: natura namque ipsa fert, ut quævis natio stabili territorio per agrorum culturam insideat, et quodammodo defigatur, atque ut suas possessiones et culturam protendat usque latius, donec in fines vicinarum gentium offendat.

2º Ex eadem rerum humanarum natura fit, ut quælibet natio indigeat perpetuo cum aliis populis longe dissitis commercio, ut suo superflua ad illos asportans, illinc alia sibi necessaria aut utilia revehat (1083). Quare quælibet natio naturali instinctu fertur ad hæc reciproca commercia cum aliis populis, quantacunque locorum distantia et morum diversitate remotis, nectenda.

Hæc autem populorum omnium mutua commercia sunt et sociale bonum ingens, et medium aptissimum, quo Creator ad sua consilia perficienda utitur. Nam 1. maximas utilitates *materiales* ea commercia afferunt, omnium, quæ regionum varietas ubique terrarum gignit, usum omnibus populis præbendo. 2. Maximas pariter utilitates *intellectuales* pariunt, artes scientiasque multo tempore ac labore apud aliquos populos inventas perfectasque in omnes alios populos propagando. 3. Maximas denique utilitates *morales*, socialem ordinem mutuis auxiliis apud omnes protegendo, omnesque ad veræ religionis unitatem adducendo. Atqui socialis auctoritas apud singulas gentes tenetur suis civibus comparare quæ ad communes eorum necessitates atque utilitates pertinent. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Quoniam nationum associatio multas mag-

nasque omnibus et singulis nationibus associatis utilitates per se affert, universalis benevolentiæ lex evidenter vetat, ne quid unquam ab sociali ullius nationis auctoritate fiat, quod gentium aliquarum associationi adversetur. Hoc autem est quod partem negativam legis universalem nationum associationem præcipientis constituit.

At ex natura ipsa causæ, qua lex illa nititur, manifestum fit, socialem cujusvis nationis auctoritatem cum iis tantummodo populis, quorum commercia necessaria vel utilia illi nationi futura sint, debere mutua societatis et commerciorum communione sese conjungere. Illæ namque necessitates atque utilitates ex tali associatione et commerciis proventuræ, unica causa sunt, ex qua obligatio positivæ internationalis societatis oritur. Ergo eatenus tantum positive societas cum aliis populis ineunda unicuique nationi ob illud naturale officium est, quatenus talis societas et tale commercium, omnibus perpensis, necessaria illi nationi vel utilia fore judicantur.

Ergo, quatenus ea lex associationis internationalis vetat, ne quid fiat internationali aliorum societati repugnans, quæ est pars legis negativa, lex est *absoluta*. Quatenus vero positivam beneficiorum et commerciorum communionem præcipit, hypothesi nititur utilitatis ex tali societate internationali percipiendæ, adeoque ea lex, quoad partem positivam, est *hypothetica*.

1166. Coroll. 1. — Ut quisque videt, hæc obligatio societatis internationalis ineundæ persimilis est officio individuali permanendi in societate civili, de quo jam n. 1069 disputavimus. Distinguenda igitur diligenter est negativa talis obligationis pars a parte positiva. Pars enim cujuslibet legis negativa, omnia et loca et tempora et res et personas complectitur : positiva autem pars ad particularia solum tempora quædam et loca et personas spectat.

Notandum quoque est, quod jam superius monuimus, obligationes omnes sociales directe non ad individua, sed ad socialem auctoritatem pertinere, ac propterea hoc etiam officio internationalis commercii solam auctoritatem socialem in singulis nationibus immediate adstringi.

Coroll. 2. — Postrema positione confirmatur illud quod jam n. 1164 constitutum est, si dominium maris, quatenus illud transitum solummodo præbet, aliqua gens sine ulla necessitate sibi vindicet, universali nationum societati, adeoque legi naturali, id

repugnare. Ex eadem positione ducitur etiam solutio problematis quod n. eodem, coroll. 2°, propositum est.

1167. Pos. 576ª. — Siquod mare alicui nationi, cujus terras alluit, magis quam aliis quibusdam sit necessarium, et jam fuerit ab illa occupatum, hæc sola natio habet politicum dominium in illud; liberum tamen ea cæteris nationibus transitum, quo egent, permittere debet.

Prob. 1ª pars. — Siquis tractus maris libero plurium nationum commercio necessarius sit, nulli profecto earum licet hujus maris dominium sibi uni tribuere in eum tantummodo finem, ut cæteris transitum impediat. At, siqua illarum nationum terras, quas hic tractus maris alluit, possideat, ac proinde cæterarum omnium maxime illo mari indigeat, et eumdem maris tractum prima omnium occupaverit, nihil vetat, quin dominium illius una retineat. Quod sane ex doctrina de jurium collisione (372) fit manifestum. Nam, ut vera jurium collisio adsit, debet jurium quæ contraria videntur, eadem esse materia. Atqui in isto casu materia juris ad unam illam nationem pertinentis diversa plane est a materia juris quod in illud mare cæteræ illæ nationes habent. Nam cæteræ nationes habent jus transitus; illa una præterea jus politici dominii, seu jus civilis ordinis inter suos inibi constituendi et tutandi. Tale autem dominium huic uni competens haudquaquam impedit, ne cæteræ illæ habeant jus illac transeundi.

Siqua vero nationum cæterarum politicum quoque dominium in illud mare sibi vindicare velit, tunc utique aderit jurium collisio. Sed pro illa una stabit tum possessionis prioritas, tum præsertim necessitas civilis ordinis, qui est supremum bonum sociale, inter suos inibi versantes conservandi et protegendi, quod sine tali possessione ac dominio efficere illa non posset; dum cæteris istis e contrario minor est ejus maris necessitas, et hæc necessitas ad genus quoddam boni pure materialis pertinet, ad transitum videlicet, qui utique sine ullo politico dominio semper iisdem patere potest. Quare multo superius et validius erit jus illi uni competens, nec istarum aliarum juribus elidetur.

Altera pars evidens est ex positione 575ª.

1168. Coroll. 1.—In illo igitur mari sola hæc natio habet jura principatus, quamvis aliæ quoque nationes eo mari indigeant; hæc una scilicet jus habet ordinis inibi, prout satius duxerit, constituendi, vis contra perturbatores quoslibet adhibendæ, vectigalium a transeuntibus exigendorum.

Coroll. 2. — Quæ toto hoc articulo et superiore disseruimus, ostendunt plenam a publica auctoritate libertatem commercio suorum cum aliis populis conservandam esse, quamdiu hæc libertas nullo majore jure atque officio colliditur. Siquod enim jus vel officium majoris momenti huic libertati obstet, sociale bonum postulat, ut certi fines ei commercio præfigantur. Hujusmodi est interdictio itinerum in regiones peste, vel physica corporum, vel morali scelestarum doctrinarum, laborantibus : quæ interdictionum genera officio propriæ conservationis et defensionis jubentur, et nullo pacto universalis societatis officio adversantur.

At extra ejusmodi casus omnes, internationalis amor, cuique nationi præcipiens ut idem cæteris populis bonum velit, quod sibi vult, hoc requirit, ut liberaliter cum aliis nationibus, quantum sine nostro damno possumus, bona omnia, quæ tellus nostra ferat, constanti commercio communicemus. Quo quidem naturali præcepto maxime probabilis a priori efficitur ea sententia, quam nonnulli facto ipso et experientia comprobare nituntur, scilicet tanto locupletiorem, cæteris paribus, quamlibet nationem fore, quanto majorem mutuo suorum cum aliis nationibus commercio, ad suas merces exportandas, alienasque excipiendas libertatem concedat. Quum enim natura, ut vidimus, nationes omnes ad universalem societatem et ad honestas divitias eadem invitet, nequaquam videntur hæ duæ leges naturales sibi mutuo posse repugnare.

Cæterum quod generaliter verum est, potest in casu aliquo particulari per accidens se aliter habere.

CAPUT III.

De officiis internationalibus in statu pacato ad bonorum moralium communicationem attinentibus.

ARTICULUS I.

De officio veracitatis internationalis, deque juris diplomatici universalibus principiis.

1169. Notandum. — Bona moralia duplicis generis sunt, bona intellectus et bona voluntatis: agitur autem hic de intellectu et voluntate socialibus. Jam socialis intelligentia debet tria potissimum cognoscere: 1um Bonum infinitum, quod est omnis hominum actionis, sive individualis sive socialis, ultimus finis (484), quo ignorato, in vacuum quælibet ejus ordinatio aberraret; 2um Sociale bonum suorum subditorum, scilicet *primum* civilis ordinis *principium* (840), *perfectionis* gradum ad quem illa pertingere potest, ac *præsentem* populi *statum*, videlicet quanta ille adhuc perfectione careat, et quas vires ad suam perfectionem adipiscendam habeat; 3um Gentium finitimarum habitum, respectu illius societatis, nempe quo pacto vicini populi relate ad illam nationem affecti sint. Quæ quidem veritatis triplex necessitas politica respondet plane triplici necessitati consimili, quam homini cuilibet individuo in societate agenti inesse jam vidimus toto lib. v et c. 1° libri vii.

Voluntas autem socialis debet binos effectus præcipuos producere: 1° *unitatem* ex omnium sociorum conjunctione et concordi actione constantem; in qua unitate ipsum *esse* societatis consistit; 2° *pacem* quæ est ordinis tranquillitas, et socialis *esse* perfectio. Jam sociorum conjunctio et conspiratio obtinetur amorem patriæ in illorum animis fovendo: ordinata vero tranquillitas socialis, justas prudentesque leges et ferendo et exsecutioni constanter mandando.

Quocirca nationes omnes, ob amoris internationalis officium, debent sibi mutuo opitulari, ut unaquæque iis bonis omnibus et intelligentiæ et voluntatis socialis potiatur. Itaque, siqua natio adesset tam scelesta et inhumana, quæ consulto tenebras veritati apud aliam nationem quampiam offundere, ordinemque et communes relationes permiscere, aut voluntates perturbare ac dividere aliasque in alias instigare conaretur, tanquam monstrum odio et maledictis omnis humani generis dignum habendum esset.

At præcepti negativi (1139) observatio nequaquam sufficit: positiva quoque illius pars accurate exsequenda est. Atque in hunc finem statuamus oportet, quousque pertingat obligatio hæc internationalis bona illa intellectus et voluntatis socialia cæteris populis pro viribus suppeditandi. Et ad bona quidem voluntatis quod attinet, nihil hoc loco addendum est. Etenim primo hujus libri capite jam, quantum pro instituto nostro satis est, docuimus quo pacto internationalis populorum unitas fovenda sit et conservanda, ostendimusque qua ratione aliarum libertatem quævis natio velle debeat integram intactamque servari : atque ita præcipuum quoque officium ab omni natione implendum relate ad rectam vicinarum gentium legislationem jam explicuimus. Igitur quæ de veracitatis internationalis officio breviter hic disputaturi sumus, tractationem hujus duplicis internationalis officii sufficienter absolvent; voluntas namque a vero cognito dirigitur.

1170. Pos. 577ª. — Ob internationalis veracitatis officium, amicales alterius gentis legationes respuere nulli nationi unquam licet.

Prob. — Quælibet natio habet jus veritatis cognoscendæ in iis omnibus quæ ad rem illius publicam pertinent. Atqui legationes missæ ab altera natione ad alteram sunt medium aptum, et plerumque unicum medium aptum, ad verum penitus cognoscendum in negotiis gravissimis ad rei publicæ utilitates maximas et sæpe ad ipsam illius salutem pertinentibus. Ergo, sicut veracitatis internationalis officium unicuique nationi obligationem imponit non impediendi, ne alia quævis natio possit ejus mentem cognoscere in iis quæ ad sociales alterius utilitates spectant; ita idem hoc veracitatis officium vetat, nequa gens amicales alterius gentis legationes, quæ ad verum negotiorum ad rem ejus publicam attinentium statum cognoscendum veniant, recusare et procul a suis finibus prohibere audeat.

1171. Coroll. — *Legationis* nomine hic, ut quisque videt,

appellamus quamcunque rationem, quæ ad socialem mentem ex altero populo ad alterum transmittendam adhibeatur : innumeræ namque rationum istarum formæ et nomina maxime varia esse possunt. Et lex quidem naturalis certos ritus, certasque observantias, in hac socialis mentis mutua communicatione retinendas nullas præscribit. At, sicut illa omnium gentium conspirationem ad commune bonum præcipit, ita plane vetat legatos et nuncios, ab altera gente utcunque missos, sine certa gravique causa recusari. Potest quidem aliquando, ut tempore belli fit, nunciis seu legatis alterius nationis facultas diutius commorandi, aut etiam fines ingrediendi negari : semper tamen facilis via pactioni conventibusque inter populos etiam belligerantes servanda est.

1172. Pos. 578a. — Legatus seu nuntius quilibet, nationi, ad quam ab alia natione est missus, debet omnino et semper esse inviolabilis.

Prob. — 1° Legatus seu nuntius quicunque ad nationem aliquam ab alia gente missus, gentis, a qua mittitur, personam publice apud eam nationem gerit. Ergo natio ad quam est missus, debet erga illum amoris internationalis eadem officia servare, quibus erga totam illam gentem tenetur. Quæcunque autem nationi ad quam mittitur, sit justa causa iræ adversus eam aliam gentem, ultionisque in illam exercendæ, legatus tamen seu nuncius, ex pacto quodam implicito et communi consensu, habetur ut omnino extraneus cuicunque ejusmodi causæ irarum et ultionis; quia et mittitur et excipitur tantummodo ut medium socialis communicationis. Ergo, quæcunque irarum causa inter duas illas nationes ferveat, nihil ea pertinet ad legatum; ac propterea natio ad quam mittitur, excipere illum et habere ita constanter debet, ut omnimodam irarum ejusmodi abstractionem faciat. Tunc autem, hac præcisione facta, remanent solum communia amoris internationalis officia erga illum observanda. Ergo, etc.

2° Jam in præcedenti positione ostendimus cuique nationi semper jus legati ad aliam nationem mittendi, adeoque huic alii nationi esse officium legati ad se missi excipiendi. Atqui jus illud atque hoc officium eatenus solum consistere possunt, quatenus legatus quilibet apud eos ad quos mittitur, inviolabilis plane censeatur. Nisi enim hoc probe compertum sit, nihil legato apud aliam gentem, quamvis suæ nationi infensam, versanti esse unquam timendum, perdifficile plerumque erit invenire civem aliquem, præsertim ex eorum numero qui doctrina et rerum usu

aptiores ad ejusmodi legationes sunt, qui hoc munere fungi tunc velit, quum major illius gravitas et necessitas est, scilicet quum mutua odia et bella inter duas nationes exardescunt. Atqui, etc. Ergo, etc.

1173. Pos. 579ª. — Legato cuilibet, quamdiu apud populum ad quem est missus, cum tali munere versatur, nihil ei populo utcunque noxium tentare licet.

Prob. binis rationibus similibus duarum quibus postrema positio confirmata fuit. — Etenim 1°, quum legatus seu nuntius ad nationem aliquam advenit, implicite promittit, nihil se contra illam nationem moliturum. Nisi enim hoc implicite polliceretur, tunc præsertim quum odia fervent inter nationem ad quam venit, et aliam a qua mittitur, nunquam prior illa natio, ut quæ multum a legati præsentia timendum sibi merito existimaret, eumdem sineret fines suos ingredi, atque in suis terris versari. Ergo tacita hac promissione et pacto legatus obligatur, ut nequid nationi ad quam missus est, sive amica sive inimica sit alteri natio noxium vel periculosum moliatur.

2° Hinc vero consequitur alia ratio a natura legationis cujuscunque proveniens. Nam legatio quælibet est tantummodo medium ad mentem socialem inter nationes communicandam. Et sicuti, hoc ipso quod suæ nationis personam apud aliam nationem gerit, habet jus ad omnia amoris internationalis testimonia, ita etiam ob eamdem causam omnibus erga hanc aliam gentem amoris internationalis officiis obligatur. Ergo, siquid legatus nationi ad quam mittitur, noxium tentaret, rem quidem faceret naturæ suæ muneris intrinsece repugnantem; præsertim vero, quum talis facultas nationis, ad quam ille mittitur, lædendæ impossibilem prorsus omnis legationis internationalis usum efficeret. Nisi enim plane constaret apud omnes populos nullum læsionis periculum a legati præsentia timendum esse, nulla natio legatos exciperet tunc quum maxima est eorum necessitas, nempe inimicitiæ et belli tempore. Ergo, etc.

1174. Coroll. — Ex iis quæ ad postremas duas positiones comprobandas diximus, quisque intelliget jure meritoque ab omnibus omnium ætatum populis, quantumvis barbaris, injurias quæ vel legato a natione quæ illum exceperit, vel a legato nationi a qua fuerit exceptus, illatæ sint, horrendi sceleris loco semper fuisse habitas.

Jurium autem et officiorum ad internationalem mentis socialis

communicationem pertinentium complexio est illud quod *jus diplomaticum* appellari consuevit a *diplomate* quo legatus quilibet, in sui muneris testimonium, a sociali auctoritate, cujus personam gesturus est, opportune communitur. Et jura illa quidem atque officia diplomatica, quantum a sola naturali lege proveniunt, omnia ad tria illa capita, quæ nuper ultimis tribus positionibus enumeravimus, reducuntur. At his quasi fundamentis innixum jus positivum internationale plurimas præterea leges et consuetudines adjecit, quarum expositio ad juris naturalis compendiariam tractationem haudquaquam pertinet.

ARTICULUS II.

De jure et officio internationalibus cognitionem veræ religionis apud alios populos propagandi.

1175. **Notandum.** — Ad relationes morales, quæ plures inter populos independentes interesse possunt, pertinet etiam aliud problema superius indicatum (1151), quodnam scilicet reciproce jus sit nationibus æqualibus veræ apud alias religionis propagandæ. Cujus quidem problematis solutio ab iis quæ in jure civili jam disseruimus de simili jure quod publicæ auctoritati in suos subditos forte competeret, plurimum pendet. Igitur quæ a nobis eo loco hanc in rem constituta sunt, diligenter hic recolenda sunt. Perspicuum autem est, ad hoc problema pertinere *bella sacra*, religionis causa, seu reapse seu specie tenus, olim suscepta a romanis imperatoribus christianis, et medio ævo a regibus europæis contra Turcas, et recentius ab iis qui Indorum et Americæ regiones, ut eas christianæ fidei subderent, armis occuparunt.

1176. Pos. 580*. — Nulla auctoritas humana habet jus religionis quam ipsa forte sequatur, alii populo imponendæ.

Prob. — Jam n. 875 ostendimus nulli humanæ auctoritati per se esse jus doctrinæ cujuspiam positivæ imponendæ suis subditis, quia nulla humana auctoritas est per se infallibilis. Humanæ igitur auctoritati hoc unum hac in re efficiendum est, ut, quoad ejus fieri potest, evidentissima quæque rationis et juris naturalis dogmata, quibus potissimum rei publicæ salus nititur, perpetuo defendat atque integra conservet. Atque in hunc finem ipsum nequaquam illa internum assensum a suis subditis exigere potest, sed illud tantummodo externum silentium, quod ad publicam

tuendam securitatem sit necessarium. Atqui hæc omnia, quæ de juribus civilis auctoritatis in suos subditos vera sunt et explorata, multo magis vera et certa esse debent de juribus nationis cujusque in nationem aliam sibi æquatam. Ergo, etc.

1177. Coroll. 1. — Quoniam moralis actio unius nationis in aliam tota exercetur a principe illius in principem alterius, ex ultima hac positione hoc solum constat, nulli principi licere alterum principem, seu moraliter seu materialiter, cogere, ut suæ nationi certam aliquam religionem imponat. Quæ quidem conclusio nequaquam continet solutionem problematis internationalis, quod a problemate politico ejusdem generis plurimum differt. Etenim in problemate politico hoc unum quæritur, utrum publica auctoritas possit civibus individualiter sumptis certam quamdam religionem imponere, quod et moraliter et physice esse impossibile jam vidimus. Actio namque individualis est maxime in voluntate, quæ, quum prorsus interna sit, nulli humanæ auctoritati subest.

At socialis seu nationalis actio, ex multorum individuorum actione resultans, est necessario externa; his autem multis individuis conservari oportet socialia jura non elisa, quæ sunt et ipsa quoad suum objectum externa, adeoque sub humanæ auctoritatis vim cadere possunt. Si igitur factio quædam in aliqua natione, vel etiam princeps ipse nationis ejusdem illa jura violet, in problemate internationali hoc aliud quæritur : an cuipiam nationi liceat vi et armis intervenire apud illam, ad sustinendam religionem quam ea libere sibi sectandam susceperit. Quod problema internationale, quamvis ad objectum idem, scilicet religionis cultum, pertineat, ob diversitatem subjecti de quo agitur, tam longe a problemate civili differt, ut responsio affirmans, quæ civium libertati in priore problemate plane repugnat, in problemate internationali eorumdem civium libertati præter modum faveat.

Coroll. 2. — Ad hoc problema internationale solvendum in memoriam hic revocanda sunt quæ tum de juribus uniuscujusque hominis in iis quæ ad religiosum cultum pertinent, tum de juribus singularum nationum quoad armatum interventum apud aliam nationem superius tradita sunt. Scilicet, quoad jura uniuscujusque individui, 1° quisquis nunquam socialiter sese religioni revelatæ subdidit, quamvis hæc revelatio possit illum interne obligare, si jam evidenter ejus veritas illi fuerit proposita, nulla tamen auctoritas pure humana est, quæ subditos

suos obligare possit ad talem revelationem positivam excipiendam, atque adeo quæ jus habeat vis materialis adhibendæ ut externam ejus religionis professionem obtineat. — 2° Nulla item auctoritas pure humana habet jus puniendi cujusquam e suis subditis ob hanc præcise causam, quod religionem revelatam, cui nunquam hic se socialiter subdiderit, respuere pergat. — 3° Si tamen individuum sese jam apud societatem obligaverit ad eamdem religionem cum illa profitendam, atque hæc obligatio sit plane rationi consentanea, societas habet jus ad hunc civem a se procul expellendum, ubi illius dissensio cæteris sociis periculosa esse videatur; habet jus illius positive puniendi, ubi fraudis, seditionis, vel alius criminis ei religioni positivæ adversantis, ille civis fuerit convictus.

Quod vero ad armatum unius nationis apud aliam interventum spectat, jam vidimus duplicem ob causam tantummodo eam licere: 1° ad se ipsam, quam alia natio injuste aggrediatur, defendendam; 2° ad opitulandum ei qui et auxilium ab illa postulet, et jus ad petendum auxilium habeat.

1178. Pos. 581ª. — Nulli nationi est naturale jus vi et armis ultro interveniendi ad falsam apud alium æqualem populum evertendam religionem, quæ nullum vicinis grave periculum creet.

Prob. Facile ex principiis in ultimo nuper corollario commemoratis. — Nam falsa religio, quam vel totus aliquis populus, vel aliqua illius pars profiteatur ita, ut nulla ratione vicinos invadere illa conetur, nullo pacto spectari potest tanquam vicinæ nationis aggressio. Atqui, ut jam n. 1151 ostensum est, nulli populo armis apud aliam gentem sibi æqualem ultro intervenire licet, nisi ad injustam aggressionem procul a se repellendam. Ergo, etc.

1179. Pos. 582. — Ubi falsa religio, quam vicinus populus profitetur, vicinos invadere conatur, si nullum ea sociale principium neget, nulli genti licet armis contra illam apud vicinum populum intervenire; at, siquod ea sociale principium aperte infirmet, quælibet alia natio jure potest eamdem apud vicinum populum ultro etiam armis oppugnare.

Prob. 1ª pars. — Ubi religiosus vicini populi dogmatismus incipiat ejus fines prætergredi atque alios populos invadere conetur, vel erroneum illius dogma est *negativum*, et principium aliquod ex iis quibus nititur ipsa societatis cujuslibet existentia,

continet, vel est dogma *positivum*, quod, salvis omnibus principiis socialibus, errores nullum societatis existentiæ periculum apertum creantes iis tanquam fundamentis superstruit. In casu posteriore, ad quem prima pars positionis spectat, quoniam nullum periculum hæ doctrinæ pariunt societatis existentiæ, sub liberam cujusque opinationem, respectu socialis auctoritatis, cadunt. Itaque in omnibus ejusmodi doctrinis nulla humana auctoritas habet jus sui judicii vel alteri populo vel suis subditis imponendi, quia in iis omnibus quæ ad societatis gubernationem et ad suam defensionem necessario non attinent, ratio subditorum non est inferior ratione principis, et ratio alterius nationis nequit esse pejoris conditionis quam ratio alterius gentis. Ergo neque ulli nationi licebit bellum alteri populo inferre ob ejusmodi doctrinas respectu boni pure socialis innocuas, apud illum percrebrescentes, et in vicinos populos propagatas.

PROB. 2ª PARS. — Quoties dogma vicinos populos invadere minitans ab aliqua natione jam est socialiter exceptum, et illud est negativum ita ut prima socialia principia in apertum discrimen adducat, tunc jam ea natio vicinos populos *aggredi* cœpit : hi namque jam ea de causa periclitantur. Ergo, si monitiones et questus pacifici nequaquam ad periculum ab noxia pestiferaque doctrina proveniens propulsandum sufficiant, unaquæque natio habet jus vi et armis interveniendi apud vicinum populum, ut talis doctrinæ propagationem impediat; eodem plane modo, quo humana auctoritas in unaquaque societate, quamvis nullum jus habeat doctrinæ cujuspiam positivæ per vim aut imponendæ, aut impugnandæ, jure tamen potest vel in exilium pellere, vel gravius etiam punire subditum, qui pravis doctrinis directe publicam tranquillitatem ac felicitatem externam perturbet, publicam moralitatem corrumpendo, vel politicum ordinem legitime constitutum scriptis aut dictis oppugnando. Ergo, etc.

1180. POS. 583ª. — Siqua natio ab aliquo populo, qui ob religionis causam vel contra suum principem bono jure insurgat vel contra ejusdem populi partem alteram sese defendat, in auxilium ad ejus religionem tuendam vocetur, potest utique illa armis opitulari ei parti, pro qua jus validius stat.

PROB. — Semper licet auxilium ferre illi, qui verum jus auxilii petendi habet. Atqui jam n. 1008 ostendimus quosdam occurrere casus, in quibus subditi, ob certas aliquas politici regiminis formas legitime vigentes, habent verum et proprium jus contra

suum principem : nam, ut illic vidimus, princeps revocabili electione constitutus potest a subditis legitime interdum impugnari; et princeps a majore principe legitime dependens potest jure ab illo puniri. Præterea, quandoque altera pars populi, ab altera parte in causa religionis dissidens, potest hanc armis, principe invito, appetere. Igitur, si alterutra ex partibus dissidentibus auxilium ab alia natione expostulet, poterit utique hæc alia natio armis opem ferre illi parti, quæ meliore jure manifeste nitatur.

1181. Coroll. 1. — Si nullum subditis politicum sit jus per vim insurgendi contra suum principem injuste illos religionis causa vexantem, vel eumdem apud majorem principem, a quo ille dependeat, accusandi; tunc evidens est, quacunque tyrannide illos princeps ob religionem vexet, nullum iisdem jus esse externum alterius nationis auxilium adversus eum principem invocandi : ac proinde, si in ejusmodi casu externam opem armatam ii quærant, nulli populo armis in hunc finem intervenire licebit. Igitur in eo casu pacificas quidem artes monitionum, suasionum, precum adhibere apud principem independentem miseræ nationi licebit; at eas solum artes, non arma, saltem quamdiu publica pax apud eum populum perseverat. Quod si, subditis ad arma convolantibus, bellum intestinum inter illos et principis fautores conflagraverit, tunc tandem, iis semper cautionibus servatis, quas n. 1144 et seqq. præscripsimus, licebit vicino populo juri meliori, quod armorum vi opprimatur, auxilium afferre.

Coroll. 2. — Quæ hactenus de juribus et officiis internationalibus disseruimus, ad nationes æquales, quibus nulla *ethnarchica* auctoritas dominetur, omnia pertinent. At, si plures nationes, servata nationali cujusque distinctione, in unicam *ethnarchicam* societatem coalescant, adeoque communi cuidam auctoritati internationali omnes æque subsint, tunc eadem statim apud plures eas nationes jurium fiet mutatio, quæ fit apud plura individua in unicam civilem societatem convenientia. Certa scilicet auctoritas semper aderit, ad quam alter populus ab altero vexatus confugiat. Igitur, siquis populus religionis causa a suo principe opprimatur, tunc etiam licebit ei populo rem suam ad supremam illam auctoritatem ethnarchicam deferre; præsertim vero, si religio illa distinctam quamdam plurium nationum societatem efficiat, ad quam societatem ille princeps, talem religionem in suis subditis vexans, publice tanquam illius membrum pertineat.

CAPUT IV.

De officiis internationalibus in statu hostili.

ARTICULUS I.

De belli natura generaliter.

1182. Notandum. — Nemini profecto dubium esse potest, quin duplex belli considerandi ratio esse possit, alia pure *sensitiva*, quatenus bellum est præcise impetus passionis socialis, dolore boni cujusdam amissi excitatus, et ad hoc bonum recuperandum vel ulciscendum violenter contendens; alia *rationalis*, quatenus bellum est actus rationis socialis defensionem boni publici necessariam jubentis. Jamvero bellum, quatenus est præcise actus sensitivi appetitus, nullo pacto differt a brutorum animantium de præda contendentium præliis; neque alio modo tigres cum leonibus, lupi cum canibus concertant. Nulli igitur legi morali subesse bellum ita consideratum potest. Quamobrem *rationaliter* hic a nobis omnino bellum spectatur, quatenus illud est actus humanus et moralis, ut quibus illud legibus moralibus regi debeat, constituamus.

1183. Pos. 584ª. — Bellum est publica pugna alterius nationis contra alteram vi et armis ad jus tuendum concertantis.

Explic. — 1° Bellum est pugna publica alterius nationis contra alteram; pugna scilicet, quam altera natio contra alteram *socialiter* committit, idest ita ut hæc pugna et *sociale principium*, quæ est publica auctoritas, habeat, et *socialibus* utatur *mediis*, quæ in publica vi, jam superius, libro 10°, considerata, consistunt. Pugna namque inter homines individuos, ut tales, commissa, non bellum, sed pugna simpliciter et lucta et rixa vocatur, et interdum duellum, de quo lib. 7, cap. 1, art. 7. dictum est.

2° Est pugna ad jus tuendum suscepta. Etenim, quum quævis natio (1138) amoris et justitiæ officiis erga aliam quamlibet devinciatur, nulli nationi licet malum alteri nationi inferre, nisi ob

necessitatem mali a se propulsandi, quod secundum rationem illa possit ac debeat a se propellere. Atqui hoc ipsum nihil aliud est quam jus suum tueri (365). Ergo bellum debet esse pugna ad jus tuendum suscepta.

1184. **Coroll.** 1. — Jus, quod omnis natio habet, ad aliam nationem bello appetendam justæ suæ defensionis causa, ad amorem ipsum internationalem pertinet. Bellum enim idcirco tantum suscipi juste potest, ut gens aliqua, aliam gentem injuria afficiens, intra ordinis et honestatis limites vi invitus redigatur. Ordo autem et honestas sunt profecto bonum hominis proprium. Ergo conatus, qui armorum vi fiat ad ordinem et honestatem inter duas nationes restituendum, tendit plane ad commune utriusque nationis bonum. Verum quidem est, non raro sub juris specie tyrannidem atque injuriam bello sustineri; non raro etiam, in jure ipso armis vindicando, inhumanam potius ultionis voluptatem, quam justam ordinis victoriam exquiri. At hæc omnia hominis passionibus misere servientis aberrationes sunt, non actuum humanorum objectiva ratio et ordo naturalis. Quare hoc compertum et exploratum est, bellum quodlibet, ex naturæ legibus, esse *violentam ordinis internationalis defensionem*, seu violentam reactionem adversus perturbationem ordinis internationalis.

Coroll. 2. — Ex natura belli sic determinata facile illius præcipuæ leges colliguntur. Etenim 1°, quoniam bellum est plurium nationum conflictus, omnes illius actus debent esse sociales.

2° Bellum restaurandi ordinis causa suscipi solum debet : ergo omnes ejus actus ordini consonare, idest justi et æqui esse, debent.

3° Bellum est violenta defensio: ergo omnis quidem illi efficacia et vis ad talem defensionen necessaria tribuenda est ; at simul ab omni violentia, quam juris defensio non necessario postulet, prorsus est abstinendum. De his legibus singillatim nunc disserendum est.

ARTICULUS II.

De auctoritate ad quam belli denuntiandi et gerendi jus pertinet.

1185. Pos. 585ª. — Bellum nec denuntiari nec geri nec abrumpi, nisi a suprema cujusque nationis auctoritate, jure potest.

Prob. — Bellum est publica juris defensio; est defensio juris socialis. Atqui nullus actus est publicus et socialis, præter illum qui a sociali auctoritate proficiscitur (740); et ad solam supremam cujusque societatis auctoritatem pertinet determinare in quo bonum et jus totius societatis positum sit, hujus boni et juris violationem in unoquoque casu particulari cognoscere ac judicare, bonum et jus totius societatis tueri (990). Id namque ad societatis unitatem est omnium maxime necessarium. Ergo omnis actus belli debet vel immediate vel mediate a suprema sociali auctoritate proficisci. Ergo, etc.

1186. Coroll. 1. — Suprema hæc auctoritas socialis, ad quam in casu particulari jus belli indicendi, gerendi, abrumpendi pertinet, non est semper auctoritas *absolute* suprema, sed sæpe est *relative* suprema; nimirum suprema inter illas sociales auctoritates, quæ in casu particulari jus societatis evidenter violatum et possunt et volunt armis efficaciter tueri et resarcire. Etenim, si auctoritas, quæ plurium societatum æqualium aggregationi præest, vel propter impotentiam vel propter incuriam, jus societatis violatum non defendat, tunc sane ad supremam ex particularibus auctoritatibus quæ rei publicæ sibi commissæ bonum tueri et possunt et volunt, utique spectat bellum pro communi salute suscipere. Omni namque societati jus sui ipsius defendendæ et conservandæ est essentiale et inamissibile; neque juris hujus exercitium potest ulla personæ cujuslibet, a qua illud pendeat, vel culpa vel impotentia impediri. Igitur publica auctoritas, quæ jus belli indicendi ac gerendi habet, non semper necesse est ut absolute sit independens; sed hoc sufficit, si, concursu superioris auctoritatis, a qua illa forte pendeat, quamcunque ob causam, deficiente, jus societatis sibi subjectæ violatum nequeat aliter quam armis defendere ac resarcire.

Coroll. 2. — Evidens est impotentiam illam vel incuriam supremi gubernatoris, cui seu voluntas seu vis desit ad ordinem tuendum, non levis imperfectionis in politica talis populi constitutione indicium esse. Itaque bella, quæ inter societates non omnino independentes, sed uni eidemque supremæ auctoritati subditas, gerantur, nonnisi apud eas nationes quarum civilis expolitio adhuc valde imperfecta est, accidere possunt; eoque difficilius debent ejusmodi bella exoriri posse, quo longius sociales nationis cultus et perfectio progressa sint. Gravissima namque imperfectio entis compositi est, quod ejus partes inter

se mutuo colluctentur. Quapropter quæ societates hanc facultatem juris sui violenter propriis suis quæque viribus tuendi primæ amittunt, sunt omnium maxime elementares, domestica nimirum, herilis, amicalis, atque ita porro. Quibus quidem singulis societatibus, quamdiu civitas nondum satis ampla, nec satis firma est, jus illud utique competere potest. At, ubi civilis societas jam satis valide ad omnes et singulas familias efficaciter tuendas fuerit constituta, tunc singulis familiis a civitate, sicut singulis individuis a patrefamilias, vetanda est violenta suorum cuique jurium defensio; quæ nisi efficaciter impediretur, societatem ipsam penitus everteret. Et sicuti hominum associatio a familia ad civitatem, a civitate ad politicum regimen progreditur, ita, quo perfectior et amplior hæc assiociatio evadit, ad altiorem semper jurisdictionem negotia graviora pertinebunt.

COROLL. 3. — Ex prima eadem lege, quæ bellum publicum esse oportere statuit, hoc etiam colligitur, individuis belligerantibus nullum aliud jus offensivum competere præter illa, quæ a sociali auctoritate illis fuerint legitime concessa.

ARTICULUS III.

De causa ob quam bellum geri legitime potest.

1187. POS. 586ª. — Bellum nequit jure suscipi, nisi ob commune bonum particularis societatis, a qua illud gerendum est.

PROB. — 1° Bellum, ut jam vidimus n. 1183, est actus socialis; actus autem nequit esse socialis, nisi quatenus naturæ sociali et principiis societatem constituentibus est proportionatus. Atqui societatis cujusque naturam determinat potissimum finis, ad quem illa tendit (473). Ergo, ut bellum sit actus socialis, debet præsertim esse proportionatum ad finem illum, qui est commune societatis bonum.

2° Bellum est necessario actus auctoritatis socialis (1185). Atqui omnis actus auctoritatis socialis debet ad commune particularis, cui præest, societatis bonum ordinari (456); auctoritas namque ipsa nil aliud est quam jus ordinandi ad commune bonum. Ergo bellum debet esse publicum etiam quoad finem, ob quem suscipitur ac geritur, ita ut nonnisi ob commune societatis, a qua illud gerendum est, bonum suscipiatur.

1188. POS. 587ª. — Bonum societatis honestum obligatorium

semper finis legitimus est ob quem bellum ab auctoritate jubeatur ; at non item sociale bonum simplicis convenientiæ.

NOTANDUM. — Bonum societatis particularis duplex est : bonum universale et absolutum seu *honestum*, et bonum relativum ac particulare, sive *utile* (484). Bonum autem honestum potest esse officium stricte obligans, vel simplex convenientia rationalis nullam obligationem inducens (279).

PROB. POS. 1ª PARS. — Bonum honestum obligatorium est bonum societati omnino et absolute necessarium. Ergo socialis auctoritas semper tenetur hoc bonum societati comparare. Ergo, quoties illud nequit aliter quam vi et armis comparari et conservari, semper licet bellum ob hunc finem gerere. Præterea, sociali bono honesto, quod sit stricte officium, omnes sociorum voluntates cedere subdique debent : nequit enim ullus sociorum contra socialem obligationem quidquam agere. Ergo, ubi bellum a sociali auctoritate ob talem finem indictum fuerit, omnes socii tenentur huic bello, quantum legitima auctoritas jusserit, cooperari.

PROB. 2ª PARS. - Bonum honestum simplicis convenientiæ non est societati omnino necessarium, atque illius electio est per se singulis omnibusque individuis libera. Ergo semper possunt individua suam negare cooperationem ad bellum quod pro talis boni adeptione denuntietur. Quin imo, quum honestum simplicis convenientiæ possit quandoque honesto obligatorio collidi, potest interdum individuis non solum jus, sed strictum officium esse abstinendi prorsus a bello quod pro tali bono simplicis convenientiæ suscipiatur. Atqui essentiale societatis cujuslibet bonum consistit in tutela jurium communium alio jure validiore non collisorum. Ergo bellum, quod pro bono simplicis moralis convenientiæ susciperetur, nequaquam ad commune bonum tenderet, adeoque a sociali auctoritate nequit illud absolute præcipi.

1189. COROLL. 1. — Etiamsi ob moralem honestatem non obligatoriam nequeat auctoritas bellum subditis præcipere, at ipsi subditi, libera magnanimitate permoti, possunt ultro bellum ejusmodi optare. Tunc vero auctoritatis officium erit, generosa hæc populi studia opportune fovere, atque ad arma omnes, quicunque pro sancta præclaraque hujusmodi causa decertare cupiant, convocare. Quum enim bonum societatis, non secus atque individui, maximum sit honestas (484), auctoritas tali bello, ob

virtutis alicujus supererogatoriæ studium suscipiendo, favens et cooperans, rem faciet bono societatis præcipuo maxime consentaneam. In tali autem casu nulli milites, nisi voluntarii, conscribendi sunt : qui quidem, modo ne ulli sociorum grave quodpiam detrimentum afferant, poterunt utique cum magna laude generosum facinus aggredi, quod alii minus animo valentes suscipere non audeant.

Id vero fieri posse diximus, modo nullum cuiquam sociorum grave detrimentum afferatur : nam quilibet socius negativo obstringitur officio, ne quemquam sociorum damno afficiat; huic autem officio respondet in omni socio jus stricte sumptum, quod nulla causa virtutis supererogatoriæ collidi potest. At solum de gravi damno id intelligendum est, quia leve alienum incommodum nequaquam sufficit ad collidendum jus, quod omni homini est, ardua et generosa facinora suscipiendi.

Jam ex iis quæ hactenus animadvertimus, intelligere quisque potest quam caute prudenterque supremæ auctoritati agendum sit, non solum in belli denuntiandi justitia consideranda, sed etiam in damnis prævidendis, quæ societas ex bello non necessario capere posset.

Coroll. 2. — Duplici igitur ratione bellum quodpiam appellari publicum potest : aliud scilicet, quod socii immediate per se ipsi volunt, aliud quod socii volunt solum mediate per socialem auctoritatem a qua illud præcipitur. Et bellum illud prioris generis, potest proprie *nationale* vocari; aliud vero posterioris generis, *publicum* proprie dicetur. Quæ quidem distinctio magni momenti est ad jus associationis rite applicandum societati violentæ, de qua lib. 6°, cap. 4, jam disseruimus. Etenim, si in bello *publico* proprie dicto gerendo culpa sese aliqua populus obstringat, culpa ista mere socialis erit, nec juste poterit alia pœna quam sociali puniri. At, si ejusmodi culpam in bello *nationali* populus commiserit, unusquisque pugnantium de illo populo personalem punitionem meretur, quia voluntate individuali pugnat.

1190. Pos. 588a. — Publica utilitas est semper sufficiens ratio ad bellum aliunde justum suscipiendum, modo illa sit manifeste major publico detrimento quod ex bello timetur.

Prob. — Socialis auctoritas semper debet societatis commoda atque utilitates, aliunde justas atque honestas, efficaciter tueri atque augere. Ergo, siquis alius populus, vi aut fraude voluntarie adhibita, impedimento sit, ne socialis quædam auctoritas utilita-

tes publicas suæ societatis tueatur, conservet, atque etiam intra justos limites augeat, potest illa utique et plerumque debet armorum vi obstacula istiusmodi evertere. Atqui commoda bello comparanda possunt sane minora esse quam commoda pacis servatæ; tunc autem belli utilitas detrimento quod bello afferretur, colliditur, et bellum non solum inutile, sed noxium quoque societati esset. Itaque nulla tunc belli suscipiendi causa, respectu publicæ utilitatis, sed potius causa prorsus a bello abstinendi suppetit.

1191. Coroll. — Ad politicam auctoritatis prudentiam pertinet perpendere ac judicare utrum belli utilitas damnis quæ ex illo vel ex servata pace timentur, major sit, necne. Hoc tamen maxime animadvertendum est, commoda illa belli et pacis, non *individualiter*, sed *socialiter* semper esse consideranda : ex quo discrimine conclusiones practicæ maxime diversæ profluunt. Sic, *v. g.*, unius socii mors a vicino populo perempti est minus malum, si res individualiter spectetur, quam mille hominum, qui in bello peribunt, jactura. At, si per eorum mille hominum mortem societas universa a vicini populi præpotentis injuriis sese in posterum protegat, bellum erit socialiter utilius, quamvis mille hominum mors ad unius necem ulciscendam fuerit necessaria. Etenim evidens est, si hanc unius necem inultam societas relinquat, occasionem inde populum infensum ad majora audenda sumpturum, totamque illam societatem, adeoque omnia illius individua, quorum vitam, bona et securitatem tueri socialis auctoritas debet, in perpetuo discrimine dehinc futura.

ARTICULUS IV.

De belli uniuscujusque particularis justitia.

1192. Notandum. — Quoniam bellum est violentus hominum ad ordinem turbatum restituendum pugnantium conflictus, manifestum est, nihil in bello particulari esse debere, quod recto ordini adversetur; quod enim ipsum ordini repugnat, ineptum profecto est ad ordinem resarciendum. Jamvero, quoniam potest ordo violari vel ex mentis errore et ignorantia, vel per apertam voluntatis malitiam, duplex belli genus cogitari potest : alterum, in quo ambæ partes belligerantes bona fide existimant sese pro recto ordine decertare, quamvis una saltem ex illis ordinem re-

virtutis alicujus supererogatoriæ studium suscipiendo, favens et cooperans, rem faciet bono societatis præcipuo maxime consentaneam. In tali autem casu nulli milites, nisi voluntarii, conscribendi sunt : qui quidem, modo ne ulli sociorum grave quodpiam detrimentum afferant, poterunt utique cum magna laude generosum facinus aggredi, quod alii minus animo valentes suscipere non audeant.

Id vero fieri posse diximus, modo nullum cuiquam sociorum grave detrimentum afferatur : nam quilibet socius negativo obstringitur officio, ne quemquam sociorum damno afficiat; huic autem officio respondet in omni socio jus stricte sumptum, quod nulla causa virtutis supererogatoriæ collidi potest. At solum de gravi damno id intelligendum est, quia leve alienum incommodum nequaquam sufficit ad collidendum jus, quod omni homini est, ardua et generosa facinora suscipiendi.

Jam ex iis quæ hactenus animadvertimus, intelligere quisque potest quam caute prudenterque supremæ auctoritati agendum sit, non solum in belli denuntiandi justitia consideranda, sed etiam in damnis prævidendis, quæ societas ex bello non necessario capere posset.

Coroll. 2. — Duplici igitur ratione bellum quodpiam appellari publicum potest : aliud scilicet, quod socii immediate per se ipsi volunt, aliud quod socii volunt solum mediate per socialem auctoritatem a qua illud præcipitur. Et bellum illud prioris generis, potest proprie *nationale* vocari; aliud vero posterioris generis, *publicum* proprie dicetur. Quæ quidem distinctio magni momenti est ad jus associationis rite applicandum societati violentæ, de qua lib. 6°, cap. 4, jam disseruimus. Etenim, si in bello *publico* proprie dicto gerendo culpa sese aliqua populus obstringat, culpa ista mere socialis erit, nec juste poterit alia pœna quam sociali puniri. At, si ejusmodi culpam in bello *nationali* populus commiserit, unusquisque pugnantium de illo populo personalem punitionem meretur, quia voluntate individuali pugnat.

1190. Pos. 588ª. — Publica utilitas est semper sufficiens ratio ad bellum aliunde justum suscipiendum, modo illa sit manifeste major publico detrimento quod ex bello timetur.

Prob. — Socialis auctoritas semper debet societatis commoda atque utilitates, aliunde justas atque honestas, efficaciter tueri atque augere. Ergo, siquis alius populus, vi aut fraude voluntarie adhibita, impedimento sit, ne socialis quædam auctoritas utilita-

tes publicas suæ societatis tueatur, conservet, atque etiam intra justos limites augeat, potest illa utique et plerumque debet armorum vi obstacula istiusmodi evertere. Atqui commoda bello comparanda possunt sane minora esse quam commoda pacis servatæ; tunc autem belli utilitas detrimento quod bello afferretur, colliditur, et bellum non solum inutile, sed noxium quoque societati esset. Itaque nulla tunc belli suscipiendi causa, respectu publicæ utilitatis, sed potius causa prorsus a bello abstinendi suppetit.

1191. Coroll. — Ad politicam auctoritatis prudentiam pertinet perpendere ac judicare utrum belli utilitas damnis quæ ex illo vel ex servata pace timentur, major sit, necne. Hoc tamen maxime animadvertendum est, commoda illa belli et pacis, non *individualiter*, sed *socialiter* semper esse consideranda : ex quo discrimine conclusiones practicæ maxime diversæ profluunt. Sic, *v. g.*, unius socii mors a vicino populo perempti est minus malum, si res individualiter spectetur, quam mille hominum, qui in bello peribunt, jactura. At, si per eorum mille hominum mortem societas universa a vicini populi præpotentis injuriis sese in posterum protegat, bellum erit socialiter utilius, quamvis mille hominum mors ad unius necem ulciscendam fuerit necessaria. Etenim evidens est, si hanc unius necem inultam societas relinquat, occasionem inde populum infensum ad majora audenda sumpturum, totamque illam societatem, adeoque omnia illius individua, quorum vitam, bona et securitatem tueri socialis auctoritas debet, in perpetuo discrimine dehinc futura.

ARTICULUS IV.

De belli uniuscujusque particularis justitia.

1192. Notandum. — Quoniam bellum est violentus hominum ad ordinem turbatum restituendum pugnantium conflictus, manifestum est, nihil in bello particulari esse debere, quod recto ordini adversetur; quod enim ipsum ordini repugnat, ineptum profecto est ad ordinem resarciendum. Jamvero, quoniam potest ordo violari vel ex mentis errore et ignorantia, vel per apertam voluntatis malitiam, duplex belli genus cogitari potest : alterum, in quo ambæ partes belligerantes bona fide existimant sese pro recto ordine decertare, quamvis una saltem ex illis ordinem re-

ipse, bellum gerendo, violat; alterum, in quo una saltem partium belligerantium pro aperta ordinis violatione præliatur. Et bellum quidem primi generis est mera sui juris defensio pro utraque parte belligerante. At bellum alterius generis infert ideam veræ punitionis, quam populus pro jure atque ordine pugnans alteri populo belligeranti infligit.

Jam raro admodum fieri posse videtur, ut bellum simul ex utraque parte sit reapse prioris illius generis ; quia bello injusto sese certare altera pars facile, præsertim post diuturnius aliquod tempus, cognoscere potest ac debet. Attamen fingamus id accidere, ut indicemus discrimen practicarum juris applicationum, quod inde proveniet. Etenim, quoties bellum est utrinque prioris generis, quoniam tunc bellum est utrinque mera boni materialis defensio, victori, quanquam pro justa causa præliato, nulla pars erit illius juris coactivi, quod ei *crimen* populi devicti tribueret, titulo superioritatis eo crimine fundatæ (679). At vero quod toto belli processu perraro fieri posse videtur, facilius sane sub ipsum belli initium potest accidere.

1193. Pos. 589a. — Belli determinati justitia postulat, ut, antequam illud inferatur, monitiones frustra opportunæ præcesserint.

Prob. — Evidens est gravia damna nationi bello appetitæ semper afferri, et tanta hæc damna nunquam esse cuipiam nationi inferenda, nisi plane constet eam et graviter alterius populi jura voluntarie violasse, et obstinate in hac voluntaria violatione perstare. Debet certo constare 1° jura fuisse violata ; quia bellum est essentialiter ordinis violati reparatio : 2° graviter ea violata fuisse ; quia pro levi damno nunquam gravis pœna infligenda est : 3° populum qui alterius nationis jura læserit, in prava sua voluntate obstinate persistere ; quia tunc solum bello quæri potest ordinis reparatio, quum nulla obtineri alia ratione potest. Bellum namque per se nequaquam est medium aptum ad injurias acceptas cum exacta proportione compensandas : per se quippe damna multo majora infert nationi lædenti, quam quæ natio læsa acceperit. Impossibile nimirum est violentam ejus punitionem intra certos quosdam limites continere ; et plurima per se bellum habet, quæ a casu et fortuna omnino pendent. Ergo bellum est medium per se ineptum ad exactam injuriæ et reparationis proportionem obtinendam. Ergo non licet hoc medio uti, nisi quum omnia prorsus alia media desunt. Ergo, si pacifice

possit damni accepti reparatio obtineri, hæc reparatio pacifica præferenda omnino est.

Atqui, ut constet nationem aliquam et voluntarie alterius populi jura læsisse, et in hac improba voluntate obstinate persistere, necesse plane est, ut opportunæ illi monitiones, antequam bello appetatur, a natione læsa mittantur : fieri namque potest, ac sæpe fit, ut, qui alium læserit, simul atque id cognoverit, vel ostendat se citra omnem voluntatem alteri nocuisse, vel damni illati reparationem exhibeat. Ergo, etc,

1194. Pos. 590ª. — Justæ belli inferendi causæ omnes ad tres istas pertinent, ad ordinis moralis restitutionem, ad damnorum reparationem, et ad periculi propulsationem.

Prob. — Bellum est violenta sui ipsius defensio. Jam natio quæpiam potest sese defendere vel a malo jam illato, illud expellendo, vel a malo imminente, illud impediendo. Et malum quidem, illatum aut imminens, potest esse vel cum vera culpa conjunctum, quia fuit aut futura est injuria voluntaria, vel in materiali solum damno sine culpa illato consistere. Si bellum infertur præcise ad acceptam injuriam moralis generis ulciscendam, ejus causa est ordinis restitutio; si bellum geritur ad accepta damna compensanda, ejus causa est damnorum reparatio. Denique, si bellum indicitur ad malum propulsandum, quod nondum quidem fuerit illatum, sed plane immineat, cujuscunque illud generis sit, seu materiale tantum, seu morale, tunc belli causa erit periculi propulsatio.

1195. Coroll. 1. — Jus illud ad ordinem moralem ab aliquo populo violatum restaurandum non potest competere nisi ei nationi quæ *superioritatem* in eum populum ob ejus delictum acquisiverit (679). Jus vero ad compensationem exigendam ex damno accepto, et jus ad sese præmuniendam ex præsenti periculo illi nationi provenit.

Jam, quod ad delictum puniendum pertinet, notandum est hujus delicti participem habendam esse quamcunque aliam gentem, quæ populum delicti auctorem armis defendere instituat. Unde colligitur, quoties delictum illud et grave et manifestum est, maxime licere nationi, quæ tali delicto læsa est, armis oppugnare, et bellica omni severitate punire populum quemlibet genti illi noxiæ armatis copiis opitulantem, nisi sufficienter admonita ab incepto desistat.

Quod vero pertinet ad jus damni compensandi, quoniam illud

præcise a damno accepto provenit, nequaquam considerat utrum natio quæ damnum intulit, moralem culpam nocendo commiserit, sed solum quanto detrimento affecerit, seu rem possessam eripiendo, seu rem debitam negando. Itaque perspicuum est, hanc alteram belli causam, si sola adsit, nullum jus aliud nationi læsæ tribuere, quam ad *tantumdem* recipiendum; quia inter æquales justitia intercedit distributiva (449) : ad quod tantumdem nihilominus pertinent etiam omnes effectus utcunque noxii, qui ab ejus rei vel ereptæ vel retentæ jactura prodierunt. At quando damnum illud cum morali culpa illatum esse constat, præter hoc *tantundem* materialis damni, alia insuper compensatio, in delicti punitionem, exigi sane a læsa natione potest.

Atque hic iterum notabimus in materiali damno compensando nationi læsæ licere armorum vi premere populum quemlibet, qui nationi, a qua damnum illatum est, opem ferat ad rem alienam retinendam, iisdemque hunc populum subesse conditionibus ac populum damni auctorem, relate vel ad solius damni compensationem, vel ad delicti quoque punitionem, quam natio læsa requirat.

Coroll. 2. — Diximus eadem jura nationi læsæ quoad bellum inferendum competere et in nationem quæ damnum attulit, et in nationem quamcunque aliam quæ huic in damno afferendo faveat et cooperetur. Jamvero gravis hic et multis difficultatibus implicata occurrit quæstio, scilicet in quo favor iste et cooperatio, quam quis præstiterit hosti, consistere dicenda sit; num fautor et cooperator ejusmodi censeri debeat quicunque populus omnia mutuæ cum ea natione amicitiæ commercia non abrumpat. Qua in re quod præcipuum atque indubium est, paucis statuemus.

1196. Pos. 591ª. — Quæ natio habet jus ad alteram nationem bello appetendam, habet etiam jus vetandi, ne ulla gens illi alteri merces per se ad belligerandum utiles suppeditet; nequit tamen jure vetare, ne cum illa merces per se innocuæ communicentur.

Prob. 1ª pars. — Quæ gens habet jus ad aliam nationem bello oppugnandam, ut sua jura vel tueatur vel ulciscatur, habet etiam jus vetandi nequis alius populus nationi illi injuste nocenti cooperetur; et siquis populus eidem ad injuriam illius sustinendam opituletur, natio læsa habet jus ad arma contra hunc populum, tanquam injuriæ fautorem et complicem, convertenda, ut nuper coroll. 1°, n. 1195, explicavimus. Atqui merces ad belligerandum suapte natura ordinatas nationi bellum gerenti apportare aut

utcunque suppeditare, est profecto favere bello quod ab illa natione geritur, eique cooperari, ut evidens est. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS. — Vel injuria a populo, qui bello appetitur, commissa omnino evidens est atque extra omnem dubitationem apud omnes vicinas nationes posita, vel obscura et incerta est, saltem apud alias nationes, quamvis natio læsa certissime sciat se injuriam ab altera illa natione passam fuisse. Atqui in neutro casu natio læsa habet jus vetandi ne populi, ut aiunt, *neutri*, cum natione illa nocente merces per se innocuas communicent. Non in 2° casu : quia populi omnes neutri habent jus certum ad relationes amicales cum natione quæ injuste nocens supponitur, conservandas, et ad omnia commoda, quæ ex mutuo illo commercio percipere illi consueverunt : quod jus indubium plane in collisione validius est jure obscuro et incerto nationis quæ se injuste læsam dicit. Ergo, quamdiu natio læsa nequit injuriam sibi illatam evidenter apud alios populos demonstrare, jus, quo ad bellum gerendum utitur, nequit infirmare jus populi cujuspiam neutri ad merces per se innocuas nationi lædenti suppeditandas.

Non in 1° casu: quia nulla externa gens cognoscere certo potest utrum populus iste neuter læsionis illius injustitiam plane pervideat. Ergo nunquam potest ab externa gente ullum ejusmodi officium, quo populus neuter obstringatur ob ejus læsionis injustitiam evidentem, certo determinare. Ergo nunquam etiam jus nationis læsæ, huic officio correlativum, potest certo determinari. Atqui jus quod nunquam potest certo determinari, nequaquam est jus proprie sumptum (369). Ergo, etc.

1197. COROLL. — Binæ partes positionis nuper explicatæ videntur prima specie inter se colluctari. Etenim etiam mercium innocuarum importatio alit vires nationis nocentis, eique media suppeditat ad bellum adversus nationem læsam sustinendum; et commercium quodlibet divitias illius auget, quæ quidem sunt omnium maximum subsidium : divitiis namque quæcunque alia subsidia facile comparantur. Ergo, quoniam populo *neutri* non licet nationi adversus aliam, quam injuste læserit, belligeranti cooperari, ne mercium quidem per se innocuarum communicatio debet licita existimari ; quia mercium per se ad bellum gerendum utilium importationi plane æquivalet.

Attamen in hoc et innumeris aliis ejusmodi casibus distinguenda semper est cooperatio quæ fit directe et per naturam ipsam actionis, a cooperatione quæ solum fit indirecte et per

accidens. Illa est illicita, quoties actio cui quis eo modo cooperatur est illicita. At posterior per se licita est, quum causa satis gravis urget (91), quia per se actioni illicitæ minime cooperatur. Sic, latroni ensem aut igneum tormentum suppeditare non licet; eidem tamen fame laboranti licet utique victualia præbere, quamvis arma tractare cædesque ac rapinas patrare nequiret, si omni alimento careret. At qui cibum latroni famelico præbet, facile sese purgabit dicendo se, latroni alimenta dando, nequaquam eo spectare, ut vitam illiad nova latrocinia porro committenda conservet, sed potius ut pessimæ artis pœnitens ad honestam vitam se recipiat. Non aliter ergo populus omnis *neuter*, qui commercia sua per se innocua persequatur cum natione adversus aliam, quam injuste læserat, belligerante, dicendus est nullo pacto earum dissidiis cooperari.

Quod si commercium per se innocuum, animo tamen hostili adversus nationem læsam populus *neuter* exercere porro pergeret, tunc illud vera cooperatio ad bellum fieret; ac punitione dignus ille ob tale factum evaderet, sicut pœnam meretur qui latronem in eum finem alit, ut ad scelesta facinora denuo possit evolare.

Hoc tamen discrimen hic interest, quod unius individui consilia, penitus in animi penetralibus abdita, multo facilius aliorum oculos effugere possunt quam consilia integræ cujuspiam nationis, aut unius etiam politici regiminis, quod pluribus necessario individuis componitur.

Hactenus de binis prioribus belli gerendi causis, de delicto puniendo deque damnis compensandis dictum est : restat ut de tertia causa, quæ est periculi instantis propulsatio, dicamus.

1198. Pos. 592ª. — Nunquam licet bello aliam nationem lacessere ideo solum, quia materialis ejus potentia nimium excrevit : ut eam liceat bello præoccupare, debet ejus mens belli quamprimum deferendi certo prius cognosci.

Prob. — Semper licet bellum alii nationi inferre ad propulsandum periculum, quod hæc natio injuste alteri creet. Attamen, ut id liceat, debet hoc periculum non solum injuste creari, sed etiam et grave et certum et imminens esse (1150, 1151); quia bellum alii nationi inferre non licet, nisi ob justam ac necessariam suorum jurium defensionem. Atqui populus materialiter opulentior ac potentior haudquaquam potest haberi ut suis vicinis periculosus, nisi talia hostilis animi pravæque voluntatis ad bellum inferendum paratæ externa signa dederit, quibus certum omnino fiat

eum *velle* armorum vi minus valentes opprimere. Quæcunque enim probabilitas succurrat, quæ suadeat bellum ab ea natione in aliam comparari, est ea semper titulus incertus, qui titulo certissimo officii ad amorem internationalem obligantis plane colliditur (1138, 373). Jamvero quantacunque nationis finitimæ potentia nunquam sufficit ad eam certitudinem inducendam : multa enim possumus prava et iniqua, quæ tamen nolumus. Igitur potest optime aliqua gens omnia, quæ ad vicinos bello provocandos ac prosternendos utilia sunt, copiosa et parata apud se habere, quin tamen scelesta illa finitimæ gentis armis opprimendæ cupidine tentetur. Ergo, ut vicinam gentem potentiorem liceat bello præoccupare, necesse est manifesta signa externa et argumenta suppetere, quæ certum efficiant, eam gentem bellum adversus vicinos, quamprimum inferendum, adornare.

1199. COROLL. — Duplex igitur est illud periculum, quod a vicinæ gentis præpotentia impendere potest, materiale scilicet ac morale. Et materiale periculum quodcunque, nisi et morale adsit, in certa nocendi voluntate exterius sufficienter manifestata consistens, nihil prorsus valet ad gignendum jus illius gentis bello præoccupandæ. Quare, etiamsi insuetam subsidiorum omnium copiam, armorum atque hominum vim, ad bellum apparandum, apud se congerat, nondum tamen vicinæ ulli genti jus erit ejusdem bello lacessendæ. Itaque duo hæc tantum præstanda tunc erunt : 1um bellica omnia subsidia virosque ad externam quamcunque aggressionem propulsandam opportuna comparanda : 2um gens illa insolitos belli apparatus coacervans interroganda, ut eorum causam aperiat. Probabilem autem causam, veram aut falsam, semper ea natio vicinis renuntiandam facile inveniet. Quod si gens illa plane fateatur, quod nunquam fit, se bellum adversus quemdam alium populum comparare, tunc profecto huic maxime licebit eam prompta aggressione præoccupare; quia jam in illum injuria commissa est, ac bellum denuntiatum.

1200. POS. 593a. — Natio injuste læsa potest optimo jure nationem nocentem bello subactam omnibus vinculis seu physicis seu moralibus obstringere, quæ ad suorum jurium partæque victoriæ conservationem necessaria sunt.

PROB. — Interdum accidit, ut bello confecto, quod nationis cujusdam injuria fuerat excitatum, atque hujus nationis delicto jam congrua pœna mulctato, gravis adsit nationi victrici causa

timendi, ne gens ea devicta, statim atque acceptæ cladis damna sibi resarciverit, novas injurias novamque aggressionem moliatur. Tunc vero periculum, adeoque metus, societatis insontis est grave malum, quod a nationis nocentis culpa nascitur; quod malum nationi insonti perpetuo incumbet, quamdiu natio nocens, quamvis devicta, sui tamen juris esse perget ac suarum actionum domina. Ergo de nationali hujus populi nocentis independentia tunc agitur, tamquam de materia juris, quod ille quidem sibi conservatum vult, populus vero insons, ab eo læsus, impedire ac vinculis obstringere meditatur. Jamvero manifestum est in tali casu nationis insontis jus omnino validius esse : quia hæc certum et integrum habet jus existentiæ et securitatis suæ in tuto ponendæ; natio vero nocens periculum et gravem illum metum sua culpa alteri genti creavit. Ergo ob hanc culpam jus nationis nocentis imminutum est (678); atque idcirco natio insons, victoriam adepta, optimum jus habet ea vincula nationi nocenti imponendi, quæ sint necessaria ad potestatem iterum nocendi illi adimendam.

1201. Coroll. — Vincula ista, quibus facultas denuo nocendi adimitur nationi subactæ, duplicis generis sunt, moralia et physica. Vincula moralia sunt illa, quibus voluntates, mentes, utilitates nationis devictæ sic alligantur, ut nationi victrici nocere deinceps ea nolit. Vincula physica sunt illa quibus populo devicto vires physicæ vel emunguntur, vel coarctantur ita, ut nocere populo victori gens devicta, quantumvis id velit, jam nequeat.

Jam vinculis moralibus dupliciter potest natio devicta constringi, scilicet vel directe voluntates legibus obligando, vel indirecte voluntates ad justum atque honestum inflectendo, tum judiciis castigatis, tum utilitatibus mutatis. Jam prima illa moralis coërcitionis ratio supponit ab utraque natione, victrice et devicta, vim moralis vinculi, juris nempe atque officii, acriter persentiri. Quapropter genus hoc vinculi internationalis proprium est earum gentium, quæ civili morum cultura atque humanitate præstent. Istiusmodi namque populorum proprium est fidem internationalem, quæ pacti cujuscunque ac fœderis fundamentum est, tanquam primum humanæ societatis principium, constanter vereri, intactamque servare.

Altera moralis vinculi ratio, quæ in judiciis nationis devictæ castigandis consistit, supponit manifeste nationi victrici certam veritatis possessionem adesse, ac propterea illam dubitare non posse, quin major populi devicti pars novas doctrinas, quæ apud

illum propagentur, voluntario consensu amplectatur, ubi tranquillo sinceroque animo illæ et tradantur et vicissim excipiantur. Hoc quidam medio sectæ omnes religiosæ, primo præsertim ortu suo, solent uti. At, quoniam falsarum doctrinarum error brevi detegitur, omnis earum auctoritas sensim dilabitur, earumque auctoribus ac patronis alia deinde atque alia media ad illas constabiliendas ac propagandas conquirenda sunt. Christianæ igitur gentes unæ pollent hac vi præstantissima, quæ populorum mentes atque animos subigere constanter valet; quia moralem ac religiosam veritatem unæ possident. Hac vi fretus Saxonum incursiones Carolus Magnus coërcuit: hac Henricus Hunnos domuit; hac Otho Scandinavos compescuit.

Tertiam denique rationem adhibet natio victrix, seu quum, post victoriam juste partam, nationis devictæ animos sibi per clementiam, per veniam, per benefacta conciliat ac devincit, seu quum relationes populi devicti cum vicinis populis tali arte componit, ut novas injurias contra illam sine gravissimo eoque evidenti suo damno moliri nequeat.

Quod vero ad vincula physica pertinet, accommodanda illa sunt ad cultiores aut barbaros nationis devictæ mores. Si enim hæc tam inculta et fera sit, ut nulla morali vi, nulla materiali punitione, nullis minis domari omnino et contineri possit, tunc sane extrema quæque experiri ad ejus ferociam frangendam victrici nationi utique licet. Itaque, si existentiam juraque sua prorsus necessaria populus victor tueri aliter quam barbari hostis cæde ac pernicie non possit, licebit sane illi hostem ad novas injurias insurgentem oppugnare ad internecionem usque atque omnino delere. At vero ejusmodi casus est moraliter impossibilis; quia cultiori cuivis populo adversus barbaros belligeranti plurima semper media suppeditant, quibus securitatem suam sine barbarorum omnium cæde tueri potest. Hujusmodi sunt castella et arces ad subitas incursiones impediendas apte disposita, militum præsidia ad fines collocata. Adsunt præterea omnes illæ artes, quibus hominum pectora vel asperrima leniri, præsertim religionis ope adspirante, adque ad humanitatis sensus paulatim adduci solent. Quare culti homines isti in iisdem versantur circumstantiis atque ille qui in loco munito ac tuto consistens inimicum injuste aggredientem utique vulnerare aut etiam mutilare potest, at nequit juste illum occidere (756).

Ubi vero nationes politiores utrinque pugnant, cædes illæ post

bellum absolutum atque atrocia quævis media ad populum nocentem debilitandum multo minus licita esse possunt; tum quia mitiora alia media permulta ad eumdem finem obtinendum aptissima suppetunt, tum quia victoris sævitia devictum excitat ad crudelia quæque in hostem perpetranda; ubi primum vel fraus vel robur ei sufficiens ad suas clades ulciscendas adsit : atque ita bellum inter mites cultosque populos in horrendas nefariasque strages; non justæ defensionis causa, sed sola ultionis libidine iteratas, mutaretur.

Jamvero populus victor ad hostem in posterum continendum omnia illa media licite adhibere potest, per quæ, ab omni sævitia contra privatos cives abstinendo, universæ tamen nationis devictæ vires imminuit, suas auget et confirmat. Atqui vires cujusque nationis his tribus continentur : populi multitudine aptaque dispositione, territorii amplitudine et munimentis, et copia denique divitiarum (917); quæ omnia politicam illius existentiam supponunt. Ergo quæ gens aliam justo bello devicit, 1° poterit jure politicam existentiam, idest nationalem independentiam, illi adimere; 2° poterit ejus populum, ejusque exercitum diminuere, ejus cives cogendo sub victoris signis militare; 3° poterit ejus territorium et castella et arces occupare; 4° poterit tributa illi indicere; ejusque commercia impedire; 5° denique, quoniam supremi rectoris persona est ea quæ nationis universæ motum excitat at dirigit, idcirco licebit etiam interdum vel formam politici regiminis, vel principis personam et familiam apud nationem subactam mutare.

His igitur tam multis variisque mediis populus victor uti ea ratione debet, ut suam securitatem cum minimo populi devicti damno obtineat.

ARTICULUS V.

De belli efficacia.

1202. Notandum. — Quoniam bellum ideo suscipitur, ut societas contra vim alterius populi injuste aggredientis defendatur, evidens est, sociali auctoritati, cujus est bellum adornare, indicere atque omnino dirigere, omnia media et quam acerrime adhibenda esse, ut eum finem plane adipiscatur. Quare bellici apparatus conatusque militares eo plures eoque validiores adhi-

bendi erunt, quo potentior hostis, gravioresque belli suscipiendi causæ sunt, delictum scilicet, vel damnum, vel periculum (1194). Igitur graviter in societatem sibi commissam peccat ille princeps, qui medium aliquod militaris defensionis et offensionis negligendo, belli exitum adeoque totius nationis fortunas ipsamque existentiam, in discrimen adducat. Hinc vero facile trahitur solutio problematis quærentis, num duellum ob causam publicam et publica auctoritate, ad controversiam duarum gentium belligerantium dirimendam, indicere liceat.

1203. Pos. 594ª. — Quamdiu spes affulget boni juris bello satis commode tuendi, nunquam potest socialis auctoritas permittere ut duello, quamvis publica auctoritate suscepto, res dirimatur.

Prob. — Bellum, quacunque de causa suscipiatur, ob infimi etiam civis defensionem, est lucta socialis, communi bono necessaria (1183). Ergo, nisi bonum commune periclitetur longe majus damno quod bellum afferet, nunquam bellum erit licitum. At, e contrario, si boni communis ratio bellum postulat, illudque ad communem salutem necessarium est, nequaquam licebit sociali ipsi auctoritati bello suscipiendo supersedere; quia publicæ auctoritatis officium est, commune bonum efficaciter tutari. Ergo nec licebit fortuito duelli eventui committere publicum illud bonum, cujus tutandi causa bellum agendum esset : quia tale duellum esset medium inefficax, utpote suapte natura incertum, ad rei publicæ defensionem. Quoties enim grave aliquod negotium in quo aliena salus, integræ præsertim nationis alicujus, salus agitur, ratione geri potest, nequaquam sorti et fortunæ illud committere licet ei quem talis negotii, quam aptissime potest, gerendi officium premit (413). Atqui duelli exitus est omnino fortuitus : seliguntur enim utrinque pugnatores ii qui victoriæ sibi sperandæ optimum jus habeant, ita ut prævideri nullo pacto possit quis victor sit evasurus. Bellum vero, præsertim quale a cultioribus populis hodie geri consuevit, rationis, prudentiæ et virtutis opus est, ita ut qui populus armis sua jura ulciscenda suscipiat, optimum ducem suis copiis præficiens, constantesque curas et conatus ad bellum strenue gerendum adhibens, belli a se gerendi justitia inflammatus, plurimum sperare potest sese victoria potiturum. Quod siquam primum cladem acceperit, potest iterum vires suas reficere, atque iterum collatis signis hostem profligare. Potest saltem fines suos ab hostium incursione defendere. Potest denique, si minus prospere defensio

ipsa succedat, æquioribus conditionibus pacem ac fœdus a victore obtinere, quas quidem omnes spes, omnia commoda prorsus abjiceret socialis auctoritas, ubi controversiam internationalem duello dirimere vellet. Quocirca, si gravissimæ imprudentiæ damnaretur pupilli cujusvis tutor, cæcæ sortis aleæ fortunas sui pupilli committens, multo magis damnandus princeps ille esset, qui publicum bonum tanto periculo sine ulla necessitate objiceret. Ergo, etc.

1204. Pos. 595ª. — Siquis populus, injusto bello a natione longe potentiore appetitus, certo prævideat ab illa sese opprimendum esse, potest utique duello rem suam credere.

Prob. — Qui injuste ab alio impugnatur, habet jus utendi omnibus mediis ad sese tuendum aptioribus, aliunde licitis. Atqui populus, a natione multo potentiore oppugnatus, ubi prævideat se nullo pacto posse tanto hosti resistere, duellum ab isto propositum acceptando, medium arripit ad sui defensionem accommodatius; quia bellum gerendo, nullam prosperi exitus spem prudenter habere potest; at duello rem committens, spem victoriæ non minus probabilem, quam hostis ipse potentior, acquirit. Ergo in tam gravi periculo, natio minus potens, justitia suæ causæ innixa, potest utique stultitia potentioris nationis abuti, ut saluti suæ hac una, quæ superest, via prospiciat. Ergo, etc.

1205. Coroll. — Ex publici juris doctoribus, qui non pauci docuerunt licere principi, ad belli causam dirimendam, se ipsum singulari certamini objicere ut civium strages vitentur, vel populi sui sortes uni paucisve aliquibus strenuis pugnatoribus committere, ii quidem horrore cædium, et laudabili vitæ humanæ reverentia permoti sunt, at non satis iidem rectas *societatis*, *auctoritatis* et *belli* notiones consuluerunt. Itaque eorum opinio exinde videtur exorta fuisse, quod principis potius humanitatem quam supremam auctoritatem consideraverint. Et vero apud nascentes societates illas, quæ in tota nunc Europa dominantur, videntur utique principes hoc modo bellum considerasse, tanquam luctam scilicet duorum individuorum potentium pro utilitatibus privatis decertantium, quorum alter injuste alienos fines invadit, alter sua defendit, uterque suorum quisque servorum turmis adjutus. Genus nimirum pene patriarchale societatis, quo cum suis subditis utebantur, privata ambitio, qua ad bellum movendum incitabantur, ignorantia denique juris socialis, qua ii populi tunc tem-

poris laborabant, omnia hæc simul conjuncta efficere potuerunt, ut ea belli spectandi et agendi ratio inolesceret. In hoc autem communium opinionum rerumque statu, sicut domino cuivis liberum semper est jura et bona sua deserere, ne illa per aggressoris cædem tueri cogatur, ita, et multo magis, eidem licebit incertæ illorum jacturæ sese exponere, et a mediis quanto ad sui tutelam efficacioribus, tanto contra hostem sævioribus abstinere. At vero apud societates hodiernas principatus minime *dominium* est (457, coroll. 2); nec bellum a principe denuntiari ob privatam ullam causam potest. Hinc efficitur, ut duellum potuerit aliquando licite apud rudiores eas societates in tali genere dissidiorum, ad privatas principum ambitiones pertinentium indici; quamvis universe loquendo duellum pro bello juberi aut acceptari a principe, ut ostendimus, nequeat.

ARTICULUS VI.

De belli moderatione.

1206. **Notandum.** — Belli moderatio spectari potest in ejus initio, processu et fine. Et belli quidem initio belligerantium moderatio postulat, ut iis satisfaciant conditionibus quas jam n. 1193 indicavimus. In belli autem fine, ut hæc moderatio servetur, nunquam lædenda est ea lex humanitatis, quæ vetat, ne ulla societas privetur eo bono, ob quod potissimum a Creatore fuit instituta, scilicet universali bono honestatis in vita præsenti ac felicitatis æternæ in futura, ad quod omnis humana associatio essentialiter subordinatur, neque ullo bono alio cujus ademptio non sit ad jus victoris tutandum necessaria: qua de re jam satis diximus n. 1201. Restat igitur, ut de bello moderando in successivo illius processu disseramus.

1207. Pos. 596ª. — Bellum ita gerendum est, ut ad æquam pacem obtinendam perpetuo spectet.

Prob. — Bellum idcirco tantum suscipere licet, ut publicus ordo ab alia natione violatus resarciatur (1187). Ergo quæ natio bellum moderate gerat, debet, statim ac ordinis restaurationem obtinuit, parata esse ad arma prorsus deponenda, finemque læsioni cuicunque imponendum; scilicet parata esse perpetuo debet, quantum in illa est, ad quiescendum in ordine restituto. Si enim post reparatum ordinem adhuc pugnare pergit, ergo non

ordinis restituendi gratia tantummodo bellum susceperat; quod belli naturæ ipsi repugnat. Atqui ordinis tranquillitas est pax. Ergo quæ natio bellum moderate gerat, debet perpetuo parata esse ad arma ponenda, statim atque justam pacem obtinere potest.

1208. Pos. 597ª. — Bellum ita gerendum est, ut omnis læsio ad violata jura vindicanda inutilis, omnino et constanter vitetur.

Prob.—Bello alteram nationem oppugnare idcirco tantum licet, ut ordo violatus inter duas nationes per vim restituatur. Ergo illa solum damna tali nationi inferri jure possunt, quæ ad ordinem internationalem resarciendum pertineant. Atqui læsio quævis ad jura vindicanda prorsus inutilis, nullo pacto prodesse potest ad ordinem internationalem restituendum : est enim illa potius nova ordinis, idest amoris internationalis, violatio. Ergo, etc.

1209. Pos. 598ª. — Ut bellum moderate agatur, liber hosti aditus ad sinceras pacis conditiones proponendas semper concedendus est.

Prob. — Utraque pars belligerans ita pugnare debet, ut semper ad justam pacem obtinendam spectet (1187, 1207). Ergo semper parata esse debet ad justam pacem cum hoste componendam, si hæc ab illo proponatur. Atqui nequaquam sic erit ad pacem jungendam parata, si hosti viam pacis proponendæ et conditionum novi fœderis statuendarum præcludat. Ergo, etc.

1210. Coroll. — De *sincera* pacis propositione tantum loquimur : quia si hostis, pacem proponendo, moras solum trahere cogitet, ut bellum acrius clanculum adornet, tum profecto fallaces hujusmodi pacis propositiones rejiciendæ sunt. Quare lex illa humanitatis, quæ populum belligerantem jubet semper esse ad pacem instaurandam paratum, nequaquam illum obligat, ad propitias occasiones prætermittendas, aut victoriæ cursum abrumpendum, ut hosti in summo periculo pacem petenti auscultet, præsertim si mendax ac perfidus ille jam exstiterit. Opportunis namque his occasionibus, arreptaque jam victoria id efficitur, ut pacis propositionibus ab hoste hactenus superbo ac pertinaci allatis eo temporis articulo diffidendum plane sit. Hostis vero ejusdem injustitia et perfidia nonnullam utique punitionem merentur, etiamsi ad meliora consilia tandem redeat, et nationi a se injuste læsæ satisfacturum sese polliceatur. Ergo in externo ipso facto sæpe accidere potest, ut propter hostis perfidiam, et ad

justam illius punitionem, pacis propositiones, quæ ab illius legatis afferantur nec debeant nec possint statim et cæca fide acceptari. At in interno animi habitu utraque pars belligerans debet semper esse parata ad sinceras pacis propositiones excipiendas, siquidem bellum juste susceptum debet semper ad pacem instaurandam spectare.

1211. Pos. 599ª. — Justæ belli moderationi repugnat læsio quælibet hominum vel rerum, a quibus nullum hosti obstaculum timendum est.

PROB. — Justa belli moderatio postulat, ut omnis læsio ad violata jura vindicanda inutilis, omnino vitetur (1208). Atqui læsio rerum vel hominum, quæ nullo modo sint hosti bellum gerenti obstitura, est prorsus ad jura vindicanda inutilis : nam belli violentia tota spectat ad illas res evertendas et illos homines subigendos qui obsistere conantur, ne ordo restituatur. Ergo belli violentiam utcunque dirigere contra illos, qui ordinis restitutioni nullo pacto obsistunt, belli ipsius naturæ adversatur. Ergo, etc.

1212. COROLL. — Hæc altera lex vetans, nequa res, nequis homo, a quibus nullum obstaculum ordinis restitutioni timendum est, ulla ratione lædatur, materialem omnem exsecutionem finis socialis, quem bellum spectare debet, complectitur, eique exsecutioni universæ lenitatem quamdam atque humanitatem, quæ gentium excultiorum propria est, tribuere consuevit. Itaque ab iis qui bellum gerere moderate ex rationis legibus velint, ab inutili omni agrorum ac domorum vastatione et incendio, a permixta senum, mulierum, puerorum cæde omnino abstinendum est, nisi forte horum aliqui individualiter sumpti pœnam meruerint. Eamdem ob causam civis quilibet inermis et quietus, sicut nullo pacto ad luctam cum hoste sustinendam cooperatur, ita etiam, præsertim in bello *non-nationali*, nullam a bellica vi, socialis ordinis reparatrice, læsionem directe pati debet. Denique miles ipse armatus, statim ac se dedit, atque arma ponens ab omni jam pugna se cessaturum promittit, apud humanos quosvis populos misericordia dignus habetur; ac si non metu compulsus, sed necessitate ineluctabili officio militaris obedientiæ coactus arma ponat, honoris etiam laudisque dignus merito judicatur.

1213. Pos 600ª. — Belli moderatio vetat, nequis pugnator sese ipsum læsioni cuipiam, pugnare ac resistere pergendo, ex-

ponat, statim ac certo constet inutilem omnino talem perseverantiam fore.

Prob. — Essentiali ipso belli fine, qui est boni socialis reparatio per ordinis violati restitutionem, vetatur omnis læsio, quæ ad hostiles conatus retundendos non sit necessaria vel utilis (1208). Ergo eodem belli fine vetatur, nequis obstinate resistere ac decertare pergat, quum hæc resistendi ac certandi perseverantia et nullam bonæ causæ utilitatem, et pugnantibus pericula et damna porro afferre potest. Ergo absolute illicita est ea pugnandi ac resistendi perseverantia, quæ jam nihil aliud quam pugnantis ipsius perniciem gignere potest.

1214. **Coroll.** — Igitur non humana magnanimitas et constantia, sed ferina sævitia est illimitata illa decertandi pertinacia, quæ nullam unquam deditionis facultatem sibi concessam, mortemque captivitati semper esse præferendam statuat, etiam ubi perseverantia hæc prorsus inutilis jam evasit.

Attamen hoc maxime notandum est in hac re gravissima, a qua sæpe totius nationis salus pendere potest, in qua etiam facile potest ignavorum socordia prudentiæ ac moderationis speciem ementiri : nemini inferiorum militum jus esse statuendi, inutiles jam militares omnes conatus evasisse, quamdiu imperator seu dux adest, qui rem perspiciat ac judicet, copiisque det jussa legitima. Cæterum, ut rem maxime notandam repetamus, ubi nullus superior adest dux seu præfectus, pugnandi pertinacia evidenter inutilis, non virtutis est, sed furoris et amentiæ.

1215. **Pos. 601*.** — Nulli belligerantium parti licet ullis ad hostem lædendum uti mediis, quorum vim maleficam, ut semel fuerit excitata, nequeat ullo pacto dirigere.

Prob. — Quoniam omnis læsio ad hostis pertinacem injustitiam contundendam inutilis vitanda omnino est, illicitum quoque evidenter est, talia ad nocendum media adhibere, quæ pariter sontes atque insontes, armatos atque inermes, reluctantes ac cedentes gravi damno afficiant : talium namque mediorum usus innumeras sane læsiones efficiet ad hostis pertinaciam vincendam atque injustitiam puniendam prorsus inutiles. Atqui hujus naturæ sunt omnia media, quorum malefica vis, ubi fuerit excitata, nequit amplius et cum certo intensitatis gradu applicari, et ad certos terminos dirigi; cujusmodi sunt venena puteis, fontibus, fluviis injecta, pestium contagiones immissæ et similia. Ergo, etc.

1216. Coroll. — Humanitatis valde commendandæ est a novorum armorum ad majores in præliis cædes patrandas idoneorum usu inducendo constanter abstinere, quoties facile hostis ex adverso potest, iisdem armis utendo, majores quoque illas cædes præliando facere. Etenim, quum victoria a virium colluctantium æquilibrio evertendo pendeat, et æquales utrinque cædes nequaquam illud æquilibrium auferant, armis illis crudelioribus adhibitis, calamitas publica utrinque augeretur, spe victoriæ neutri pugnanti aucta. Quare plurimum populis omnibus nocuit primus ille, qui coactis militum conscriptionibus perpetuis exercitum numero militum multo majore auxit : omnes quippe aliæ nationes idipsum præstare ad sui tutelam et potuerunt, jure et debuerunt, ita ut paribus plurium nationum viribus respectivis permanentibus, singularum tamen damna multo majora exstiterint.

1217. Pos. 602ª. — Necessaria belli moderatio vetat, nequod malum morale natio ulla belligerans vel ipsa adversus hostem committat, vel apud hostem ab aliis committi curet.

Prob. — Ex moderationis, quam lex ipsa naturalis postulat, lege, nationi cuique belligeranti abstinendum constanter est a quocunque malo faciendo, quod ad violatum ordinem resarciendum nec necessarium nec ulla ratione utile sit. Atqui malum quodlibet morale, quod est ordinis supremi et omnium maxime necessarii violatio, tam longe abest ut ad ordinem restituendum esse possit necessarium vel utile, ut ordini potius essentialiter repugnet, ad eumque funditus et ubique evertendum tendat. Mali quippe moralis admissio est implicita negatio et eversio principiorum, quibus omnis societas et domestica et amicalis et civilis et politica et internationalis, fundatur; quia societas omnis nititur amore mutuo et mutua fide; hæc autem duo consistere nequeunt sine divinæ auctoritatis ac potentiæ metu et reverentia, quas profecto moralis ordinis violator aperte contemnit. Ergo, etc.

1218. Coroll. — Proditiones igitur, perjuria, parricidia, sacrilegia atque alia hujusmodi scelera longissime abesse debent ab omni bello, quod juste ac moderate geratur. Ob eamdem causam maxima semper in religione apud omnes populos habita sunt et pacta induciarum fides, et honor mortuorum militum corporibus debitus, et humanitas vulneratis hostibus necessaria, et pabulandi per hostium agros moderatio, atque aliæ similes cau-

leges atque observantiæ, quæ nunquam sunt omittendæ præsertim erga populos neutros in quorum terris prælia conseruntur.

CAPUT V.

De Juribus et officiis internationalibus in particulari quavis societate internationali. Jus Ethnarchicum.

ARTICULUS I.

De societatis internationalis particularis, sive ethnarchiæ, natura et origine.

1219. Notandum. — Binas quascunque nationes, quæ fortuita consuetudine aliqua et quasi contactu, per accidens conjungantur, hactenus consideravimus, et universales justitiæ et benevolentiæ relationes mutuas determinavimus, quas contactus ille statim apud eas nationes gignit, ut sibi mutuo et conservationem et pacem et veritatem ad bonum animi, opum vero materialium communicationem ad bonum corporis debeant, atque ad ordinem reducant puniantque illam, quæ alterius nationis jura violaverit. Quæ quidem officia et jura ex sola sociali natura in duabus hisce nationibus considerata, omnia deduximus. Jam hæ duæ nationes non accidentali solum contactu et consuetudine, sed constanti quodam pacto et fœdere tum ipsæ inter se tum cum aliis nationibus conjunctæ supponantur; quod fieri utique potest ac sæpe fit : quænam peculiares internationales relationes inde exoriantur, quæ leges inde proveniant, inquirendum hic est. Quæ sane tractatio de ethnarchiæ legibus, quamvis apud plerosque Juris doctores nulla vel perrara sit ; attamen, quoniam pauci illi philosophi qui hac de re disputarunt, multis eam erroribus ac figmentis obvolvere solent, et nostra hac ætate commerciorum atque itinerum mirabilis celeritas et amplitudo in dies magis excrescens, amplioribus atque arctioribus usque associationibus ethnarchicis ortum præbitura videtur, operæ pretium

est societatis ethnarchicæ naturam et leges præcipuas, sansimonianorum, forieristarum et socialistarum quorumlibet commentis et fabulis procul amotis, determinare.

1220. Pos. 603ª. — Internationalis societas particularis, sive ethnarchia, nequit aliunde quam a libera pactione oriri.

Prob. — Sicut individua, ita etiam nationes universalis socialitatis legi subsunt, quoties relatione aliqua mutua contactuque junguntur; qua lege obligantur, in eo casu, ad mutua sibi auxilia præbenda, ut commune bonum omnes assequantur. Est autem hoc commune bonum, in hac quidem vita, tranquillus honestatis ordo, in alia vero summi Boni æterna possessio (272, 255). At universalis hæc nationum associato, ab accidentalis occursus et contactus conditione pendens, nullum inter eas stabile vinculum constituit, nullamque illis obligationem imponit cooperandi per media quædam peculiaria ad alterius nationis bonum. Etenim quodlibet officium est vel naturale, quod ab ipsa hominis natura necessario enascitur, vel positivum, quod libero aliquo facto inducitur. Atqui nulli nationi natura particularem finem obtinendum proponit; quidquid enim est naturale, omnibus æque nationibus commune est. Ergo, ut plures nationes teneantur conspirare ad finem quemdam particularem, debet factum quoddam humanum intervenire, quo mutua hæc plurium nationum consensio ad hunc finem communiter sibi comparandum statuatur. Ergo, etc.

1221. Coroll. — Relationes quæ inter plures populos sociali pacto particulari conjunctos intercedunt, multum sane differunt a relationibus quas plurium individuorum associatio parit. Etenim homo quilibet individuus a natura est præcipue destinatus ad felicitatem alterius vitæ possidendam, qua per se ipsum quisque immediate fruatur. At societates sunt suapte natura constitutæ præcipue ad individuos homines dirigendos ad eum finem beatum per externum ordinem, qui omnis societatis est finis immediatus (484) : hinc autem prodeunt discrimina quæ inter amorem individualem et amorem internationalem superius deduximus (1139). Quare societatis internationalis est ordinis politici conservationi communiter consulere : universalis autem individuorum societas conservationem ordinis naturalis, idest naturalis honestatis, procurat. Nimirum naturalis individuorum societas hoc postulat, ut facilior individuis honestatis observatio efficiatur per ordinem civicum; naturalis vero societas nationum

exigit, ut socialis earum operatio per politicum earumdem ordinem facilior ipsis reddatur.

1222. Pos. 604ª. — Ethnarchica associatio ex communi constantis commercii et ordinis reciproci indigentia, qua plures nationes premuntur, tanquam ex naturali occasione, enascitur.

Prob.— Civium multitudine apud societates singulas crescente, alterius nationis utilitates et fortunæ, tum individuales tum nationales, cum fortunis atque utilitatibus cæteris alterius nationis sensim conjunguntur variisque modis interseruntur per commercia, per conjugia, per itinera, per immuneras ejusmodi communicationes.

Præterea, quo magis artium ac scientiarum disciplinæ apud plures nationes coluntur, eo major unamquamque earum incedit cupido, faciliorque illis ratio suppetit hominum mentes animosque moraliter in easdem doctrinas, in eadem studia et consilia apud complures nationes conjungendi.

Jamvero, his rerum adjunctis suppositis, jam plûres adsunt nationes mutuo constantium relationum vinculo reipsa conjunctæ in bonis quibusdam externi ordinis per communes conatus sibi comparandis. Quare unaquæque illarum jam tum sentit se *facto* ipso ab aliis nationibus dependere, quamvis quoad *jus* ea sit adhuc independens. Unaquæque etiam sentit vicinarum gentium doctrinis jam suorum civium mentes penetrari, et voluntates studio quodam quasi necessario et invincibili vicinis nationibus adhærescere. Unaquæque tandem videt jam vicinarum gentium commoda atque utilitates in discrimen adduci non posse, quin propria quoque illarum salus periclitetur. Scilicet in iis rerum adjunctis unaquæque illarum gentium sentit sibi omnino opus esse, ut ordinem tueatur ac conservet non solum apud suos cives, sed etiam apud cives omnium earum nationum, cum quibus communes ejusmodi habet relationes.

Atqui hæc necessitas gignit unicuique illarum nationum jus, sicut jam ante pepererat in unaquaque illarum desiderium, societatis particularis cum aliis nationibus ineundæ. Ergo, etc.

1223. Coroll. 1. — Quoniam principis officium est societatem sibi commissam tueri ac perficere, et natio quævis per naturâlem ipsam suarum virium evolutionem in iis adjunctis constituitur, in quibus constans cum aliis quibusdam nationibus societas et amicitia est illi prorsus necessaria; manifestum est, ubi

aliqua natio ad hunc statum pervenerit, ad principis officium pertinere, societatem internationalem cum iis populis, quibuscum jam utilitatum communione ejus natio conjuncta est, publico solemnique pacto connectere.

Coroll. 2. — Vidimus in ultima positione societatem ethnarchicam facto ipso naturali produci. At evidens sane est, fœdus illud internationale, antequam utilitatum et studiorum communione requiratur, posse utique induci vel pacto voluntario, vel juris prævalentis vi (624). Ergo facta quibus societas internationalis gigni potest, triplicis generis sunt non secus ac facta quæ societatem pariunt, scilicet *naturalia*, *voluntaria*, *juridica* (625). Attamen, sicut in individuorum associatione factum naturale constans societatem omnium maxime necessariam, quæ est domestica, parit; ita nationum societas perfectissima est illa quæ naturali facto producitur. Quoniam autem constans quælibet naturæ actio certis quibusdam legibus movetur, atque ad fines quosdam tendit, quæ utraque illi propria sunt, longeque differunt a finibus ac legibus, quibus libera hominum voluntas moveri solet; idcirco societates quæ naturali facto constanti gignuntur, peculiaribus quibusdam proprietatibus moralibus præditæ sunt, per quas plurimum differunt a cæteris societatibus, quas libera hominum actio conjunxit.

Quare societas internationalis, quam constans naturale factum peperit, diligenter ab aliis omnibus secernenda est; sicuti societatem domesticam, quæ a naturali facto constanti pariter enascitur, ab omnibus aliis societatibus, tanquam essentialiter ab iis diversam, plane discernimus. Igitur solam societatem internationalem naturali facto constanti productam *ethnarchiæ* nomine in posterum donabimus, aliasque nationum societates, quæ libera tantum hominum voluntate junctæ sint, consueto nomine societatis simpliciter, vel fœderationis appellabimus.

ARTICULUS II.

De principatus forma ethnarchiæ cuilibet per se conveniente.

1224. Notandum. — Post societatis ethnarchicæ cujusvis originem perspectam, ejusdem et forma et leges sunt determinandæ. Et illa quidem est plurium entium rationalium ad commune

quoddam bonum conspiratio : ergo est vera societas (427). Est præterea plurium societatum consociatio : ergo illa est societas composita (710). Postremum, ea per se debet in polyarchiæ statu enasci ; quia est conjunctio plurium societatum independentium et æqualium (1219). Ergo ethnarchiæ cuilibet applicandæ sunt et leges societatis cujuscunque, et leges societatis compositæ, et leges societatis polyarchicæ.

1225. Pos. 605ª. — Cuilibet ethnarchiæ auctoritas quædam ethnarchica præesse debet.

Prob. — Prima lex philosophica, ex natura scilicet humana necessario prodiens, qua sociale ipsum *esse* constituitur ac determinatur, hujusmodi est : Omnis societas auctoritate quadam una continetur et subsistit (452). Atqui, ut nuper notavimus nº præcedenti, ethnarchia est vera proprieque dicta societas. Ergo necesse prorsus est unam quamdam illi præesse auctoritatem, idest jus ad imperanda nationibus consociatis illa omnia quæ ad ejus stabilem existentiam et ad consecutionem finis illi proprii necessaria sunt. Et vero nullum existere jus gentium proprie dictum, videlicet legum nationes obligantium complexio, posset, nisi una quædam auctoritas, a qua hæ leges pluribus nationibus imponerentur, supra illas emineret. Ergo, etc.

1226. Coroll. — Auctoritatem illam, pluribus nationibus particulari vinculo consociatis, imperantem videntur multi confudisse cum naturali Creatoris auctoritate in genus humanum universum. Eamdem alii videntur negasse omnino, aientes nullis nationes legibus proprie dictis inter se colligari, ac, siquæ sunt quibus illæ obsequi consueverint, ultro sane his legibus eas obtemperare. Alii denique videntur eam auctoritatem spectasse tanquam liberum quoddam pactum, quo ii soli continentur, qui volunt se illo colligari, illique consensum præstiterint.

Ac, si quod verum est sincere quærimus, hoc modo utique olim, in prima nationum infantia, hæc res habere potuit, siquando hæ fuerunt unquam ab omni constanti vinculo solutæ, nulloque communium utilitatùm et consiliorum ordine devinctæ. At, simul atque, nationibus singulis suas vires evolventibus, mutuas inter se relationes plures populi connexuerunt, communique ordini cuidam sunt facti ipsius necessitate subjecti, leges etiam positivæ, jura quædam et officia internationalia determinantes, statim obortæ sunt. Ergo supra illos populos erat sane auctoritas, a qua hoc jus internationale condebatur.

1227. Pos. 606*. — Principatus forma ethnarchiæ naturaliter conveniens, est polyarchia.

Prob. — Ethnarchia componitur pluribus nationibus independentibus atque inter se politice æqualibus. Ergo, ut auctoritas, ethnarchicæ associationi præsidens, ad monarchicam principatus formam deveniat, necesse est ut eam auctoritatem, quam omnes ad rem suam publicam libere gubernandam eæ nationes suo jure possident, in unum hominem conferre velint. Atqui hoc difficillimum est ac moraliter impossibile et ferme nunquam necessarium vel utile. Etenim, quum nationalis independentiæ abdicatio sit gravissima et publica jactura, quam gens universa tunc tamen perferre deberet, nequaquam poterit ulla natio illuc adduci, ut nationalem suam libertatem dignitatemque alteri nationi, externoque principi unquam dimittat.

Neque, universim loquendo, tam gravis jactura unquam necessaria est. Siqua enim gens, ut sese vel ab externis hostibus vel ab internis dissidiis tueatur, alterius nationis opem exposcat, nequaquam debet, ut eam obtineat, ejus sese monarchicæ dominationi subjicere. Nam peculiari fœdere sese cum illa conjungens, independentia sua retenta, optime saluti suæ prospicere poterit. Quod si hæc alia gens nolit opem populo periclitanti afferre, nisi hic populus se illi totum, abdicata sua libertate, dedat, gravissima id causa erit, cur populus periclitans vel ad aliam humaniorem nationem, quæ æquioribus conditionibus velit opitulari, confugiat, vel extrema potius omnia discrimina, suis solis viribus confisa, subeat. Nullum enim majus exitium fortiter pugnando, sibi soli relicta, timere potest, quam independentiæ nationalis jacturam; quam sane jacturam ultro, certo et inglorie acciperet, sese totam alteri illi genti gubernandam tradendo.

Unde illud etiam intelligitur, talem jacturam ne utilem quidem esse posse. Per hanc enim amittitur illud quod gentis cujuslibet bonum maximum est, libertas. Ergo nullum commodum aliud fingi potest, quod ea jactura compensetur.

Denique hoc etiam animadvertendum est, magnum deliberantium atque imperantium numerum quo, ubi de individuis agitur, perdifficile polyarchicum regimen efficitur et sæpissime prorsus impossibile (lib. IV, cap. 6, art. 4 et 5), in nationum consociatione nullo pacto adesse. Necessario enim paucæ sunt quæ peculiari fœdere inter se junguntur.

Ergo monarchica principatus forma ad plurium nationum so-

cietatem gubernandam neque est necessaria, neque per se utilis est, neque humanæ naturæ consentanea. Ergo forma polyarchica est ea quæ ethnarchiæ convenit.

1228. Coroll. 1. — Quoniam de pluribus populis reciproce independentibus hic sermo est (1219), quorum associatio est plane voluntaria (1220), manifestum est auctoritatem ethnarchicam per se, nisi peculiari pacto ad unam aliquam personam transferatur, in nationum omnium associatarum consensione residere (464), quarum omnium denique est certas formas constituere, per quas illa exerceri debeat. Medio ævo auctoritas ethnarchica, nationibus christianis omnibus præsidens, penes Romanum Pontificem fuit. Ethnarchicam etiam potestatem in plures gentes Imperatores Germaniæ gesserunt. Pontificia deinde theocratia et sacro Imperio collapsis, eamdem apud varias Europæ gentes Principum consensus administravit in pactis ac fœderibus non paucis, quibus mutuæ earum relationes definitæ sunt.

Attamen, quoniam universali jam deficiente infirmiorum nationum patrono ac vindice, metuendum semper est, ne paucarum aliquot nationum inter se conjunctarum præpotentia cæterarum minus valentium jura opprimantur; magis ac magis in dies a minoribus præsertim nationibus persentiri videtur necessitas ethnarchicæ cujusdam auctoritatis universalis, quæ populorum omnium jura, quod Romani Pontificis olim theocratia præstitit, contra prævalentis cujuscunque nationis aggressiones defendat ac tueatur. Jamvero *indigentia*, quæ societates voluntarias earumque formas per utilitatis excitamenta determinat (641), vi pollet insuperabili, quoties amice cum jure componitur atque in eamdem metam connititur. Magnopere igitur sperandum est, multa jam sæcula (populorum namque vitam sæcula, sicut vitam individuorum anni metiuntur) nequaquam elabi posse, quin universalis hic principatus ethnarchicus iterum constituatur. Cujus quidem principatus munere partim funguntur hodie potentiores quædam plurium nationum societates seu fœderationes, quarum auctoritas ethnarchica senatoriam formam imitatur, sicut Romanorum Pontificum theocratia principatum patriarchalem referebat. Particulares vero minorum nationum fœderationes viam futuræ illi ethnarchiæ universalis ordinationi sternere videntur, sicut municipiorum ordinatio, medio ævo peracta, civilem omnium æqualitatem sub unico nationali principatu demum attulit.

COROLL. 2. — De ethnarchica societate hæc igitur jam comperta sunt :

1° Quoniam nationibus æqualibus ethnarchia componitur, ethnarchica auctoritas in earum unanimi consensu, aut saltem in consentientium pluralitate, residet.

2° Natio quæpiam peculiari fœdere cum aliis quibusdam consociata nequit ethnarchicæ voluntati sic minifestatæ reluctari, quin relationes internationales, quibus in unicam societatem cum aliis conjungebatur, ipsa dissolvat : sociale quippe vinculum frangit, socialis auctoritatis jussa detrectando.

3° Auctoritas illa sic constituta et jus et vim habet ad ordinem inter eas nationes et conservandum et vindicandum. Quum enim in pluralitatis consensu illa resideat, manifestum est pluribus sociis nationibus vim ad pauciores reluctantes subigendas deesse non posse : qua in re aliam quisque videt applicationem illius principii : jus tendit ad sese cum vi conjungendum.

COROLL. 3. — Quum ethnarchica auctoritas in nationum sociarum consensu resideat, plurimi ob eam causam in hunc mentis errorem perducti sunt, ut existimarent, observantiam juris internationalis a nationum consociatarum bona voluntate, aut a libero earumdem pacto pendere. Nimirum quod de auctoritate civili et politica jam factum fuerat (459), sedem sive organum auctoritatis cum ipsa auctoritate illi confuderunt, et auctoritatis concretam determinationem cum ejus creatione permiscuerunt. Quumque sociorum consensus utique sedem auctoritatis sæpe determinet, auctoritatem ipsam hoc consensu creari arbitrati sunt. Quæ quidem diversarum rerum confusio ac permixtio, quum de ethnarchica societate agitur, et multo facilius, et multo minus periculose fieri potuit, quam ubi agitur de civili societate. Etenim ad hanc pacto sociali fundandam, commentitia quædam atque impossibilis hominum independentia confingenda fuit (458), et humana quædam natura secum ipsa pugnans. At in ethnarchia verum plane est auctoritati ethnarchicæ præsupponendum esse anteriorem quemdam statum nationum separatarum et reciproce independentium, qui et naturæ singularum nationum optime convenit, et cum historicis humani generis monumentis sæpe consentit. Igitur ethnarchica societas, quum libero consensu copularetur, sub forma polyarchica per se enascebatur, quia auctoritas initio quidem æque ad omnes pertinet socios, quippe qui non solum specifice sed individualiter æquales sunt.

ARTICULUS III.

De auctoritatis ethnarchicæ juribus et officiis in ordine civico quoad ethnarchiæ tutelam.

1229. Notandum. — Cuilibet auctoritati quædam jura, quædam officia sunt. Jus autem et officium pariter a morali ordine resultant (359); et ordo moralis totus ex fine determinatur (170). Ergo ad jura et officia ethnarchicæ auctoritatis cognoscenda ipsius ethnarchiæ finis prius comperiendus est.

1230. Pos. 607ª. — Ethnarchiæ cujuslibet finis est, propriam singulis nationibus associatis constitutionem tueri, easque omnes simul ad majorem perfectionem promovere.

Prob. — Ethnarchia est societas composita, pluribus populis reciproce independentibus constans. Atqui omnis compositæ societatis est, et proprium unicuique consortio conservare, et simul, hoc singulorum proprio *esse* jam salvo, eorum omnium perfectionem pro viribus promovere (739).

Debet nimirum ethnarchia socialibus fungi muneribus, quæ cuivis societati incumbunt. At has functiones ita exercere debet, ut propria uniuscujusque nationis associatæ natura et constitutio postulat : operari namque illa debet non quidem in individua, sed in entia collectiva, quæ longe aliam regiminis rationem evidenter requirunt. Ergo duplicem ethnarchia finem persequi debet, genericum et specificum. Prior ille, quem cum alia qualibet sociali auctoritate communem habet, est bonum societatis ethnarchicæ promovere; posterior est unicuique nationum consociatarum proprium *esse* et perfectionem propriam conservare.

1231. Coroll. — Ex duplici hoc ethnarchiæ fine duplex etiam officiorum ordo ethnarchicæ auctoritati enascitur. Et primum quidem hæc auctoritas debet singulis nationibus associatis et propria illarum jura integra et inviolabilia servare, et facultatum evolutionem progressivam ad strictæ justitiæ normam procurare. Hæc autem officia civicam quodammodo ethnarchiæ operationem constituunt. At, quum ea sit vera et distincta societas, certo quodam organismo certisque legibus indiget, per quæ suum sibi proprium *esse* et conservet et perficiat, utque ad priorem illum finem, ad jura et perfectionem singularum nationum particularia spectantem, assequendum idonea fiat. Ergo ethnarchiæ cuilibet jura

et officia ordinis quoque *politici internationalis* esse oportet.

1232. Pos. 608ª. — Civica ethnarchicæ auctoritatis actio illuc primum spectare debet, ut internam unitatem et externam independentiam singulis nationibus associatis integram conservet.

Prob. — Civicum jus et civica cujuslibet auctoritatis actio hoc primum spectare debent, ut unicuique socio sua existentia incolumis servetur, quod profecto evidens est. Ergo, quoniam socii in ethnarchiam conjuncti sunt nationes, civica illius operatio hoc primum omnium curare debet, ut unicuique nationum consociatarum sua existentia servetur intacta. Atqui existentia cujusque nationis duobus manifeste continetur, interna unitate, externa independentia. Existentia namque cujusvis entis est ipsius *esse*, quo illud constituitur, actualitas : at natio est *societas independens* (1137). Ergo, etc.

1233. Pos. 609ª. — Auctoritatis ethnarchicæ jus et officium est, querelas principum contra suos cujusque subditos, et subditorum contra suum uniuscujusque nationis principem cognoscere ac judicare.

Prob. — Auctoritatis ethnarchicæ jus et officium est internam singularum nationum consociatarum unitatem tueri et conservare, ut nuper ostendimus. Atqui interna uniuscujusque nationis unitas consistit in recta duarum personarum socialium conjunctione ; quæ recta conjunctio pendet omnino et a justa auctoritatis gubernatione, et a subditorum obedientia, et a mutuo principem inter ac subditos amore (486, 487). Ergo ethnarchiæ jus et officium est non solum populos vi continere, sed etiam omni studio curare ut populi juste a suo quique principe gubernentur. Atqui neutri huic officio satisfacere ethnarchica auctoritas potest, nisi querelas principum contra subditos, subditorum contra principem excipiat. Ergo, etc.

1234. Coroll. 1. — Longissime igitur a veritate aberrant qui, machiavellica dogmata sectantes, principum societatem quamlibet existimant esse quasi arcem quamdam munitissimam, qua istorum tyrannis qualiscumque et quantacunque adversus populorum juste renitentium conatus tueri sese licite possit. Vera namque *politicæ* humana scientia, nimirum illa quæ Creato is consiliis, in populis ad illum per ordinis vias perducendis, cooperatur, quamlibet principum associationem non aliter quam ut magistratum quemdam nobilissimum, ad membra singula, quibus ille componitur, non minus quam nationes iis subjectas,

gubernanda destinatum. Itaque omnes omnium ætatum populi hoc munus consociatis principibus incumbere agnoverunt implicite, etiamsi ethnarchicæ auctoritatis existentiam distincte nondum cognitam haberent. Hinc enim effectum est ut, dissidii causa inter duas nationes orta, unaquæque pariter protestationibus, declarationibus, legationibus conaretur externis principibus ac populis causæ suæ justitiam persuadere. Idipsum colluctantes nationis unius partes præstare consueverunt; palamque apud omnes Europæ gentes sua jura ostentando, Belgarum, Hispanorum, Polonorum, Græcorum factiones, nostra patrumque memoria, summi illius magistratus ethnarchici tutelam ac præsidium implorabant.

Dicet fortasse aliquis eos populos, eas factiones non sui juris authenticam declarationem, sed solum externarum virium subsidia tunc flagitasse. At primum quidem, quoniam publicæ vis exercitium in societate quavis est functio solius auctoritatis propria, qui vim socialem alterius nationis advocat, auctoritatis quoque illi societati præsidentis judicium appellat. Præterea, nequaquam affirmavimus ethnarchicum illum magistratum fuisse omni memoria explicite et constitutum et a populis agnitum, sed solum asserimus, illius existentiam semper fuisse cognitam implicite, idest instinctivo et confuso quodam naturalis justitiæ sensu; quemadmodum privati litigantes, ubi facultas judicis adeundi desit, adstantes quosque appellant, arbitros eligunt, qui de causæ justitia statuant, quamvis nullam in iis auctoritatem ad id præstandum jam præexistentem agnoscant. Hac tamen alienæ sententiæ appellatione evidenter ii litigantes ostendunt, aliena sui juris declaratione sese indigere, ut alienæ quoque vis præsidium obtineant. Quocirca, sicut ex hoc ipso facto necessitas præsidis alicujus qui individuos homines gubernet, manifeste colligitur (452); ita etiam ex simili apud nationes nationumque partes dissidentes facto eadem necessitas respectu nationum optime infertur.

Et vero, quoties binæ gentes bello inter se decertare parant, omnium quoque finitimarum circa nationum res agitur. Omnibus igitur illis jus est tranquillitatis suæ adversus instantia e vicinis populis pericula tuendæ, et communis omnium tranquillitatis conservandæ communi conatu. Atqui communis ejusmodi conatus, ut finem suum assequatur, unica et communi directione profecto eget. Igitur, ubicumque plures vicinæ gentes habitant, unitatis principium quoddam jam adest, quo illæ ad commune

ordinis et justitiæ bonum sibi pariter comparandum naturaliter conjunguntur : hoc autem principium est auctoritas ipsa ethnarchica. Neque enim credi potest Creatoris Providentia, quæ duorum litigantium individuorum res pecuniarias exiguis eorum viribus solis permittere noluit, maxima bona, pacem, salutem, securitatem plurium nationum prævalenti vi, quamvis injustissimæ, permisisse.

Ex quibus omnibus hæc duo fiunt manifesta : 1um Constanti nationum facto ratiocinium illud confirmari quo ethnarchicæ auctoritatis existentiam ostendimus. 2um Non solum nationum associatarum officii, sed etiam earum maximæ utilitatis esse, auctoritati ethnarchicæ favere et cooperari tum ad populorum rebelliones coërcendas, tum ad principum tyrannidem comprimendam.

Coroll. 2. — Generales hic applicando leges, quas libro 6ₒ, de societate quavis composita loquentes, statuimus (c. 6, a. 2), facile deducuntur leges, quibus civica ethnarchicæ auctoritatis actio parere debet, ad nationum consociatarum unitatem conservandam.

1° Scilicet, omni nationi liberum virium omnium legitime apud illam constitutarum exercitium tutari, sed quoslibet simul earum excessus impedire debet (716, 725).

2° Auctoritatem qua unaquæque natio regitur, honeste habeat, congruæque erga illam observantiæ nunquam desit, præsertim quando illius errata castiganda sunt (724).

3° Efficaciter vitiis singularum nationum occurrat, efficiendo ut a particulari illius auctoritate opportune illa et cognoscantur et corrigantur (720, 725).

4° Suas omnes agendi rationes ita moderetur, ut illæ ad finem quem ipsa exoptat, constanter tendant, videlicet ad pacem mutuumque amorem apud eum populum perturbatum, per ordinis justitiæque artes, restituenda (716).

Hactenus de unitate cuique nationi conservanda diximus; jam de independentia tutanda breviter disseramus.

1235. Pos. 610ª. — Ethnarchicæ auctoritatis actio legitima nequaquam nationum independentiæ repugnat, sed ei potius vehementer favet.

Prob. 1ª pars. — Nationalis independentia consistit in hoc, quod talis natio nullo pacto sit pars alterius politicæ societatis (494), adeoque leges in utroque ordine, civili et politico, ipsa sibi det.

Atqui nationes in ethnarchiam conjunctæ pergunt profecto leges sibi ipsæ, per nationalem suam auctoritatem, dare; neque alterius societatis politicæ per ethnarchicam associationem, partes fiunt. Ethnarchia namque essentialiter a politica societate differt, quum finem habeat essentialiter diversum (1137): a fine autem proprio omnis societas propriam naturam accipit. Ergo, sicuti familiæ domesticam libertatem civitas nullatenus imminuit, ita nulla nationalis independentiæ pars ob ethnarchicam associationem perit.

PROB. 2ª PARS. — Externam suam independentiam quævis natio minus valida facile amittere potest, valentiore alia natione illam vi opprimere instituente. Atqui ethnarchicæ auctoritatis tunc officium est impedire inter varias nationes quemcunque vis abusum, qui aliquam ex nationibus associatis jurium suorum usu privare posset (1232). Illa autem vis, cujus abusus timetur, potest consistere vel in materiali divitiarum et armorum prævalentia; vel in mentalium facultatum artiumque præstantia, qua cultiores populi rudioribus incumbant; vel in morali ipsa juris potentia, cujus interdum usus in abusum excedere potest, ac tum maxime, quum armorum fortuna justæ causæ defensoribus arridet. Quacunque demum ratione nationalis independentia gentis cujuspiam periclitetur, ethnarchica societas in illud semper conniti debet, ut justitiæ internationalis ordinem tueatur, ac nationes prævaricantes coërceat. Ergo ethnarchica auctoritas nationali cujusque populi independentiæ plurimum favet.

1236. COROLL. 1. — Sunt sane qui docent nationibus quibusdam longe cultioribus ac sapientioribus. quos *populos patres* aut *populos primigenios* appellant, jus esse quoddam naturale tutelæ in populos juniores atque infirmiores gerendæ, seque, etiam iis invitis, vel ipsa armorum vi adhibita, illorum negotiis immiscendi, ad eos apte dirigendos atque edocendos. Cujus sententiæ falsitas profecto nullius eget novæ refutationis. Etenim, sicuti inter individuos homines facultatum quarumcunque, seu corporearum seu mentalium, præcellentia nullum jus infirmioribus aut rudioribus dominandi tribuit (462); ita, etiamsi internationalis benevolentiæ lex valentiores populos jubeat subsidia infirmioribus offerre, at nullum validioribus jus inde oritur ad infirmiores cogendos, ut hæc subsidia inviti vel postulent vel acceptent.

COROLL. 2. — Quoniam in nationum consociatione fortunæ,

territorium, personæ, libertas, jura denique omnia cujusque populi associati sub ethnarchiæ tutela ac præsidio constituta sunt, bellum omne in qualibet ethnarchia prorsus impossibile factum esse videri potest. Attamen hoc quisque facile videt, supremæ cujusvis nationis auctoritati jus esse belli ad suorum defensionem movendi, quamdiu societatis ethnarchicæ auctoritas eam *mentis*, *voluntatis* et *vis* materialis nondum assecuta est perfectionem, ut efficaciter et sciat, et velit, et possit singulis nationibus consociatis sua jura conservare. At, ubi ethnarchia tam valide jam sit constituta, ut justitiæ ordinem tueri facile inter nationes sociatas possit ac velit, tunc bellum in ethnarchia nullum exoriri poterit, nisi quod ab auctoritate ipsa ethnarchica, sociis omnibus populis cooperantibus, suscipiatur ad oppugnandam illam unam sive de sociis nationibus sive de externis, quæ ordinem internationalem violaret. Quare in ejusmodi perfecta ethnarchia, unusquisque populus, ethnarchiæ universæ viribus præsidioque fretus, poterit utique sine magno exercitu, sine magnis sumptibus, independentiam suam ac cætera omnia bona in tuto constanter habere.

ARTICULUS IV.

De auctoritatis ethnarchicæ juribus et officiis in ordine civico quoad ethnarchiæ perfectionem.

1237. Pos. 611ª. — Triplicem perfectionem, honestatis, utilitatis et amplitudinis, apud nationes singulas associatas, auctoritas ethnarchica promovere debet.

PROB. — Ethnarchica societas ad commune bonum singularum et omnium nationum consociatarum est essentialiter ordinata (1219). Ergo ea debet uniuscujusque nationis sociæ perfectionem pro viribus promovere. Atqui omnis nationis perfectio tribus elementis constat, honestate primum, deinde utilitate, ac postremo amplitudine (917, 1064). Ergo, etc.

1238. COROLL. — Officium hoc perfectionis in suis membris immediatis promovendæ enascitur in societate ethnarchica, non secus atque in politica, e generali ac suprema lege benevolentiæ (1138). Sunt autem circa hoc officium duo diligenter notanda: 1ᵘᵐ Societati cuilibet ordo, qui ad strictam justitiam pertineat, inexorabili severitate utique defendendus est. At, ubi de per-

fectione agitur, quoniam ad nullum illius gradum determinatum homines individui præcise obligantur, ita societas nunquam illos debet ad certum ullum perfectionis gradum acquirendum absolute cogere, sed solum iisdem præbere atque amplificare media cognitionis, incitamentorum et facultatis, quæ tribus humanæ actionis principiis, menti, voluntati ac vi, respondent. Ethnarchia vero eo majore suavitate in nationibus sociis ad perfectionem promovendis uti debet, quod majoris momenti est nationis quam individui libertas. Et vero vim cuipiam inferre ut certam quamdam perfectionem acquirere cogatur, manifeste repugnat primæ socialis actionis legi, quæ in apta jurium temperatione juxta varias collisionum rationes consistit (843). Etenim talis agendi ratio implicite affirmaret consilium perfectionis validius esse quam jus libertatis. Quod sane contradictorium est, quia consilio, quod essentialiter circa rem *liberam* versatur, vis tribuitur excludendæ circa eamdem rem *libertatis*. Promovenda ergo est perfectio, non imperanda.

At, quoniam omni nationi, sicut omni individuo, strictum jus est perfectionis persequendæ, omnes uniuscujusque gentis conatus ad perfectionis partem aliquam obtinendam protegendi utique ab ethnarchica auctoritate sunt, ita ut nulla alia gens audeat cuipiam sociarum gentium tranquillum illius juris usum impedire. Quumque hoc jus ad strictam justitiam pertineat, ejus violatio propulsanda et ulciscenda est omnibus mediis, quibus vis ab injusto aggressore illata propulsari et puniri potest ac debet.

1239. Pos. 612ª. — Auctoritati ethnarchicæ jus et officium quidem est impediendi, ne principia publicæ honestatis, ad societatis cujuslibet existentiam necessaria, publice apud nationes socias evertantur; at nequaquam jus eidem est ullius peculiaris religionis ulli gentium associatarum per vim utcunque imponendæ : potest tamen suasionibus uti ad religionem, quam veram judicat, apud illas propagandam, atque eos qui fidem veræ religioni publice datam publice violaverint, punire ac vi continere.

Quatuor partibus hæc positio constat, quæ omnes jam superius de civili societate agendo confirmatæ sunt : sunt enim illæ evidenter pura ad societatem ethnarchicam applicatio eorum quæ inibi jam tradidimus (lib. 8°, cap. 3, art. 2 et 3). Itaque nullo illæ novo argumento, quibus comprobentur, indigent. Scilicet 1ª pars nititur ea ratione, quod socialis quæque auctoritas habet et jus et officium efficaciter tuendi omnia illa quæ ad societatis

sibi commissæ existentiam ac felicitatem necessaria sunt : unde plane consequitur ethnarchicam auctoritatem et posse et omnino debere justis quibuscunque mediis uti ad principia honestatis, quæ socialis vitæ fundamenta sunt, apud nationes socias conservanda.

Altera pars fundatur ea ratione, quod auctoritatis pure naturalis judicia æque fallibilia sint ac judicia subditorum : quæ ratio longe validior est, ubi agitur de uno vel paucis hominibus, ethnarchicam auctoritatem gerentibus; quorum judicia universæ alicui nationi essent imponenda. Jamvero judiciis fallibilibus nulla vis est, qua possint mentibus humanis obligationem inferre, ut sese illis subjiciant; nisi forte socialis necessitas postulet, ut, saltem externe, certis doctrinis quibusdam subditi non adversentur.

Tertiæ partis ratio petitur ab universali auctoritatis cujuslibet officio, quo præcipitur, ut auctoritas bonum societatis sibi creditæ, quoad potest, sollicite procuret. Omnium autem bonorum maximum est vera religio. Ergo, si ethnarchica auctoritas certo sciat falsam religionem ab aliqua nationum sibi subditarum coli, veramque ipsa religionem teneat, poterit utique media omnia, quæ ab imperio et vi absint, adhibere, ut eam ad veræ hujus religionis cultum paulatim adducat.

Quartæ denique partis hæc ratio est, quod socialis auctoritas suapte natura sit publicorum pactorum et fidei publicæ custos ac vindex. Jamvero qui religionis alicujus cultui sese publice devovit, societati universæ eam religionem profitenti fidem suam publice obligavit. Ergo, si publice ab ea religione deficiat, multo magis si factis, dictis, scriptis eam oppugnet, societati illi religiosæ, adeoque et sociali auctoritati illius jura protegenti, jus et officium illius coërcendi ac puniendi est.

1240. Coroll. 1. — Falsa igitur opinione decipitur quisquis censet, ex sola naturæ lege populo alicui jus esse posse veram religionem ejusque propagatores vi et armis protegendi apud exteras nationes, eo quod, aiunt hi doctores, haud dubie faciant contra rectam rationem, qui christianos et christianismum docentes pœnis subdunt. Hujusmodi namque doctrina unumquemque populum sub tutela uniuscujusque populi vicini constitueret, adeoque nationalem omnibus populis independentiam adimeret, singulos illos subjiciendo alienis opinationibus in iis omnibus quæ alius quilibet populus haud dubie a recta ratione vel damnari

vel omnino requiri existimaret. Atqui vera doctrina, quæ justam opinandi libertatem sincere tuetur, nullum æquali cuiquam populo jus auctoritatis in populos æquales tribuit: auctoritati vero ethnarchicæ, in statu naturæ, negativum solummodo jus societatis suæ contra primarum veritatum eversionem protegendæ asserit: atque hoc ipsum jus non a sola veritatum illarum evidentia, sed a sociali necessitate deducit; evidentia namque illa posset solum subjectiva esse, externæ veritati minime consentanea, ac propterea nullum illius imperandæ jus esset. Cæterum jus christianismi, armis etiam, apud exteras gentes protegendi, a peculiaribus factis, quibus societas christiana innititur, utique repetendum est: qua de re sequenti libro mox dicturi sumus.

COROLL. 2. — Auctoritas ethnarchica nil debet populis tali ethnarchiæ extraneis; nationibus tantum sibi sociali fœdere subjectis, atque individuis ad hanc ethnarchiam pertinentibus, regiminis sui curas debet. Ergo exteræ nationes nihil ab ea possunt stricto jure exigere; neque ethnarchia quæpiam stricto ullo tenetur officio veras illas doctrinas atque honestatem, quas ipsa possidere existimat, in externas regiones importandi. At siquo facto, novis relationibus inductis, initium quoddam temporariæ associationis cum extero aliquo populo partum fuerit, tunc ethnarchia, non quidem ethnarchico officio, sed solum officio universalis societatis internationalis obligabitur ad honestatem consiliis et suasionibus apud eum populum promovendam.

At vero, si hæ suasiones in irritum prorsus cadant, quæritur an bellum adversus eum populum movere liceat. Cui quæstioni bipartita responsio hæc danda est: si populi illius reluctantis utilitates et negotia cum negotiis atque utilitatibus nationum consociatarum ita jam sint conjuncta et colligata, ut ab his omnino separari sine gravi ac mutuo detrimento nequeant, evidens est eum populum cum cæteris illius ethnarchiæ membris jam esse revera sociatum, adeoque æque cum illo et cum aliis populis ad talem ethnarchiam pertinentibus agendum esse. At, si ejus populi res adhuc sejunctæ atque independentes sint, tunc populus ipse ab illa ethnarchia prorsus est independens; atque idcirco ethnarchia cum eo populo agere debet, sicut inter nationes inter se reciproce independentes agendum esse jam superius docuimus. Tunc enim ethnarchia, respectu nationis unius exteræ, in iisdem circumstantiis versatur ac natio quælibet una respectu familiæ cujuspiam independentis (1139, cor. 5). Quare cum illa tanquam cum

æquali agere debet; nisi tamen ejus nationis delictum aliquod et victoria bello parta jus illi superius in eam nationem tribuerit; quo in casu sicut legitimæ victoriæ et occupationis jure possot ethnarchia nationem illam independentia ac libertate sua spoliare, ita externam illi obligationem honestatis saltem negativæ imponere potest (678).

1241. Pos. 613ª. — Ethnarchicæ auctoritati jus et officium est augendi ac perficiendi apud nationes associatas omnia quæ ad justum et congruum illarum politicum regimen conferunt.

Prob. — Jus et officium auctoritati ethnarchicæ sane est perfectionem nationum associatarum, in iis omnibus quæ ad publicas earum utilitates pertinent, promovendi (1138, 1239). Jamvero bonum utilitatis, seu perfectio accidentalis, cujusvis populi continetur iis omnibus quæ illi prosunt ad ea sibi comparanda felicitatis suæ propriæ media, quorum consecutio est particularis suæ associationis objectum. Atqui objectum propter quod particularis associatio ethnarchica efficitur, est facilior recti ordinis politici apud unamquamque nationum associatarum consecutio (1137, 1222). Ergo auctoritatis ethnarchicæ est omnia media ad hunc ordinem conservandum idonea curare pro viribus ac perficere, sicut publicæ auctoritatis est media ad privatam felicitatem sive individualem sive domesticam pertinentia procurare.

1242. Coroll. 1. — Media ad rectum politicum regimen conducentia jam satis pro instituto nostro in jure politico explicata fuerunt quoad præcipuas quatuor potestates constituentem, deliberativam, legislativam et exsecutivam. Hoc unum hic addemus, gubernare non idem esse atque agere in subjecto gubernato illius bonum, sed idem esse ac obtinere, ut subjectum gubernatum adlaboret efficaciter ad bonum suæ naturæ consentaneum adipiscendum (451, 854). Itaque nationes ab ethnarchica potestate gubernari, hoc unum significat, congruis artibus ab illis obtineri, ut per suam legitimam quæque auctoritatem tales sibi politicas formas constituat, ut eidem facilior inde ratio cognoscendi, volendi, efficiendi boni communis paretur. Quem in finem quum gubernantium seu supremorum seu secundariorum honestas et probitas præcipuum medium sit, auctoritatis ethnarchicæ officium est eam omni studio promovere, adhibitis omnibus religionis, laudis, amoris mutui, consiliorum, aliorumque hujusmodi subsidiis.

Et societas ipsa ethnarchica una est, quæ principibus, politicas

societates particulares gubernantibus, utilitates illas, quas privati a civili societate hauriunt, afferre possit. In civili namque societate dignitas, laudis amor, amicitia, familiæ cura, et plurima hujus generis alia studia adsunt, quæ sane constanter efficiunt, ut individuus quivis homo publica opinione contineatur, et moralem ejus conscientiam persæpe vacillantem sustentant, dormitantem excitant. Jam publica hæc opinio, quamvis apud principes multum valeat, vim tamen coactivam in illos multo minorem habet, quam in privatos cives, multoque minus evidenter ab illis quam a privatis civibus, perspicitur. At vero, ad principem quempiam male gubernantem corrigendum, ad aliorum principum bonum regimen conservandum et promovendum profecto plurimum valeret societatis ethnarchicæ consensio in principum vitiis vituperandis, virtutibus laudandis, imprudentia commonefacienda, fortitudine commendanda ; plurimum etiam prodesset mutua principum æmulatio, optimis consiliis exemplisque socialibus fulta, in suorum subditorum felicitate diligenter assidueque procuranda. Postremum, hæc eadem vis associationis ethnarchicæ utilissima erit potestati deliberativæ uniuscujusque nationis, ubi ad media cognitionis fuerit applicata ; voluntati item sociali et regiminis efficaciæ plurimum proderit, ubi ad media legislationis et exsecutionis perficienda adhibeatur.

Coroll. 2. — Ethnarchica associatio felicitatem singularum nationum consociatarum promovendo, auget etiam in earum singulis multitudinem incolarum, quæ semper est materialibus cujusque regionis opibus proportionalis (1067). Jam incolarum multitudine aucta in unoquoque populo, ejusdem populi augetur pariter vis expansiva, qua ille tendit ad sese in alias atque alias terras, vicinis successive regionibus occupatis, dilatandum : unde fiet, ut novus inde illius cum vicinis populis contactus, nova commercia, oriantur. Novus autem hic earum gentium contactus positivam inter illas associationem parit (1222), atque ethnarchiam latius ac latius propagat. Ethnarchica igitur associatio per se illuc tendit, ut nationes omnes, per omnem terrarum orbem dispersas, unde humanum genus universum componitur, in unicam *Pantethnarchiam* congreget atque conjungat ; quæ quidem societatis humanæ suprema perfectio est.

ARTICULUS V.

De ethnarchicæ obedientiæ officio.

1243. **Pos. 614ᵃ.**— Omnes et singulæ nationes ad ethnarchiam aliquam pertinentes tenentur obedire ethnarchicæ auctoritati, in iis omnibus, et iis solis, quæ ad commune ethnarchiæ bonum spectant.

Prob. — Juri cuilibet officium quoddam in alia persona respondet, suntque hæc duo, jus et officium, proportionalia inter se et cum ea ratione a qua nascuntur (361,359). Ergo evidens est nationes omnes et singulas ethnarchice associatas teneri obedientiam præstare ethnarchicæ auctoritati, in iis omnibus quæ rationi unde hæc auctoritas oritur, consentanea sunt. Atqui auctoritatis ethnarchicæ jussa, omnia et sola illa sunt ei rationi consentanea, quæ res ad bonum ethnarchiæ commune conducentes præcipiant. Ergo, etc.

1244. **Coroll. 1.** — Ex hac positione facile quisque intelliget, quinam obedientiæ ethnarchicæ justi limites sint. 1° Scilicet officium hoc obedientiæ limitatur jure propriæ suæ conservationis, quod nationi cuivis competit. Itaque nulla gentium consociatarum poterit unquam obligari ut sese ipsa evertat ac deleat, unitatis illius socialis, unde suum proprium *esse* accipit, vincula dissolvendo. Auctoritas utique ethnarchica poterit turbulentam quampiam atque indomitam e sociis nationibus, illius dissolutione per vim peracta, punire. At ipsa hæc natio nunquam ad hoc suicidium poterit obligari.

Quod vero ad sui ipsius exitium ab ethnarchica vi tolerandum pertinet, primum quidem hoc evidens est, eam nationem teneri causas, quæ ethnarchicam auctoritatem juste ad pœnam infligendam movent, omnino de medio tollere. Deinde, si hæc eadem natio, obstinate in suo scelere perstando, bellum prorsus necessarium effecerit, manifestum quoque est hoc bellum, ex parte hujus nationis rebellis, injustum esse, atque idcirco belli damna, tanquam justum suæ pertinaciæ supplicium, ei nationi, etiam ex morali officio, perferenda esse. Verumtamen, omnibus iis rationibus et adjunctis, quibus belli jura multimodis contrahuntur, spectatis (hoc lib., cap. 4, art. 6), quisque intelliget, vix, aut ne vix quidem, hoc accidere posse, ut victori liceat nationem, quantum-

vis rebellem, prorsus delere, atque ut nationi, quamvis noxiæ, officium incumbat exitii sui, nullis contra conatibus oppositis, tolerandi.

2° Quoniam injusta præceptio nunquam subditorum conscientiam obligat, si quidem hæc injustitia directe naturæ legibus adversetur, ut superius explicavimus, propterea subditis individuis in omni hujusmodi casu, quod ibidem docuimus, jus et officium inest passivæ resistentiæ. At vero in ethnarchia nullus passivæ hujusmodi resistentiæ casus occurrere unquam subditis nationibus potest. Etenim, quum morales relationes internationales reipsa inter solos principes vigeant (1137), unoquoque nationali officio solus ejus princeps obligatur, ut in nationem, cui præest, congruenter ad illud officium agat. Igitur, siqua natio resistentiæ passivæ officio teneretur, hoc officio princeps obligaretur vel ut a reipublicæ gubernatione in tali re abstineret, quod principatus naturæ et societatis ipsius bono prorsus repugnat; vel ut rei intrinsece malæ, ei præcepto obediens, cooperaretur; quæ cooperatio, quia non esset mere passiva, nullo pacto liceret. Ergo, quoties ethnarchica auctoritas aliquid intrinsece malum juberet, uniuscujusque nationis associatæ princeps teneretur resistentiam activam scelesto ejusmodi præcepto opponere.

Quod sane eo diligentius peragendum est, quod publica auctoritas debeat suis subditis hoc maxime jus tutum atque integrum conservare, scilicet jus honeste vivendi. Huic autem maximo officio politica auctoritas deesset, si non omnes suas vires ad liberas scelerum publicorum progressiones impediendas adhiberet. Itaque passiva illa resistentia, quæ in Thebæa Legione fuit præclarissima subditorum simul et christianorum virtus, in publica quavis societate independente turpissima et flagitiosa esset ignavia.

Cujus rei veritas clarior adhuc exinde efficitur, quod ethnarchia quælibet particularis est societas, quoad nationes ipsas, plane voluntaria, adeoque suapte natura certis quibusdam obnoxia conditionibus, quæ si graviter ab aliquo societatis illius membro infringantur, cætera membra procul ab illo, dissoluta prorsus ea societate, recedere possunt. At principibus ethnarchia particularis eatenus est associatio obligatoria, quatenus illa forte sit ad sui principatus reique publicæ cui præsunt tutelam et securitatem necessaria. Jam vero quæ nationes, ad particularem ethnarchiam pertinentes, aliquid intrinsece malum alicui membro ethnarchiæ per vim imponere conarentur, hoc ipso jus ad propriam suam in-

columitatem illæ amitterent. Nationes autem, quæ scelus a se procul defenderent, nunquam, ab illa ethnarchia recedendo, tantum detrimenti acciperent, quantum paterentur ei sceleri consentiendo. Igitur ad hoc morale damnum vitandum potest utique ac debet plerumque natio quæpiam ab ethnarchia discedere; atque ubi discesserit, potest optimo jure sese armorum vi ab ejusdem ethnarchiæ insultibus defendere.

Et vero publicæ societatis immediatus ac proprius finis ad præsentem hanc vitam spectat, quanquam ad futuram æternam subordinetur. Ergo ad publicæ auctoritatis officium pertinet omni cura efficere, ut societas suum finem hic in terris consequatur: eique nullo pacto licet suos subditos cogere ut patientia utantur, quando illa potest mala imminentia propulsare; sicut exercitui ad hostem oppugnandum stipendia accipienti minime liceret societatem, abjectis armis, hosti incurrenti prodere, ut illa scilicet per fortem malorum tolerantiam æterna præmia mereatur.

Coroll. 2. — Ex dictis hoc colligitur, obedientiam ethnarchicam minus urgere quam civilis urgeat obedientia; tum quia ethnarchicæ auctoritatis *competentia* ad objecta multo pauciora extenditur, quum pauca admodum sint, in quibus mutuus nationum associatarum contactus fit; tum ob propriam nationum sociarum naturam, quæ in originaria illarum independentia maxime consistit; tum denique ob essentialem conditionem personæ, in qua una relationes ethnarchicæ subsistunt et operantur, idest principis, cujus tota auctoritas suapte natura ad societatis suæ particularis bonum ordinatur.

Quamobrem ethnarchicæ obedientiæ objecta ad quatuor hæc fere possunt reduci, nimirum :

Natio quævis associata judicum ethnarchicorum sententiæ obtemperare debet,

1° In suis internis dissidiis componendis;

2° In dissensionibus, quæ illam inter aliasque nationes socias forte exsurgerent;

3° In determinanda cooperatione, quam illa præstare debeat ad sociarum nationum jura adversus hostes sive externos sive internos tutanda;

4° In auxilio suo præstando ad opera universalis benevolentiæ, quæ rite ac legitime ab ethnarchia forte suscipiantur.

ARTICULUS VI.

De ethnarchicæ auctoritatis officiis in ordine politico.

1245. Pos. 615ª. — Ethnarchiæ constitutio quælibet, ut per se justa sit, nulli sociarum nationum potiorem auctoritatem, quam cæteris, attribuere debet.

Prob. — Ethnarchia est assocatio nationum reciproce æqualium, idest æqualiter independentium : atque hoc est factum quoddam primitivum, ad naturam ipsam nationum in societatem coëuntium pertinens, adeoque posteriori cuicunque statuto inviolabile. Ergo quidquid hanc omnium et singularum nationum consociatarum æqualitatem originariam in ethnarchica constitutione læderet, injustum esset. Atqui æqualitas ista evidenter violaretur, sicui sociarum nationum potiora jura, potior auctoritas, tribuerentur. Ergo, etc.

1246. Coroll. — Omnibus igitur et singulis nationibus associatis æqua semper esse debet potestas jurium suorum apud ethnarchicam auctoritatem libere persequendorum, ab eaque obtinendi quidquid sibi e justitiæ legibus debetur. Itaque associationis ethnarchicæ, quæ inter humaniores omnes populos nunc viget, constitutio, qualis nunc habetur, imperfectissima profecto in hac ratione est. Etenim a majore quavis natione omnis ethnarchica auctoritas nunc usurpatur et minoribus nationibus nulla ethnarchicæ gubernationis pars omnino relinquitur, ita ut, si majores eæ nationes a minoribus vexandis atque opprimendis abstinent, id profecto non ex ipsa ethnarchiæ constitutione, sed ex individuali gentium illarum, aut principum a quibus illæ reguntur, aut denique ex multis callidisque subsidiis, quibus ars diplomatica utitur, plerumque exoritur.

1247. Pos. 616ª. — Ethnarchiæ nullum jus est finium territorii ad ullam e sociis nationibus pertinentis, ipsa invita, mutandorum.

Prob. — Ethnarchia nullum jus habet in ea bona, quæ singulæ nationes, antequam ethnarchicam societatem inirent, possidebant : illa namque nationibus æqualibus componitur, quæ voluntarie prorsus ad talem societatem accedunt. Ergo nullam partem jurium, quæ illarum unicuique, antequam ethnarchiæ adhærescerent, competebant, illæ amittunt societatem hanc ine-

undo, nisi ultro se a tali jure atque explicite abdicaverint. Atqui singulæ gentes, quibus ethnarchia componitur, certum quoddam territorium, pleno dominii jure, possidebant; eique juri nulla profecto ratione, ad ethnarchiam accedentes renuntiarunt. Ergo illud idem territorium, postquam ethnarchiam inierunt, eodem jure possident; adeoque nullum dominii jus alii cuilibet in illud territorium competere potest. Ergo, etc.

1248. COROLL. — Si proprii singularum nationum principes legitime inter se paciscantur certam quamdam sui territorii mutationem, tunc utique licita erit ea mutatio, atque ad ethnarchicam auctoritatem spectabit justitiæ in hujusmodi pactis et faciendis et exsequendis constanter servandæ consulere.

Igitur duæ sunt veluti bases cujuscumque rectæ ethnarchicæ constitutionis : ut æqualitas scilicet atque independentia, ut dominia et proprietates omnium et singularum nationum indiscriminatim sarta tecta serventur. Super his duabus quasi præmissis ethnarchica potestas debet deliberationem suam statuere, adeoque et inquisitionem quoque sibi necessariam fundare, per quam omnia quæ ad suum munus pertinent, opportune cognoscat, verum videlicet eorum populorum bonum, et præsentes eorum necessitates, et media quælibet ad eorum perfectionem promovendam idonea.

1249. POS. 617a. — Auctoritas ethnarchica primum quoddam principium politicum sequi debet, quod non aliud esse potest, quam justi et honesti inviolabilitas.

PROB. 1a PARS. — Ethnarchia ad verum nationum consociatarum bonum efficiendum tota constituta est. Debet ergo hoc verum bonum antea cognoscere. Atqui hoc verum bonum cognoscere nequit, nisi prius determinet finem ultimum, ad quem nationes illæ omnes sint ordinatæ; quia verum cujusque entis bonum est illud solum, quod ultimi sui finis consecutionem illi affert (19, 20). Ergo ultimus nationum sociarum finis ante omnia determinandus illi est. Jamvero judicium quo finis iste ultimus determinatur, nihil aliud est quam primum quoddam principium politicum. Ergo, etc.

PROB. 2a PARS. — Ethnarchia essentialiter est propter politicum singularum nationum associatarum bonum (1226). Politicum autem uniuscujusque nationis bonum essentialiter ad civile bonum populorum quibus illa constat, subordinatur (840,). Atqui etiam civile hoc bonum totum ex naturæ legibus subordinatur ad bonum familiarum et individuorum, quibus civilis so-

cietas componitur (840). Ergo bonum ethnarchiæ ad bonum singulorum hominum in civili societate viventium postremo subordinatur, ab eoque essentialiter ita pendet, ut ad hoc individuorum bonum perducere, ac propterea illi omnino convenire debeat. Atqui supremum bonum, quod idem est ac finis ultimus, singulorum hominum, in vita præsenti, est justum atque honestum (272). Ergo etiam finis ultimus ethnarchiæ non alius esse potest, quam justum atque honestum. Ergo primum ethnarchicæ actionis principium, quod ab ultimo ejusdem fine sumitur, non aliud est quam justi atque honesti inviolabilitas : ultimus namque finis est profecto inviolabilis.

1250. Pos. 618ª. — Triplex cognitio politica auctoritati ethnarchicæ necessaria est : prima, quæ ad internas singularum nationum sociarum relationes; altera, quæ ad communes earumdem relationes cum aliis nationibus sociis; tertia, quæ ad externas earum cum exteris gentibus relationes spectat.

Prob. — Ethnarchicæ potestatis est sociarum nationum necessitatibus, quæ civilis ac politicæ potestatis vires in unaquaque forte superent, apte consulere (1226). Atqui hæ necessitates in qualibet plurium nationum societate ad triplicem ordinem pertinere possunt, scilicet ad relationes singularum internas, populi erga principem et principis erga populum; ad relationes communes gentium associatarum cum aliis gentibus eidem societati adhærentibus; ad relationes denique externas unius cujuslibet e gentibus illis consociatis, vel totius etiam illius ethnarchiæ erga alios populos ad talem ethnarchiam minime pertinentes : quæ omnia sunt profecto per se evidentia. Ergo talia cognitionis politicæ media apud ethnarchicam auctoritatem constituenda sunt, ut et motus intestinos civilesque turbas, suum cuique in socialium personarum dissensione adjudicando, impedire possit; et fraudes malamque vim, quibus aliqua e gentibus associatis aliam gentem sociam involvere aut opprimere conaretur, antevertere ac propulsare queat. Quod vero ad relationes ethnarchiæ cum exteris remotisque populis attinet, necessitas cognitionis politicæ, ethnarchicæ auctoritati incumbens, a benevolentia, qua illorum bono pro viribus prospiciendum est (1138), potius quam ab ullo damni, quod illi minitentur, metu exoritur. Ergo, etc.

1251. Pos. 619ª. — Ethnarchiæ membra, quoad relativam eorum potentiam materialem, ita sunt constituenda, ut in legibus ethnarchicis ferendis omnes et singulæ nationes sociæ pari omnino jure in re ipsa utantur.

PROB. — Ex pos. 615ª, quæ originaria omnium et singularum nationum consociatarum æqualitate nititur, omnes et singulæ gentes, quibus ethnarchia componitur, æquo jure debent ad leges ethnarchicas ferendas accedere : debet nimirum inter omnia et singula ethnarchicæ societatis membra jurium æquilibrium constanter atque in omni re servari. Atqui, nisi jurium æqualitas æqualitate virium materialium fulciatur, nequaquam jurium æquilibrium diu servari poterit. Ita nempe humana natura est comparata, ut infirmior in re ipsa, serius ocius, potentiori subdatur. Ergo ethnarchiæ membra ita, pluribus infirmioribus populis mutuo fœdere peculiari vires suas materiales in unum conferentibus, sunt constituenda, ut jurium ad omnes et singulas nationes socias pertinentium æquilibrium pari etiam virium materialium æquilibrio sustineatur.

1252. COROLL. 1. — Hæc igitur una ratio infirmioribus gentibus adest libertatis suæ in ethnarchica societate conservandæ, scilicet peculiaris cum aliquot aliis infirmioribus populis fœderatio; sicut medio ævo municipia per mutuam civium conjunctionem minitantes potentiorum Dynastarum et Comitum vires persæpe æquare et coërcere potuerunt. Itaque sicuti, sublatis municipiis, politica populorum constitutio civicæ libertati et tunc nocuit, et hodiedum adhuc noceret; ita nationali cujusque gentis libertati, sublatis illis minorum principatuum fœderationibus, ethnarchica conjunctio plurimum detrimenti afferret.

COROLL. 2. — Potestate legislativa ethnarchiæ propria ad regularum alibi jam traditarum (lib. 10, cap.) normam rite constituta, *jus gentium*, seu legum ethnarchicarum codex condendus erit. Qui quidem hodie nihil adhuc est aliud, quam quod olim in populorum infantia jus civile et jus politicum fuerunt, indigesta scilicet consuetudinum quarumdam congeries. At plurimum profecto ad communem populorum securitatem ac felicitatem conferret certum aliquod legum ethnarchicarum systema, quod et justitiæ omnibus æque populis administrandæ plane congrueret, et apud omnes, a quibus eæ leges observandæ sunt, publice esset promulgatum.

Jamvero tria sunt potissimum in ordine internationali, circa quæ legum illud systema versari oportet. Primum est, auctoritate publica sancire et constanter custodire charitatis internationalis principium, legesque omnes immediate ab illo dimanantes ad universalem nationum societatem compingendam. — Alterum est, quæ in naturali jure ethnarchico adhuc indeterminata

sunt, ut permulta semper indeterminata jus naturale habet, ad certas prorsusque definitas formas contrahere. — Tertium est, accommodata sanctione totum ethnarchicum jus communire.

Quæ quidem omnia, quæ legis cujuscunque positivæ respectu legis naturalis propria munera sunt, eo solertius in codice ethnarchico sunt præstanda, quo latius pessimus ille opinionis error apud vulgus pervagatur, nullis nimirum legibus populos inter se obligari; omnia quæ in privatis relationibus injusta essent, in politicis negotiis publica necessitate aut utilitate, quæ *Ratio Status* appellatur, quasi labe omni expurgata, probari et sanciri; nullam in rei publicæ ministris moralem conscientiam, quoad politica omnia negotia, esse oportere. Quæ machiavellicæ pestis dogmata scelestissima tum perspicua officiorum internationalium et undequaque determinata explicatione, tum sanctione ineluctabili, profliganda sunt.

Coroll. 3. — Sanctionis, juri ethnarchico apponendæ, efficacia omnis consistit in organica vi potestatis exsecutivæ quoad binas illius partes præcipuas, quæ sunt potestas judiciaria et vis militaris. Duplex igitur hæc potestas summo studio apud ethnarchicam auctoritatem constituenda est. Jam, quod ad vim militarem pertinet, nil hoc loco adjiciemus iis quæ alibi (hoc lib. cap. 4) tradidimus. At vero probitas, sapientia, prudentia supremi illius magistratus, qui judex rei totius ethnarchicæ futurus sit, quanta, quam certa et explorata, quam firma atque invicta esse debeat, facile quisque intelliget, ubi hoc animadvertat, non unius solum alicujus populi, sed plurium simul nationum potentissimarum, ac totius etiam generis humani sortes in ejus manibus quodammodo versari. Quapropter supremum hoc judicium ethnarchicum, rudiores aliqua ex parte, at multis aliis partibus prudentiores, majores nostri Romano Pontifici uni, tanquam illi, quem summum veritatis ac justitiæ doctorem ac vindicem perpetuum Deus ipse constituerit, deputandum esse existimarunt. Cui quidem veteri magistratui ethnarchico, summi Pontificatus christiani amplitudine ac sapientia insignito, Cardinalium ex omnibus christianis nationibus electorum concione suffulto, utrum misera nostrorum temporum diplomatia, quam vocant, anteponenda sit, sanus quisque videt. Certe gravissimo illi ac sapientissimo Romani Pontificis et Cardinalium eidem adlaborantium concilio, nullam aliam personam substitui posse, ad ethnarchicum judicium exercendum satis aptam, non pauci homines docti cum Leibnitio, quamvis protestantes, arbitrati sunt.

LIBER DUODECIMUS.

DE HOMINIS ACTIONE PRIVATA ET PUBLICA ERGA SOCIETATEM CHRISTIANAM.

Jus Christianum.

PROOEMIUM.

DE JURE CHRISTIANO IN MORALI PHILOSOPHIA PRORSUS TRACTANDO.

1253. Quoniam vita hæc hominum mortalis tota, et quæcunque ad illam pertinent, ad immortalem felicitatem in futura vita capessendam sunt ordinata (268), quæ felicitas, ad supernaturalem ordinem quemdam a Deo, rerum omnium omnipotenti Domino et gubernatore, evecta, et in supernaturali bono quodam constituta, non potest aliter quam per adjumenta supernaturalia obtineri; nulla igitur humana societas, sicut nullus homo individuus, unquam exstitit, quæ in statu mere naturali versaretur: cui scilicet bonum mere naturale ad perfectam beatitatem assequendam esset a Deo propositum, et leges moralis ordinis mere naturales essent solummodo servandæ, et præsidia mere naturalia ad illud bonum sibi absolute necessarium prosequendum, hasque leges implendas, sufficerent. Neque enim potest sibi quisquam ultimum finem, in quo reipsa perfectam suam felicitatem reperiat, pro sua libidine seligere ac præstituere; sed in supremo Creatoris ac Domini universalis arbitrio id omnino positum est.

1254. Quum igitur Juri Naturali seu Morali Philosophiæ illud sit proprium objectum, ut actionis humanæ *honestatem* explicet (1), quumque actionis humanæ honestas, quæ in ejus utilitate ad finem ultimum realem, homini a Creatore constitutum, arripiendum tota sita est (170), supernaturalis esse plane debeat, ubi finis ultimus supernaturalis est homini a Deo præfixus; manca, parum utilis, quin imo periculosa admodum est ea mo-

ralis philosophiæ tractatio, quæ in ultimo fine, legibus, virtutibus, subsidiis mere naturalibus considerandis consistat, supernaturalibus fine, legibus, virtutibus, adjumentis, quibus præcipue moralis ordo *realis* componitur, silentio prætermissis. Etenim mutila ista moralis scientiæ pertractatio perniciosam illam opinionem sensim mentibus insinuat, qua non pauci sibi persuadent nil homini esse præter ea quæ naturalibus rationis et voluntatis viribus attingi possunt, credendum, sperandum et inquirendum: quo teterrimo *practici rationalismi* vitio ætas nostra maxime laborat.

At profecto hæc duo firmissime constant : 1um Nullam ab homine plenum rationis usum adepto felicitatem in altera vita præter supernaturalem obtineri posse; quam si minime assequatur, in æterna supplicia certissime decidet; 2um Nisi supernaturalibus internis viribus quisque divinitus roboretur, nemini esse a sola natura vires sufficientes non solum ad supernaturalia præcepta implenda, sed ne ad naturales quidem leges constanter observandas, ut jam superius sæpe notavimus (115, 116, 62, 63, 570, seqq.) et infra denuo statuemus.

Quapropter, etiam periculo illo rationalismi practici inducendi tantisper omisso, inutilem plane ad hominis finem ultimum, in quem tamen tota quanta est moralis disciplina spectare debet, hanc facultatem prudens quisque judicabit, nisi ea præambulum quoddam sit supernaturalis doctrinæ, ad quam mentes animosque ubique præparet, in quam perpetuo intendat et quodammodo collimet, in quam denique, tamquam in complementum prorsus necessarium, desinat.

1255. Liceat ergo ordinem naturalem a supernaturali in morali scientia tradenda *distinguere* : at priorem illum a posteriore *separare* nequaquam licere potest. Quæ naturali ratione, idest nullis adhibitis theologorum propriis argumentis, docere de morali actionis humanæ rectitudine et confirmare possumus, non vetamur *distincte* proponere, ex iisque ordinatam veritatum complexionem conficere, quam *moralem philosophiam naturalem* seu *naturale jus* appellemus. At, siquis moralem doctrinam ita explicet, ut ultimum finem hominis naturalem et officia illius naturalia a fine et officiis supernaturalibus plane *separet*, statuatque ad ultimum finem naturalis ordinis posse hominem pervenire, supernaturali neglecto; is et turpissime contra factum manifestum religionis divinitus revelatæ mentietur, et absurdissime conabitur

factum immutabile ab omnipotenti Deo constitutum evertere, et scelestissime nitetur sese divinæ auctoritati subducere.

Itaque nos morum doctrinam naturalem ita in superioribus libris explanavimus, ut semper ad supernaturalem spectare videremur. Nam initio statim, in introductione (14), factum ipsum supernaturalis religionis commemoravimus, in eoque potissimum considerando *jus hypotheticum* versari oportere affirmavimus. Naturalem hominis impotentiam, tum ad verum omne morale agnoscendum, tum ad graviora quæque officia servanda, inculcavimus libro 1° (62, 115). Absolutam supernaturalis revelationis necessitatem probavimus libro 5° (570). Paganam juventutis instituendæ rationem a christianis moribus alienam, ad christianum ingenium in pueris efformandum ineptam coarguimus libro 7° (834. coroll. 4), breviterque ostendimus quo pacto possint ac debeant puerorum animi recentes christiana doctrina sine ullo liberalium studiorum detrimento imbui. Infantes baptismo a parentibus christianæ religioni optimo jure addici confirmavimus eodem libro (834, coroll. 2). Filiisfamilias, ubi adoleverint, jus competere ad veram religionem, invitis parentibus, migrandi; civili vero auctoritati officium incumbere hujusce juris filiofamilias cuilibet conservandi eodem 7° libro (834, coroll. 3) docuimus. Libro denique 8° (874, seqq.) satis fuse pro instituto nostro declaravimus quænam civili potestati officia sint religionis divinitus revelatæ fovendæ, propagandæ, tuendæ, pœnis etiam et armorum vi ab omni injuria vindicandæ.

1256. Jamvero, ut ad illud, sine quo moralem omnem doctrinam inutilem aut etiam perniciosam esse diximus, tandem aliquando accedamus, christiani juris principia sunt nobis hic breviter exponenda. Quod quidem sumus ita præstituri, ut neque theologorum, neque canonistarum provinciam invadere velle videamur. Etenim et factum ipsum veritatum divinitus revelatarum a theologis probatum earumque naturam ab iisdem explicatam accipiemus; et christianæ societatis internum ordinem ac personarum quibus illa componitur jura et officia singillatim canonistis pervestiganda concedemus: quibus omnibus suppositis, nos generales solum christianæ societatis proprietates internas, ejusdemque externas relationes, quibus cum laica seu politica societate connectitur, naturali ratione inquiremus.

Tria igitur nobis hoc ultimo libro præstanda sunt: 1° Veritates præcipuæ, quibus tota christiana religio nititur, sunt per simpli-

cem expositionem afferendæ, tanquam axiomata a theologis et canonistis probata, e quibus conclusiones suas possit philosophica nostra disputatio depromere. Quà in re nihil erit ponendum quod apud catholicos in controversia sit; sed ea tantum adducenda, quorum aliquid siquis neget, ab unica vera christiana societate, ut religionis supernaturaliter revelatæ hostis, expellatur. — 2° Christianæ societatis, quæ græco nomine *Ecclesia* vocari consuevit, interna constitutio est cognoscenda, ejusque proprietates præcipuæ considerandæ. — 3° Quæ relationes Ecclesiam inter laicasque societates publicas, ex rerum natura ipsa, intercedant, diligenti cura statuendum est, ut inde colligamus quæ jura, quæ officia sint alterius erga alteram.

Tripartito igitur hunc postremum librum dividimus.

In 1ª parte per simplicem enarrationem referemus veritates præcipuas atque, ut aiunt, *fundamentales*, quibus tota christiana religio et catholica societas nituntur : quæ veritates erunt principia sive axiomata, alibi comprobata, quibus omnem hujus libri doctrinam superstruemus.

In 2ª breviter et per summa capita disseremus de interna Ecclesiæ constitutione.

In 3ª demum de externis Ecclesiæ cum laica societate publica relationibus disputabimus.

PARS PRIMA.

PRINCIPIA

SINE QUORUM FIDE AC PROFESSIONE IN VERA CHRISTIANA ECCLESIA ESSE NEMO POTEST.

PRINCIPIUM I.

De originali peccato ejusque unico remedio.

1257. Primus homo Adam, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in quâ constitutus fuerat, amisit, incurritque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totusque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatus fuit.

Quæ quidem Adæ prævaricatio nequaquam illi soli nocuit, sed toti etiam ejus propagini : et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam non sibi soli, sed nobis etiam omnibus ille perdidit. Quare per inobedientiæ peccatum ille inquinatus non solum mortem et pœnas corporis in omne genus humanum transfudit, sed etiam peccatum, quod est mors animæ, ut docet Paulus Apostolus sic aiens : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum et » per peccatum mors ; et ita in omnes homines mors pertransiit, » in quo omnes peccaverunt. »

Hoc denique Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, nec per humanæ naturæ vires, nec per aliud remedium tolli ullo modo potest, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio. Atque hoc

ipsum Christi Jesu meritum per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis plane applicatur. Neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde illa vox : Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. Et illa : Quicunque baptizati estis, Christum induistis (*a*).

PRINCIPIUM II.

De supernaturalis gratiæ per Jesum Christum dandæ necessitate, deque mysterio adventus Christi ad homines justificandos.

1258. Quum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut Apostolus inquit, natura filii iræ, quemadmodum in 1° principio explicatum est, usque adeo illi servi erant peccati et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.

Quo factum est, ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, Christum Jesum, Filium suum, et ante legem et legis tempore, multis sanctis patribus declaratum ac promissum, quum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judæos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, se etiam pro totius mundi (*b*).

1259. Quapropter de modo æternæ salutis obtinendæ æternique supplicii vitandi hæc tria sunt divinitus revelata, ideoque certissima :

1um Etsi Christus pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meri-

(*a*) Conc. Trid. sess. 5, *Decr. de pecc. orig.* — Hæc principia, seu pronuntiata, omnia ex decretis Concilii Tridentini vel ex sacris Litteris desumsimus, ipsis verbis, quantum fieri poterit, horum monumentorum retentis, ut jam in primo hoc axiomate statuendo fuisse a nobis factum quisque videt.

(*b*) Conc. Trid. sess. 6, *Decr. de justif.* cap. 1 et 2.

tum passionis ejus communicatur. Nimirum ad salutem æternam assequendam opus est ut Deus benignissimus eripiat nos de potestate tenebrarum, transferatque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum. Hac autem divinum opus vocatur impii *justificatio*, quæ est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Atque hæc translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*a*).

2um Nullus homo suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia potest *justificari* coram Deo : nullus sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, potest credere, sperare, diligere aut pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. — Attamen liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum nequaquam amissum nec extinctum est; neque illud, jam a Deo motum et excitatum, nihil cooperatur assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; potestque dissentire, si velit (*b*).

3um Nemo, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet : nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis, et adjuvat ut possis (*c*).

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum : quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit (*d*).

Jamvero, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non

(*a*) Conc. Trid. sess. 6, *Decr. de justif.* cap. 3 et 4. — (*b*) *Ibid.* can. 1, 3, 5 et 4. — (*c*) *Ibid.* cap. 11. — (*d*) *Ibid.* cap. 12.

amittatur fides, accepta justificationis gratia plane amittitur. — Attamen, qui ab hac gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, quum, excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint (*a*).

Denique, bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proposita est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda (*b*).

PRINCIPIUM III.

De christiana hierarchia.

1260. Est in catholica Ecclesia novum, visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc novum sacerdotium a Domino Salvatore nostro institutum est; atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestas tradita est consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi (*c*) : ac proinde in Ecclesia catholica est hierarchia per divinam ordinationem instituta, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris (*d*).

Novi autem Testamenti sacerdotes nequaquam temporariam tantummodo potestatem habent; neque, ubi semel fuerint rite ordinati, iterum laici fieri possunt. Neque omnes christiani promiscue novi Testamenti sacerdotes sunt, neque omnes pari inter se potestate præditi (*e*).

Quare, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopi, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinent; et positi sunt, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; iique presbyteris sunt superiores, ut qui sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare atque alia multa peragere possunt; quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent (*f*).

Jam supra omnes christianos eminet sancta Apostolica Sedes et Romanus Pontifex, qui successor est beati Petri principis Apo-

(*a*) Conc. Trid. sess. 6, cap. 15 et 14. — (*b*) *Ibid.* cap. 16. — (*c*) *Ibid.* sess. 23, cap. 1. — (*d*) *Ibid.* can. 6. — (*e*) *Ibid.* cap. 4. — (*f*) *Ibid.*

stolorum, et verus Christi vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum pater et doctor; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est (a).

PRINCIPIUM IV.

De immutabili fidei christianæ regula, quæ est verbum Dei scriptum et traditum.

1261. —Evangelium, promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit: deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit. Quumque hæc veritas et disciplina contineatur in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; idcirco omnes libri tam veteris quam novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsæ tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda sunt ac veneranda (b).

PRINCIPIUM V.

De infallibili interprete verbi Dei scripti et traditi.

1262. — *Portæ inferi*, verbo Dei teste, *non prævalebunt adversus Ecclesiam* ædificatam supra Petrum (c). Nam Christus Dominus, ex his terris mox discessurus, promisit Apostolis Patrem a se rogatum iri, qui daturus illis esset *Spiritum veritatis*, ut cum illis in æternum maneret (d); qui Spiritus veritatis esset eos docturus *omnem veritatem* (e). Iisdem Christus Dominus promisit se ipsum *cum illis fore omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (f). Quare *Ecclesia Dei vivi est columna et firmamentum veritatis* (g); ac proinde in fidei morumque doctrina explicanda Ecclesia Christi est omnino infallibilis.

(a) Conc. Florent. in *decreto unionis*.— (b) Conc. Trid. sess. 4, *decr. de canon. script*. — (c) Matth. 16. — (d) Joan. 14. — (e) *Ibid*. 16. — (f) Matth. 28. — (g) 1 Tim. 3.

At hæc infallibilis interpretatio christianæ doctrinæ neque singulis fidelibus, neque singulis episcopis, neque omnibus simul fidelibus, neque omnibus simul episcopis, seorsim ab Romano Pontifice judicantibus, concessa est. Nam omnes et singuli, tum laici, tum episcopi, a Christo Domino traditi sunt pascendi, spirituali scilicet veritatis alimonia, uni Petro iis verbis: *Pasce agnos meos; Pasce oves meas* (*a*). Præterea Ecclesiæ quidem universæ, sed supra Petrum ædificatæ, Christus Dominus promisit portas inferi contra illam non esse prævalituras : neque perpetuam Spiritus veritatis præsentiam Apostolis unquam seorsim a Petro Dominus Jesus pollicitus est; Petro autem uni omnes suos agnos ovesque pascendas dedit, uni claves regni cœlorum dedit, uni singulariter potestatem omnia ligandi et solvendi concessit.

Quapropter *sancta Romana Ecclesia est omnium ecclesiarum mater et magistra* (*b*); et Romanus Pontifex unus est *omnium christianorum pater et doctor ;* ipsique in beato Petro *plena potestas universalis Ecclesiæ pascendæ*, id est docendæ, *a Domino nostro Jesu Christo tradita est* (*c*).

Itaque nemini licet, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, interpretari (*d*).

(*a*) Joan. 21.
(*b*) Conc. Trid. sess. 14, *de sacram. Extr. Unct.* cap. 3.; sess. 22, *de sacrif. Missæ*, cap. 8, et alibi. — (*c*) Conc. Flor. in *decr. union.* jam cit. — (*d*) Conc. Trid. sess. 4, *decr. de edit. et usu sacror. libror.*

PARS ALTERA.

DE INTERNA ECCLESIÆ CONSTITUTIONE.

CAPUT I.

De sociali Ecclesiæ natura.

ARTICULUS I.

De christianæ societatis proprio fine aptaque definitione.

1263. Notandum. — Quoniam societatis cujuslibet natura in plurium entium intelligentium conspiratione in finem quemdam certum posita est (427), qui societatis alicujus determinatæ naturam scrutari velit, illud in primis inquirat oportet, quinam ejus societatis sit finis proprius. Itaque de christiana Ecclesia quærentibus nobis quid illa sit, hoc primum est explicandum, quis finis proprius ei sit propositus, in quem illius membra conspirare debeant. Ex hoc fine comperto riteque constituto Ecclesiæ definitio sua sponte efflorescet.

1264. Pos. 621ª. — Societatis christianæ finis proprius est supernaturalem felicitatem æternam per media a Christo Domino præscripta obtinere.

Expl. — Jam libro III, cap. 1°, ostendimus hominis ultimum finem seu perfectam felicitatem non posse in ullius creati boni adeptione consistere, humanamque naturam, simpliciter etiam spectatam, satis aperte hoc clamare, perfectam hominis felicitatem non posse alibi quam in Dei possessione ac fruitione per cognitionem et amorem collocari (255). Ex intellectuali namque hominis natura necessario consequitur, quod propria et primitiva hominis tendentia, non ad bonum aliquod particulare tantum-

modo, sed ad omne bonum, ad bonum in genere et abstracte cognitum feratur (46). Hanc autem naturæ humanæ tendentiam in bonum universaliter cognitum, nempe in felicitatem abstracte sumptam, in quam omnes pariter homines ex necessitate essentiæ suæ conspirant, vidimus retro esse finem proprium societatis universalis, qua omnes illi sunt inter se ex metaphysica necessitate conjuncti (437).

Jamvero hunc finem societatis universalis, ad quem persequendum omnis homo insuperabili naturæ necessitate urgetur, ad altiorem quemdam gradum Creator rerum omnium et gubernator omnipotens evexit, eumque in bono quodam supernaturali ac præstantissimo per Christi Domini merita obtinendo collocavit, (Princ. I et II, 1257 et seqq.) Quo factum est, ut nemo felicitate illa, ad quam humana natura totis suis viribus inhiat, potiri queat aliter, quam si bonum illud supernaturale assequatur ad quod sectandum et obtinendum christiana religio et viam monstrat et vires suppeditat.

Itaque ad salutaris hujus religionis notitiam et cultum ubique terrarum propagandum, Christus Dominus homines aliquos suæ potentiæ ministros elegit (Princ. III et V, 1260 et 1262), suique vicarios constituit in humano genere docendo et gubernando in iis omnibus quæ ad illam supernaturalem felicitatem persequendam spectant. Horum hominum et eorum qui deinceps in hoc munus succedunt, proprium jus et officium est finem illum supernaturalem populis omnibus proponere, et subsidia supernaturalia, in eumdem finem his ministris a Christo Domino commissa, opportune iis qui crediderint exhibere ac rite applicare (princ. III, 1260). Hinc vero christiana societas emergit, in hunc talem finem ordinata.

1265. Coroll. — Ultima cujuslibet entis perfectio seu *perfectio in termino*, consistit in plena illius cum ultimo suo fine conjunctione. Ejusdem *perfectio in via* nihil aliud est quam illius apta dispositio et operatio ad ultimum finem assequendum (19, 20). Ergo societatis christianæ perfectio tota sita est in efficacia et vi qua illa socialem operationem excitat ac propellit ad eum finem supernaturalem consequendum per illa media a Christo Domino præscripta.

1266. Pos. 622ª. — Ecclesia christiana est societas eorum hominum, qui interna assensione adhærent omnibus quæ Christus Dominus credenda et facienda docuit ac præcepit.

Expl. — Societatis humanæ naturam proprius illius finis determinat per certa quædam media conquirendus (427). At idem finis potest quandoque per media diversa obtineri. Sic *v. g.* media per quæ supernaturalis felicitas æterna obtinebatur in lege Mosaica, longe diversa erant a mediis in christiana lege præscriptis : ad eumdem tamen finem illa perducebant, ad quem lex christiana perducit. Igitur, quod propriam differentiam uniuscujusque societatis hominum iu hac vita, ubi omnis societas in conatibus communiter adhibendis ad bonum quoddam obtinendum consistit, est ratio mediorum per quæ socii debeant communiter ad eumdem finem conspirare. Quapropter a certa natura mediorum in christiana societate adhibendorum nostra hæc definitio potissimum ducta est : per quam mediorum determinationem hæc societas et manifeste a quacunque alia discernitur, et illius natura perspicue indicatur. Omnis namque hujus societatis operatio illuc denique reducitur, ut quæcunque Christus Dominus docuit et præcepit, ab omnibus sociis fidelissime et credantur et peragantur; et nemo potest interna assensione efficaciter adhærere omnibus quæ Christus Dominus docuit ac præcepit, quin ille sit christianæ societatis membrum.

Cæterum finis ipse christianæ societatis proprius, qui est supernaturalis felicitas æterna per Christum Dominum obtinenda, in ea definitione procul dubio continetur. Nam inter ea quæ Christus Dominus docuit ac præcepit, hoc primum et maximum est, regnum cœlorum a suis discipulis esse constanter quærendum, et regnum cœlorum omnes qui crediderint et baptizati fuerint, esse post hanc vitam consecuturos.

1267. Pos. 623ª. — Ecclesia christiana aptissime sic definitur, ut sit societas eorum qui doctrinam Christi profitentur sub Romani Pontificis supremo regimine et magisterio.

Prob. — Quamvis definitio n° præced. allata optima sit in re ipsa, christianosque omnes et solos reapse complectatur, attamen, nisi explicatius aliquid illi adjiciatur, nullam ea rationem tutam atque ultimam præbet, qua veram societatem christianam a profanis sectis, quæ se christianas vocent, discernere possimus. Quum enim prior illa definitio statuat christianam Ecclesiam eam esse quæ adhæret *omnibus* a Christo Domino traditis ac præceptis, quærendum semper erit, quænam sint hæc *omnia* quæ Christus Dominus docuit ac præcepit. Etenim, etiamsi hoc compertum sit, Christi doctrinam in sacris libris contineri, at

1° quæretur a nobis, quinam sint hi sacri libri, et quo tuto criterio a cæteris libris discernantur; 2° de vero sensu eorum quæ in his libris sacris traduntur, sæpissime dubitabitur, neque ullus aderit modus veræ interpretationis a falsa distinguendæ; 3° præter ea quæ in sacris libris continentur, potuit Christus alia docere ac præcipere, quæ non fuerint scripta, sed ore tenus Apostolis tradita, et ab his deinceps quasi per manus transmissa.

Ergo, nisi vivus aliquis ac perpetuus sacrorum librorum interpres, doctrinæ Christi universæ custos, et controversiarum circa hanc doctrinam subortarum judex sit a Christo Domino in terris relictus, nemo poterit unquam sibi esse conscius, se Christi doctrinam sectari et omnem illam amplecti; nulla etiam ratio supererit veræ christianæ Ecclesiæ dignoscendæ.

Neque enim possumus Christum ipsum adire, ut ab eo discamus quinam sint libri sacri, ejus doctrinam continentes, quinam verus locorum difficilium sensus, quænam præterea ipse Apostolis tradiderit in sacros libros minime relata. — Quod vero aliqui autumant peculiari inspiratione a Deo singulis hominibus hæc omnia manifestari, putida fabella est ad quorumdam pervicaciam tegendam inventa; quam profecto evidentis falsitatis convincit factum constans, universale et apertissimum. Infinita namque christianorum multitudo negat ullam sibi ejusmodi inspirationem divinitus immitti. Eorum vero qui hanc sibi attribuunt, fœdum mendacium evidenter probant diversæ contrariæque opinationes, quas circa unum eumdemque Scripturarum locum illi sæpissime sectantur : quod profecto fieri nullo modo posset, si divina illos inspiratio, quæ sibi ipsa contradicere nequit, bona fide auscultantes regeret.

Ergo, ut Ecclesiæ christianæ talis statuatur definitio, cujus ope possit hæc societas cognosci, et possit quisque apud se dijudicare utrum ipse in hac societate sit, non sufficit hanc societatem sic describere, ut ad illam dicantur pertinere quicunque *omnia* quæ Christus docuit et præcepit profiteantur, sed determinandus præterea est in eadem definitione modus, quo dignoscere quisque possit, quinam homines, quænam societas profitentur *omnia* a Christo Domino tradita et præcepta.

Hunc autem modum a Christo ipso Servatore institutum habemus; supremum scilicet magisterium Romani Pontificis, qui est jure divino *successor beati Petri, Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius, et omnium christianorum pater et doctor* (1262).

Ipsi namque in beato Petro *plena potestas pascendæ*, id est docendæ, *universalis Ecclesiæ* a Domino nostro Jesu Christo tradita est (*ibid.*); ipsi uni omnes agni, omnesque oves Christi ab eodem Domino sunt commissæ (*ibid.*); supra illum unum Dominus Jesus Ecclesiam suam ædificavit (*ibid.*); illi uni denique singulariter *claves regni cœlorum* dedit, ac potestatem *quæcumque ligandi* ac *solvendi* (*a*).

Ergo, quoniam Romani Pontificis magisterium est unica ratio per quam dignosci potest, quinam homines adhæreant *omnibus* a Christo traditis et præceptis, quænam societas *omnia* hæc amplectatur, sociorum obedientia sub Romani Pontificis regimine ac magisterio pertinet maxime ad Ecclesiæ Christianæ essentiam, illiusque præcipua mentio in Ecclesiæ definitione facienda est.

1268. Coroll. 1. — Ex duabus allatis Ecclesiæ definitionibus quisque intelligit christianos neutiquam esse proprio nomine illos quos *hæreticos* vocare solemus. Christianus namque est ille qui *omnibus* a Christo traditis ac præceptis adhæret *sub Romani Pontificis* supremo *magisterio*. Atqui manifestum est eum qui inter illa quæ Christus docuit ac præcepit, *hæresin* id est *delectum* quemdam facit, ut alia excipiat, alia respuat, prout sibi visum fuerit, spretis Christi Domini apertissimis documentis ac præceptis, quibus Petro suæ doctrinæ legisque interpretandæ ac proponendæ curam demandavit, nequaquam *omnibus* a Christo traditis præceptis adhærere; neque una divini verbi auctoritate, sed suo potius privato ratiocinio illum ad ea quæ credit excipienda moveri. Improprie igitur christianæ dicuntur hæreticorum sectæ, eo quod *aliquid* eorum quæ Christus docuit adhuc retinuerint, quum illæ potius sint appellandæ *infidelium* conventicula. Attamen hæc infidelium appellatio communi usu, penes quem loquendi lex et norma est, servata est ad eos designandos qui de dogmatibus christianorum propriis nihil admittant. Qui vero proprie christiani sunt, *catholici* dicuntur.

Coroll. 2. — Altera Ecclesiæ christianæ definitione, quæ una est omnino evoluta et ab omni ambiguitate libera, perspicuum etiam illud fit, Ecclesiæ christianæ veros hostes, quamvis id minime suspicentur, esse eos qui *plenam* Romani Pontificis *potestatem* supremumque magisterium minuere atque infirmare conantur. Quod nonnullos homines catholicos aliquando per in-

(*a*) Matth. 16.

credibilem imprudentiam præstitisse, paulo inferius videbimus. Et vero, quum apud omnes catholicos hoc sit plane exploratum et confessum, nullam divini verbi interpretationem tutam et authenticam esse, etiamsi a concilio episcoporum universali hæc prodierit, quam non probaverit Romanus Pontifex ultimoque sanciverit; qui plenam hujus Pontificis potestatem in controversiam vocat, totam ipsam christianam fidem in dubium conjicit, illudque magisterium, quo uno doceri possumus, quid catholicum sit, quid hæreticum, quæ ad christianam doctrinam pertineant, quæ ab illa abhorreant, prodigiosa captus amentia labefactat ac funditus evertit.

Quo etiam factum semper est ac semper fiet, ut quicunque a vera christiana fide ac religione deficiunt, nihil prius, nihil acrius sibi faciendum statuant, quam ut Romani Pontificis auctoritatem omni vi, omni fraude oppugnent.

ARTICULUS II.

De præcipuis quibusdam Ecclesiæ christianæ proprietatibus essentialibus.

1269. Notandum. — Ad ens aliquod penitus cognoscendum nequaquam satis est perspicuam ejus definitionem statuisse. Definitio namque eas solas entis proprietates exhibet, quæ sufficiunt ad illud ab alio ente quocunque discernendum, et quæ sunt quasi fons unde cæteræ illius proprietates defluunt. At hæ proprietates aliæ sunt singillatim perspiciendæ, ut distincte et adæquate illius natura noscatur. Ecclesiæ igitur definitione apte constituta, præcipuæ jam proprietates ejusdem ab hac definitione manantes considerandæ sunt: quarum quidem has sex præcipuas esse arbitramur, nimirum quod ea sit societas specialis, spiritualis, visibilis, unica, independens et obligatoria.

1270. Pos. 624ª. — Christiana Ecclesia est societas quædam *specialis*.

Prob. — Omnes homines, hoc ipso quod naturaliter ad eumdem ultimum finem sunt ordinati, eademque natura præditi, societate quadam inter se conjunctos esse jam libro iv (437) vidimus; quam societatem vocavimus *universalem*, eo quod tam late illa pateat, quam ipsa natura humana, cujus naturæ communio est unicum hujus societatis vinculum. Atqui christianæ societa-

tis finis ultimus non est profecto mera illa felicitas ad quam naturaliter homo est destinatus, sed est felicitas quædam supernaturalis per positivam revelationem supernaturalem proposita. Media vero, per quæ ad hunc finem proprium christiana societas conspirat, facto quodam particulari nituntur, redemptione scilicet humani generis per Christum Dominum facta, ejusque revelatione (1264, 1265). Ergo hæc societas ab universali, quæ a sola communi natura oritur, omnino differt, estque societas specialis, sicut specialis causa est quæ illam peperit (472).

1271. Pos. 625ª. — Ecclesia christiana est societas *spiritualis*.

Prob. — Cujuslibet societatis naturam in præsenti vita determinant ejus finis simul et media (429). Atqui tum finis, tum media christianæ societatis propria sunt ordinis spiritualis. Felicitas nempe immortalis post hanc vitam, in perfecta Dei possessione supernaturali consistens, qui finis est Ecclesiæ christianæ, totus est in ordine spirituali. Fides autem, et vitæ ratio salutaribus Christi doctrinis plane consona, quæ sunt media christianæ societatis propria, ad spiritualem ordinem evidenter omnino pertinent. Ergo, etc.

1272. Pos. 626ª. — Christiana Ecclesia est essentialiter *visibilis*.

Prob. — 1° Omnis societas in præsenti vita est plurium individuorum conspiratio in conatibus ad obtinendum bonum quoddam *communiter* adhibendis (429, 430). Ergo, ut societas in fine illo persequendo inter homines constet, necesse est illos hæc media inter se ob communis ejus finis studium communicare. Atqui nulla inter homines communicatio fieri potest aliter quam per externa signa, per quæ societas hæc evadit continuo visibilis. Ergo, etc.

2° Voluntas, qua in suum finem societas christiana conspirat, debet profecto esse *efficax*, nimirum debet effectus omnes gignere quos sincera omnis voluntas, ob ipsam hominis naturam, necessario parit. Atqui omnis voluntas efficax totum hominem, internum scilicet atque externum, ordinat in finem quem efficaciter appetit. Quum enim externa hominis operatio, internæ consentiens, ab hac posteriore, cujus est naturale complementum (118), sponte sua dimanet; quumque internæ ipsi operationi humanæ multum roboris et impetus externa, illi conformis, adjiciat (*ibid.*), neque diu sine hoc externi operis adjumento interna operatio perdurare possit (539); externum opus, internæ actioni consonum, necessario voluntas efficax parit, nisi aliqua

forte violentia impediatur. Ergo, sicut internis actibus christiana societas in finem suum contendit, ita externis etiam operibus, ob naturalis externi hominis cum interno consonantiam, in eumdem finem communibus conatibus aspirat. Ergo tam essentialis est in christiana Ecclesia *visibilis* hæc in communem finem conspiratio, quam essentialis est hominibus, unde Ecclesia componitur, corporis cum anima conjunctio, ex qua naturaliter internæ illius *conspirationis* manifestatio consequitur.

3° Christiana associatio est, ut mox probabitur, omnibus hominibus essentialiter *obligatoria*. Ergo hæc societas debet ita esse comparata, ut omnes homines possint eam cognoscere, adire, interrogare. Atqui evidens est non posse ullum hominum cœtum ab aliis hominibus agnosci, adiri, interrogari, nisi cœtus iste exterius se prodat, externisque signis fiat *visibilis*. Ergo, etc.

1273. Coroll. — *Externum* vocamus hominem, quatenus ille est materialis et corporeus. Nihil autem est hominibus exterius visibile, nisi quatenus sub materiali forma et per materialia signa proditur. Ergo, quoniam Ecclesia est essentialiter visibilis, externisque operibus essentialiter se prodit, essentialiter etiam est aliqua ex parte materialis et corporea.

Itaque in duplici ordine est essentialiter Ecclesia : in ordine spirituali, ob finem spiritualem quem appetit, media per se spiritualia quibus utitur, et principio activo, prorsus spirituali, quo interne informatur et movetur; in ordine materiali et corporeo, ob materialem naturam tum hominis externi, tum externi operis externorumque signorum, quæ omnia ad ipsam Ecclesiæ, sicut alius cujuscunque humanæ societatis, naturam omnino pertinent. A proprio suo fine scilicet habet Ecclesia quod sit spiritualis; finis quippe naturam sequuntur principium activum et media : a natura hominis corporea habet eadem Ecclesia, perinde ac humana quævis societas, quod sit materialis.

Quapropter gravissime falluntur ii qui, christianam Ecclesiam cogitantes esse societatem spiritualem, exinde colligunt nullum Ecclesiæ jus in res materiales competere. In qua ratiocinatione evidenter hæc duo permiscent prorsus inter se diversa, *societatem spiritualem* et *societatem spirituum*. Quid prior ea locutio valeat, diximus nuper; posteriorem vero, quæ significat societatem puris spiritibus ab omni materiæ concretione immunibus constantem, nullo pacto Ecclesiæ convenire evidentissimum est.

Qua simplici animadversione dissolvitur facillime argumentatio

illa, qua jus omne in res materiales Ecclesiæ abnegatur. « Ecclesia, aiunt nempe non pauci sophistæ, est societas ad finem mere spiritualem ordinata : ergo habet illa jus ad sola media ad hunc finem assequendum necessaria : atqui finis spiritualis non aliis eget mediis quam pure spiritualibus : ergo Ecclesia jus habet ad sola media pure spiritualia, ac proinde nullum jus habet in res materiales. » At tertiam propositionem in hoc ratiocinio quisque videt falsam esse, ubi de humana quavis societate agitur. Quantumcunque enim spiritualis sit natura finis, ad quem humana quæpiam societas aspirat, materialia semper media necessaria erunt, ut hæc societas vivat, ut spirituales ipsæ communicationes inter entia animo et corpore composita exerceantur ; quod sane manifestis rationibus nuper comprobatum est (1272).

1274. Pos. 627*. Ecclesia christiana est essentialiter *unica*.

Prob. — Ecclesia christiana est societas eorum qui doctrinam Christi omnem sectantur sub supremo Romani Pontificis regimine ac magisterio (1266, 1267). Atqui unicum est Romani Pontificis regimen ac magisterium, sicut ipse Romanus Pontifex unicus est. Ergo unica etiam est christiana societas, quippe cujus fundamentum essentiale unicum esse constat.

1275. Coroll. — Ex hac regiminis et magisterii in Petri cathedra constitutorum unitate dimanat tota, quanta est, Ecclesiæ christianæ unitas ; neque ex ullo alio fonte potest Ecclesiæ unitas derivari. Non ex doctrinæ unitate, quæ consistit in eo quod una eademque sit omnium sociorum fides in omnibus quæ a Christo Domino tradita et præcepta sunt : hoc enim quærendum ante omnia erit, quænam tandem hæc sint quæ Christus Dominus docuit ac præcepit ; quod jam vidimus (1267) non posse certa sententia definiri aliter quam per supremum Romani Pontificis magisterium. — Non ex unitate capitis invisibilis, Christi Domini : quum enim illud certum sit, non omnes prorsus homines esse membra mystici ejus corporis, cujus caput est Christus Dominus, quærendum iterum erit, quinam sint qui Christo Domino reipsa per veram fidem adhærent. — Non ex unitate concilii generalis episcoporum ac doctrinæ ab illo propositæ : quia, quum sit evidens non omnes prorsus episcopos, quotquot sunt in terrarum orbe universo, posse hujusmodi concilio interesse, et posse utique episcopos in generali concilio præsentes vel omnes vel aliquos, nonnihil statuere ac decernere *non conciliariter*, quærendum adhuc erit 1° quodnam habendum sit pro generali episcoporum conci-

lio; 2° quænam ab ipsis decreta fuerint *conciliariter*; præsertim vero quum hi episcopi, etiam in concilium coacti, adhuc sint agni et oves a Petro pascendi, hoc est docendi, ac proinde de nulla re possint, seorsim a Petro, sententiam ultimam, id est *infallibilem*, proferre.

Ex quibus omnibus hoc iterum fit manifestum, eos qui *plenam* Romani Pontificis potestatem minuere atque infirmare conantur, eo demum, nil opinantes, tendere, ut Ecclesiæ unitatem omnem dissolvant, nimirum ut Ecclesiam ipsam destruant.

1276. Pos. 628ª. — Ecclesia est essentialiter *independens* in iis omnibus quæ ad ejus finem ejusque media propria spectant.

Prob. — 1° Omnis societas spiritualis, quæ scilicet finem spiritualem per media spiritualia persequatur, est per se independens in ordine suo proprio. Nam *independens* dicitur vis seu facultas quælibet, cui nulla vis alia, in ordine prioris illius proprio, dominari efficaciter potest, aliquid mutando quod ad ejus constitutiva pertineat. Atqui societatis spiritualis cujuslibet talis est natura, ut ejus vi et operationi propriæ nulla alia vis possit eo modo efficaciter dominari. Etenim societatis cujusvis spiritualis proprium est seriem quamdam veritatum, ad finem aliquem, et media ad hunc finem accommodata spectantium, agnoscere ac proponere. Ergo, ut vis alia posset efficaciter tali societati resistere, deberet hæc alia vis posse veritates illas aut earum saltem partem aliquam destruere; quod evidenter est impossibile. Nam, ut veritas aliqua destrui posset, deberet illa posse ita immutari, ut non esset amplius veritas. Atqui hoc est absolute impossibile, ut veritas desinat esse veritas; quia *quod est, est*. Ergo nulla vis potest ullam partem veritatum, quarum communi notitia societas aliqua colligatur, immutare ac destruere; ac proinde nulla vis potest quidquam efficere in essentialia societatis ullius spiritualis constitutiva.

Poterit quidem vis physica multis modis turbare, impedire ac perdere illos qui tali societati adhærent: sed illa minime nocebunt societatis ejusmodi spiritualis independentiæ. Nam societas unice pendet a suis essentialibus constitutivis. Ergo, quamdiu hæc socialia constitutiva sunt *independentia*, tota etiam societas independens remanet. Atqui nulla vis potest quidquam in constitutiva societatis spiritualis, nempe in veritatum illi propriarum seriem: quia, ut vidimus, nulla vis potest efficere ut veritas non sit amplius veritas. Ergo, etc.

Hunc in modum societas quæpiam, *v. g.*, mathematicorum, est in ordine suo prorsus independens, quia leges quantitatis explicat ita ut nulla vis possit has leges immutare. Neque putanda est hæc independentia in ordine solum abstracto quodam et inefficaci constare. Etenim, ubi hæ leges corporeis viribus in ordine reali rite applicentur, has vires iis legibus continuo et necessario videmus obtemperare, neque illis posse resistere, nisi applicatio a veritate illa rei mathematicæ aliqua ex parte recesserit.

Ob easdem causas societas quæpiam, *v. g.*, philosophorum moralium erit essentialiter independens, quamdiu illa verum morale, idest honestum justumque, proponet.

Atqui christiana Ecclesia est societas quædam spiritualis. Ergo, in iis omnibus quæ ad ejus constitutiva socialia, quæ sunt proprius illius finis et propria media, pertinent, prorsus est, perinde ac alia quælibet societas spiritualis, independens.

2° Eadem est socialis conditio unicuique societati et principi a quo illa gubernatur. Atqui princeps ad Ecclesiam universam gubernandam a Christo Domino præfectus, jure divino est omnino independens. Nam Petro ejusque successoribus, Romanis Pontificibus, *plenam* potestatem universalis Ecclesiæ pascendæ et gubernandæ Christus Dominus tradidit (1260) ; eidem omnes agnos ovesque suas pascendas sine ulla limitatione commisit, et potestatem quæcumque ligandi et solvendi, datis illi uni clavibus regni cœlorum, credidit (*ibid.* et 1267). Ergo suprema Ecclesiæ auctoritas est jure divino prorsus independens in omnibus quæ ad proprium Ecclesiæ finem et propria ejusdem media pertinent. Ergo pari modo Ecclesia ipsa est omnino independens.

1277. Pos. 629ª. — Christiana Ecclesia, doctrinis præceptisque Christi Domini sub Romani Pontificis supremo magisterio adhærens, est essentialiter omnibus plane hominibus *obligatoria.*

Prob. — Obligatorium est illud sine quo finis ultimus absolute necessarius obtineri nullo modo potest (76). Atqui ultimum suum finem absolute necessarium, idest, felicitatem immortalem, ad quam ex naturæ necessitate omnes connitimur, nullus homo assequi potest aliter quam doctrinis præceptisque Christi adhærendo in Ecclesia sub Romani Pontificis supremo magisterio. Nam 1° hoc certissimum est, nulli homini æternam salutem, nisi per Christum Dominum, obvenire posse (Princ. I et II, 1257 et seqq.). Nemo igitur ultimum suum finem assequi potest, nisi cum Christo Domimo fuerit in præsenti vita conjunctus. Atqui

nemo esse potest in præsenti vita cum Christo Domino conjunctus, nisi in Ecclesia subsit supremo Romani Pontificis regimini et magisterio. Etenim quicunque in hac vita sunt cum Christo Domino conjuncti, ii dicuntur agni et oves Christi (1266). Atqui agni et oves Christi non alii sunt, quam qui supremo Romani Pontificis regimini et magisterio a Christo Domino sunt commissi. Omnes namque suos agnos, omnes suas oves Petro, ut universali Pastori, Dominus subjecit (1266 et 1267). Ergo, etc.

2° Nemo pervenire ad immortalem felicitatem potest, nisi fuerit supernaturali gratia baptismi per Christum justificatus (1257), et nisi mandata omnibus baptizatis a Christo Domino imposita observaverit (1259, 3um). Atqui omnibus per baptismum justificatis Christus Dominus hoc præcipuum mandatum imposuit, ut Romani Pontificis supremo regimini et magisterio subsint. Nam Romano Pontifici Dominus *plenam* potestatem dedit universalis Ecclesiæ pascendæ, regendæ, gubernandæ (1266). Universalem autem Ecclesiam ingrediuntur quicunque christiano baptismate, quod est Ecclesiæ janua, abluuntur. A qua Ecclesia qui propria se infidelitate et contumacia separant, haudquaquam per hoc scelus ab obligatione eximuntur observandi mandata, quibus omnes baptizatos Christus Dominus devinxit. Ergo, quoniam omni juri ex adverso officium quoddam proportionatum respondet, sicut plenum jus pascendi, regendi et gubernandi omnes baptizatos fuit Petro ejusque successoribus a Domino traditum, ita hoc ipso obligatio omnibus baptizatis imposita est obediendi Petro ejusque successoribus in iis omnibus quæ ad christianam fidem christianosque mores attinent. Ergo, etc.

3° Omnis societas spiritualis non solum est per se independens, ut supra ostendimus (1276), sed, si illa sit prorsus infallibilis in suis veritatibus agnoscendis ac proponendis, habet jus exigendi assensionem omnium mentium, quæ ad eas veritates scrutandas accedant. Veritati enim infallibiter propositæ profecto nunquam licet refragari. Quod si harum veritatum cognitio sit omnino ad ultimum finem obtinendum necessaria, tunc non solum est hypothetice, nimirum ab iis qui has veritates ediscere forte velint, sed absolute, quacunque amota conditione, jus ea societas habet omnium hominum mentes suis decretis dogmatibusque subjiciendi: ac proinde omnes homines pari urgentur obligatione adhærendi penitus huic societati, quæ infallibiter proponat media ad finem ultimum obtinendum absolute necessaria. Nam obligatorium est

quiquid absolute est necessarium ad finem prorsus necessarium assequendum. Est autem absolute necessarium adhibere media ad finem ultimum consequendum necessaria; et idcirco non minor premit necessitas auscultandi ei, quicunque ille sit, qui hæc media prorsus necessaria monstrat. Quæ necessitas auscultandi tunc solum aberit, si non sit plane certum ea decreta et dogmata a quocunque vel minimo erroris periculo esse immunia.

Atqui Ecclesia christiana, supremo Romani Pontificis regimini et magisterio obtemperans, media proponit ad ultimum finem obtinendum absolute omnibus hominibus necessaria (Princ. I et V, 1257 et 1266), et in iis proponendis est omnino infallibilis (1266). Ergo nullus homo, qui non penitus adhæreat huic Ecclesiæ a Romano Pontifice edoctæ et gubernatæ, poterit finem ultimum, æternam scilicet felicitatem, assequi. Ergo, etc.

ARTICULUS III.

De Christiana Ethnarchia, seu Christianitate.

1278. Pos. 630ª. — Christiana ethnarchia, seu *Christianitas*, est nationum independentium societas facta in ordine ad finem et media Ecclesiæ christianæ propria, per communem jurium viriumque civilium et politicorum cooperationem.

Expl. — Societatem christianam articulo hujus capitis 1º descripsimus, constantem omnibus iis hominibus individuis, qui communi consensione, sub supremo Romani Pontificis regimine et magisterio, adhærent omnibus quæ Christus Dominus docuit ac præcepit (1266, 1267). Quos quidem homines individuos, ob ingentem eorum multitudinem, necesse fuit in plura consortia seu *diœceses* partiri, ut per magistratus peculiares singulis consortiis præpositos, atque in partem supremæ auctoritatis vocatos, quos *Episcopos* vocamus, universalis Pontificis gubernatio utiliter ac facile ad singulos socios descenderet. Hanc enim consociatæ multitudinis in minora consortia divisionem, et particularium magistratuum a supremo dependentium singulisque consortiis præfectorum creationem, jam supra ostendimus (713, 844, coroll. 4) in omni ampliore societate prorsus esse necessariam. Sunt igitur omnia hæc consortia *homogenea*, nempe ejusdam naturæ cum ampliore societate universa: eumdem namque finem habent eademque media, et ab eadem, quæ societati universæ præest,

auctoritate, particularibus iis magistratibus communicata, reguntur. Christianorum multitudo sic distributa in cœtus homogeneos supremoque uni Pontifici subordinatos, est illa societas quæ proprie dicitur *Ecclesia.*

At vero ii christiani singuli sunt etiam membra variarum *nationum*, societatum nempe civilium independentium quæ habent socialem finem sibi proprium, a fine Ecclesiæ diversum, ordinem scilicet externum naturali honestati in præsenti vita colendæ faventem (735). Hæ autem nationes possunt divinam Ecclesiæ institutionem agnoscere *socialiter* (883), ita nimirum ut princeps simul et subditi *communiter* ejus facti veritatem fateantur. Qua veritate sic communiter agnita et admissa, princeps et subditi, nempe tota moraliter natio, tenentur Ecclesiæ adhærere, fidem illi suam obstringendo : ipsa namque naturalis honestatis lex obligat, ut divinæ voci utcunque præcipienti omnes ad quorum aures ea vox pervenerit, prompte obediant.

Itaque apud nationes quæ socialiter sese Ecclesiæ, pro suo officio, jam addixerint, singuli socii duplici titulo christianæ auctoritati subsunt : 1° *individualiter*, ex personali sua cognitione ac voluntate; 2° *socialiter*, ex officio civilis obedientiæ.

In aliis vero nationibus aliquando fiet, ut, quamvis plures subditi ad Ecclesiam accesserint, principe tamen divinum hoc præceptum vel ignorante vel detrectante, nulla Ecclesiæ præstetur adhæsio *socialis* : quo in casu nationes haudquaquam sunt Ecclesiæ membra, sed solum cives singuli.

Quando igitur eo res adducta fuerit, aderunt quidem in Ecclesia, tamquam vera illius membra, nationes et homines individui, externo vinculo communis fidei et mediorum communium pariter omnes colligati; at publicis tamen suis juribus ac viribus unaquæque natio, singuli vero homines individui domesticis suis juribus ac facultatibus instructi, Ecclesiæ adhærebunt. Ergo ex iis hominibus individuis et nationibus, communi religionis ejusdem professione ita conjunctis, emergit societas quædam *mixta* ex ordine duplici, altero naturali ac materiali, ex elementis ante hanc susceptam religionem præexistentibus constante, altero supernaturali et spirituali per voluntariam nationis adhæsionem superinducto. Christiana societas hoc modo nationibus et individuis conflata, cum duplici hoc ordine naturali ac supernaturali, materiali et spirituali, ad communem eumdem finem æternæ salutis per christianam fidem christianosque mores obtinendum

utroque simul conspirante, *Christiana Ethnarchia*, seu *Christianitas* vocatur.

1279. Coroll. 1. — Jam facile intelligitur qua re differant inter se Ecclesia et Christianitas. Nam 1° Ecclesia est christiana societas, quatenus hæc ex individuis hominibus constat, vel etiam e consortiis *homogeneis*, in quæ individua forte fuerint distributa, et quatenus socii spiritualia potissimum media in communem christianæ religionis finem conferunt: Christianitas vero est christiana societas, quatenus ea non solum individuis, sed pluribus etiam nationibus componitur, et in communem societatis usum non solum spiritualia et supernaturalia, sed etiam civilia et politica naturalis ordinis media conferuntur. — 2° Ecclesia proprie dicta in christianæ societatis prima infantia non minus quam in florente provectioris ætatis vigore adfuit: at Christianitas, ut quæ plures jam nationes christianæ fidei subactas postulat, nonnisi in adulta Ecclesia reperiri potuit. — 3° In adulta christianæ societatis ætate, quando plures ea semper nationes suo gremio adhærentes complectitur, Ecclesiæ nomen hanc societatem significat modo quodam abstracto, ea tantum innuendo videlicet, quæ illi sunt prorsus essentialia: Christianitatis nomine contra indicatur eadem societas modo concreto, cum omnibus nempe viribus ac facultatibus quæ essentialibus ejus constitutivis paulatim ad eumdem finem facilius persequendum, divina providentia opitulante, supervenerunt.

Coroll. 2. — Evidens est Chistianitatem esse omnino veram ac proprie dictam ethnarchiam. Nationes enim quibus ea constat, socialem unitatem habent ab Ecclesia, ad cujus bonum tutandum ac promovendum suas illæ opes viresque in commune conferunt. Ab hac vero unitate oritur necessario inter omnia Christianitatis membra mutuum quoddam commercium et communicatio doctrinarum, affectuum, utilitatum, quæ relationum ethnarchicarum occasio et quasi materia est (1222). Jam hujus ethnarchiæ summum bonum est ipsa ejus religio, quæ ejusdem est prima causa et primum *factum associans*. Quare omnes hujus ethnarchiæ leges integrum inviolatumque illud bonum servare debent, illoque tamquam fundamento inniti (1232); nihilque in tali ethnarchia committi potest veræ christianæ, idest catholicæ, religioni contrarium, quo non fundamenta ipsa societatis hujus communisque felicitatis labefactentur.

Coroll. 3. — Quam firmum validumque ethnarchicæ associa-

tionis et socialis roboris principium sit communis religio, ostendunt profecto celeberrima exempla tum ethnarchiæ Mahumetanæ, quæ tot olim tantasque Christianitati clades intulit, coactis ad eam oppugnandam opibus et armis plurimarum gentium ejusdem superstitionis communione junctarum; tum ethnarchiæ Protestantium, quæ multas nationes sectasque hæreticas ad unius veræ christianæ Ecclesiæ perniciem moliendam perdiu concitavit; tum ethnarchiæ Græco-Russiacæ, cujus princeps, Russiarum Imperator, Nicolaus, Græcæ perfidiæ veterisque in sua familia versutiæ ac sceleris hæreditatem plenam adeptus, post catholicam religionem in suis ditionibus diu multis modis vexatam atque afflictam, infirmo denique Turcarum imperio iniquissimum bellum primo per fraudes occultas paravit, nunc vero, dum hæc scribimus, per apertam vim, importunissimi prædonis jure unico fretus, idcirco infert, ut schismaticæ hæreticæque audaciæ sede, seu potius antro, Byzantii restituto, catholicis omnibus Europæ nationibus inde ferro flammaque minitetur. Contra quod præsentissimum christianarum gentium discrimen utinam Francorum gens a tot seditionum et errorum monstris jam pluries divinitus liberata, non solum cum classe copiisque, ut facit, accurreret, sed, Caroli Magni tempora virtutemque recordata, catholicas omnes nationes, quantum fieri potest, pulcherrimo ethnarchiæ christianæ fœdere conjunctas, ad Ecclesiam Christi ab teterrimi hostis insidiis et incursionibus defendendam secum adduceret! Infinitos inde optimosque fructus cum Francorum Imperium, tum cæteræ nationes catholicæ perciperent. Plurimum namque catholica hæc ethnarchia valeret non solum ad Europæ totius libertatem securitatemque tutandam, sed etiam ad christianam fidem in plurimorum pectoribus consopitam excitandam, ad populos christianæ religionis amore inflammandos, ad corruptos mores expurgandos, ad sensus generosos plurimorum animis fœdo *egoismo* tabescentibus tandem aliquando infundendos.

1280. Pos. 632ª. — In Christianitate sunt essentialiter binæ auctoritates ethnarchicæ supremæ plane distinctæ, atque in diversis personis residentes.

PROB. — Christianitas est ethnarchia mixta, ex duplici ordine sociali constans, spirituali et materiali, sicut duplici societatis specie componitur. Ad eam quippe constituendam coeunt nationes cum sociali sua natura externa et materiali, cum suis principatibus ordinis externi et materialis, cum suis materialibus juribus ac viribus, quas independenter a christiana associatione possiden-

(1279, coroll. 1). Hæ vero societates ordinis materialis ampliorem aliam et superiorem ineunt societatem ordinis spiritualis, nempe Ecclesiam, quæ proprium etiam habet, ex divina institutione, principem, propriasque leges, jura et vires. Neque supremus Ecclesiæ princeps, per hanc christianæ ethnarchiæ constitutionem, acquirit, ex rei natura, supremam quoque ordinis materialis auctoritatem ethnarchicam : ac multo minus possunt principes nationum in Ecclesia consociatarum auctoritatem ordinis spiritualis acquirere; quia hæc spiritualis auctoritas jam omnino est a divino Ecclesiæ Conditore determinata in certis personis (1260). Ergo binæ illæ auctoritates, spiritualis et materialis, in christianæ ethnarchiæ constitutione, minime permiscentur, sed remanent plane distinctæ, non solum in sua quæque natura, sed etiam in personis quæ illas possident. Ergo, etc.

1281. Coroll. — Christiana ethnarchia debet profecto eas sequi leges, quas generaliter libro XI° de ethnarchia quacunque disputantes, statuimus. Igitur suprema ejus auctoritas temporalis, ad finem materialem persequendum destinata, residebit in sociali corpore universo, in concordi scilicet nationum sociatarum voluntate (1227); quæ quidem sociæ nationes possunt eam supremam auctoritatem vel omnes simul communiter administrare, vel uni aut pluribus principibus committere, ut jam eodem libro docuimus (1228).

1282. Pos. 633ª. — **Suprema auctoritas ethnarchica temporalis in Christianitate est essentialiter supremæ auctoritati ecclesiasticæ subordinata.**

Prob. — Christiana ethnarchia non alio conjungitur sociali vinculo, quam communi fide christiana et communi obligatione utilitatum Ecclesiæ tuendarum ac promovendarum a nationibus sociatis suscepta (1278; 1279, cor. 1). Ergo tota hæc associatio ethnarchica, ejusque operatio, essentialiter sunt subordinatæ ad christianam fidem, Ecclesiæque utilitates; sicut ipsa hæc ethnarchia non existit nisi *propter* fidem christianam atque Ecclesiæ utilitates. Atqui solius auctoritatis spiritualis in Christianitate est determinare quæ ad fidem christianam, quæ ad Ecclesiæ utilitates pertineant (1260); sunt enim hæc ordinis plane spiritualis; ac proinde totus ipse finis, totumque objectum christianæ ethnarchiæ ejusque operationum uni auctoritati ecclesiasticæ subsunt. Ergo etiam ipsa ethnarchica auctoritas temporalis ejusque operatio in Christianitate subsunt auctoritati ecclesiasticæ.

1283. Coroll. 1. — Ecclesiæ igitur auctoritas spiritualis, quamvis temporalem ethnarchicam auctoritatem Christianitatis haudquaquam gerat directeque gubernet, plurimum tamen in illam indirecte poterit, definiendo scilicet quid fides christiana, quid Ecclesiæ utilitates ab ethnarchia christiana in variis casibus postulent.

Coroll. 2. — Ex postremis duabus positionibus hæc duo sunt plane comperta : ad essentiam videlicet christianæ ethnarchiæ pertinere, tum ut duabus auctoritatibus distinctis ea gubernetur, tum ut ejus auctoritas ordinis materialis ab auctoritate ordinis spiritualis dirigatur. Quare *temporali* auctoritati in Christianitate semper erit *summa et ineluctabilis vis;* auctoritati vero spirituali erit semper *summum jus*. Quo tamen supremo Ecclesiæ jure nunquam temporalis auctoritas in recto justoque usu suæ potestatis impediri poterit; quia jus recto justoque usui potestatis contrarium est essentialiter cassum et nullum; esset enim *jus non-jus* (357).

1284. Pos. 634a. — Suprema Christianitatis auctoritas temporalis nequit residere in persona ulla quæ christianæ Ecclesiæ membrum non sit.

Prob. — 1° Proprium et essentiale munus est auctoritatis ethnarchico-christianæ utilitates et commoda christianæ ethnarchiæ procurare (1282). Non potest autem christianæ ethnarchiæ commoda vi officii sui curare ille, qui vi professionis suæ religiosæ est Christianitati plane infensus. Pugnat enim cum essentiali rerum ordine, ut, cujus religiosa professio est Christianitati inimica, eidem munus Christianitati essentialiter amicum committatur : quia duplici contrario principio cogeretur eadem persona idem objectum et amare et odisse, quod est evidenter absurdissimum. At quicunque a christiana Ecclesia alienus est, hoc ipso religionem profitetur Christianitati inimicam. Etenim hoc ipso quod est a christiana religione alienus, hanc religionem falsam judicat, saltem *practice :* neque enim potest hanc religionem veram quidem, sed non obligatoriam existimare, quum ea perpetuo clamet ac protestetur se unicam veram esse ac Deo gratam religionem, totique humano generi obligatoriam. At vero qui religionem aliquam falsam judicat, inimico et infenso in illam animo evidenter ducitur. Ergo, etc.

2° In nulla societate, cujuscunque illa generis sit, censetur posse cum auctoritate illius societatis propria præesse qui non sit

in sociorum numerum legitime relatus. Sic, *v. g.*, litterariæ aut *scientificæ* academiæ continuo desinit esse præses, qui consortio academico nuntium remiserit; et cantoribus præsidere amplius nequit, qui plane ab odeo discesserit. Cujus rei manifesta ratio petitur ex eo quod ille qui consortii cujuspiam utilitates proprio munere debeat procurare, debeat etiam versari in ea vitæ conditione, quæ illum faciat, ex propria talis conditionis natura, utilitatibus ejus consortii penitus addictum. Atqui haudquaquam, ex propria vitæ suæ conditione, utilitatibus alicujus cœtus est addictus, qui huic cœtui plane extraneus est. Ergo, etc.

1285. Coroll. — Evidens ergo est a nullo principe infideli, vel hæretico, vel schismatico posse auctoritatem ethnarchico-christianam possideri. Absurdum namque ac ridiculum sane esset *ovium custodem lupum* constituere. Quapropter nihilo est minus evidens prudentia et æquitas veteris christianæ *diplomatiæ*, vi cujus a Romani imperii fastigio delapsus medio ævo declarabatur, quicunque princeps, honore illo ethnarchico ornatus, a christiana fide vel obedientia per hæresim aut schisma defecisset.

1286. Pos. 635ª. — Ethnarchia christiana est suapte natura societatum quæ inter homines jungi possint, perfectissima.

Prob. — Societatis cujuslibet perfectio essentialis in duabus virtutibus, *unitate* et *efficacia*, consistit (431, 432); cui perfectioni essentiali si accidentalis, quæ in societatis *amplitudine* sive *extensione* sita est (918), superveniat, omnibus illa numeris erit plane absoluta. Atqui ethnarchiæ christianæ maxima unitas est, maxima efficacia et maxima amplitudo, quibus humana ulla ethnarchia prædita esse possit.

Nanm 1° tanto major est societati cuique unitas, quo validius est illi principium unitatis, quod est auctoritas. At nulla societas est aut esse potest, quæ principio unitatis tam valido firmoque contineatur, quam valido christiana ethnarchia cohæret. Huic namque christianarum nationum religiosæ societati præest in summo vertice infallibilis illa auctoritas, quæ ipsis sociorum mentibus efficacissimo simul et suavissimo imperio dominatur : unde perfecta judiciorum unitas in omnibus sociis, nationibus et individuis enascitur. Judiciorum autem unitate constituta, efflorescunt sua sponte aliæ binæ unitates voluntatis et actionis, quia voluntatem actio, mentis vero judicium voluntas naturaliter sequuntur. Jamvero infallibili auctoritati, qua Ecclesia gubernatur, ipsa profecto auctoritas ethnarchica in hac societate subest (1282).

Nulla autem societas alia est vel esse potest, quæ auctoritate infallibili, ac proinde in mentes ipsas sociorum dominante, regatur. Ergo, etc.

Accedit, quod in nulla humana societate potestas legislativa sit æque distincta ab executivæ potestatis vi materiali. In christiana quippe ethnarchia legislativam potestatem ad Christianitatis veros hostes, vera pericula, vera commoda determinanda, Ecclesia una possidet, sicut vim materialem potestatis executivæ habet una auctoritas ethnarchica. Unde fit, ut potestas legislativa in hac societate sit quam aptissime comparata ad principes nationibus, et nationes principibus vicissim conciliandos, et eorum dissidia vel impedienda vel componenda.

2° Efficacia actionis socialis oritur a necessitate ac præstantia finis proprii quem societas persequatur, a vi et copia mediorum quibus illa utatur, a magnitudine præmiorum quibus sociorum animi ad strenue operandum excitentur. Atqui nulla societas humana est vel esse potest, quæ ad præstantiorem finem ac magis necessarium contendat, quæ potentioribus adjumentis sit communita, quæ majora præclaris suorum facinoribus præmia proponat, quam christiana ethnarchia. Nam finis huic societati proprius est christianæ fidei ac religionis defensio et propagatio : nil autem christiana fide ac religione æque necessarium omnique dignitatis genere præcellens cogitari potest. Præsidia seu media quibus in hunc finem Christianitas utitur, sunt omnia illa quæ tum Ecclesia, tum nationes possident; sunt omnia illa quæ a viribus conjunctis animæ et corporis, ordinis spiritualis et ordinis materialis, quæ a Cœlo denique ipso cum terrestribus potestatibus conspirante suppeditari possunt. Præmia vero quibus socii ad sedulam fortemque operam navandam accenduntur, sunt non solum caduca illa et fluxa, quæ hujus vitæ finibus continentur, laudis videlicet, honorum, divitiarum, sed alia præterea longissime præstantiora, æterna scilicet in cœlis regna, omni bonorum genere plenissima. Nihil autem cum hoc fine, his adjumentis atque his præmiis comparandum aliæ quælibet humanæ societates habent.

3° Christianæ ethnarchiæ fœdus, si christianas inter nationes aliquot jungatur, illud suapte natura eo tendit, ut omnes alias nationes christianam fidem sectantes complectatur. Quum enim communis religionis causa in hac nationum societate unica agatur, ad omnes nationes hæc societas sua sponte extenditur, ad quas eadem illa causa pertinet. Atqui optima et maxima humani

generis pars est, quæ hanc christianæ religionis causam communem habet; veræ, inquam, religionis christianæ, idest catholicæ; neque enim vere christiani sunt hæretici aut schismatici, ut supra monuimus (1268, coroll. 1). Adsunt enim in terrarum orbe universo ducenti circiter catholicorum miliones, optimis artibus ac disciplinis plerique exculti. Reliquum vero humanum genus in mille sectas divisum est, ac superstitiones diversas, quæ, communis fidei charitatisque principio destitutæ, nunquam poterunt, saltem diuturno tempore, in firmam aliquam amplamque ethnarchiam religiosam coalescere. Extra ordinem autem fidei ac religionis nulla esse potest causa ethnarchica tam late patens, quam causa Christianitatis universæ. Ergo, etc.

1287. Coroll. — Quæcunque de christiana ethnarchia hoc articulo disputata sunt, chimærica et otiosa nonnulli fortasse judicabunt. Quum enim pagana judicandi ac vivendi ratio a paganis scholarum institutis atque a pagana *protestantismi* superbia licentiaque in omnes civium ordines inter ipsos catholicos latissime fuerit propagata penitusque infixa, nonne desipere ille plane dicendus est, qui de christianis nationibus in christianam ethnarchiam conjunctis disputare instituat? Aut quænam demum religiosæ ejusmodi ethnarchiæ constituendæ spes reliqua esse potest, quum catholicæ ipsæ nationes pleræque sese erga omnem religionem *indifferentes*, ac politice atheas, aut expressis legibus aut saltem practice, profiteantur?

Attamen quæ circa proprium suum objectum unicuique arti docenda occurrunt, etiamsi illis homines, sua culpa, uti negligant, nequaquam otiosa et chimærica dicenda sunt. Neque enim quid homines, pro sua libertate, reapse agant, sed solum quid illos, ex æternis honestatis ac justitiæ legibus, agere oporteat, moralis scientia decernit. Quapropter perutile semper est, quantacunque animorum ignavia morumque corruptela esse videatur, perspicue ac graviter, quæ homini, quæ nationi cuique officia incumbant, statuere; ut ad metam eminus sic commonstratam illi, socordia excussa, aliquando connitantur, aut saltem optimi quique cives, quam longe a recto justoque rerum ordine publicæ hominum societates absint, perspicientes, aliis modis subsidiisque, utcunque poterunt, saluti humani generis consulant. Cæterum et viguit olim christiana ethnarchia, populis omnibus christianis ad Romani Pontificis ductum, contra pestem Mahumetanam concurrentibus; et recomponi iterum, Deo fa-

vente, poterit ad Russiacas tum fraudes, tum oppugnationes apertas a regionibus catholicis propulsandas.

CAPUT II.

De propria Ecclesiæ auctoritate.

ARTICULUS I.

De ecclesiastica auctoritate generaliter spectata.

1288. Notandum. — Quoniam nulla societas potest consistere sine principio quodam vivo, unitatem conservante illius socialis conspirationis, in qua societatis ipsius essentia sita est (427); hoc principium, quod auctoritas dicitur, fuit sine ullo dubio in Ecclesia a Christo Domino institutum. Quæ auctoritas, quum sit *unitatis* principium, et ipsa est essentialiter *una* (452). At, generaliter loquendo, socialis auctoritas potest esse una vel *monarchice*, in persona physice una residens, vel *polyarchice*, si ejus unitas per moralem plurium personarum consensum constituatur (499). Quærendum ergo primo loco erit utrum monarchica an polyarchica auctoritas a Christo Domino fuerit Ecclesiæ præposita. Unitas autem illa socialis auctoritatis, quum innumeros complectatur homines individuos, qui omnes singillatim eidem subsunt, sicut omnes singillatim hanc societatem libere ineundo, eidem ultro adhæserunt, debet omnino hanc sociorum multitudinem in plura *consortia* sibi uni subordinata partiri, iisque singulis peculiarem auctoritatem sibi uni pariter subordinatam præficere. Una illa auctoritas christianæ societati universæ præsidens, quia princeps et summa est, veram ac perfectam constituit *Protarchiam*; particulares vero auctoritates, consortia singula illi protarchiæ subordinata regentes, sunt totidem *Deutarchiæ*.

1289. Pos. 636*. — Ecclesiasticæ auctoritatis proprium objectum est externam sociorum operationem omnem ordinare ad finem internum fini ultimo supernaturali congruentem.

PROB. — Omnis societatis humanæ finis particularis immediatus est ordo quidam externus (735). Nam humana societas est ea qua homines inter se conjunguntur. Homines autem nequeunt socialiter conjungi immediate, nisi externis vinculis; quia internos aliorum sensus non agnoscunt nisi per signa externa: est autem evidens internos sociorum sensus cognosci ab aliis sociis oportere, ut hi cum illis *conspirent* (427), nempe ut judicia et voluntates suas, unde actiones profluunt, ad judicia et voluntates aliorum sociorum conforment. Ergo christiana societas, sive Ecclesia, est hominum coordinatio externa ad eos in supernaturale bonum a Christo Domino monstratum perducendos idonea et efficax. Quæ quidem externa coordinatio, in singulis individuis spectata, nequit apta et *recta* esse, nisi internum in iis revera gignat motum in illud bonum supernaturale; quia, nisi hunc motum revera pariat, non est efficax ad ultimum finem attingendum. At, quatenus in societate ipsa viget, illa externa coordinatio tunc apta et recta est, quum per se est idonea ad gignendum in singulis sociis illum motum in finem ultimum supernaturalem (735).

Jamvero proprium auctoritatis objectum in unaquaque societate est bono sociali consulere (456); quod bonum sociale consistit in conservando ac perficiendo illo ordine qui unicuique proprie competit: quia et in hoc ordine sita est præsens uniuscujusque societatis natura, ut nuper vidimus; et per hunc ordinem unaquæque ultimum suum finem assequitur. Ergo auctoritatis ecclesiasticæ proprium objectum est conservare ac perficere externam hominum coordinationem idoneam ad gignendum in singulis motum in finem ultimum supernaturalem a Christo Domino monstratum.

1290. COROLL. — Distinguendus est igitur accurate in Ecclesia duplex ordo actionis seu motus, alter *individualis*, alter *socialis*. Atque in motu quidem individuali hominis in finem ultimum supernaturalem omnia sunt per se interna et spiritualia, principium, finis et media. Principium namque hujus motus individualis est conjunctio humanæ mentis cum Infinita Veritate per *fidem*, et humanæ voluntatis per *charitatem*. Finis est Dei possessio æterna per *visionem* ejus *intuitivam*. Medium est supernaturalis gratia mentem hominis illustrans, voluntatem excitans et roborans, totum hominem purgans ac reficiens. Nihil autem in his omnibus est quod per se sub sensus ac vires hominum cadat, ac proinde nihil quod per se directe humanæ ulli auc-

toritati obnoxium sit. Quare actio, quam Ecclesiæ ministri ad internum hunc ordinem individualem regendum exercent, tota est supernaturalis atque interna.

Cæterum, quamquam medium illud sit per se prorsus spirituale et internum, ejus tamen communicatio multis externis signis atque externis actionibus est a Christo Domino alligata: unde primum quoddam externæ societatis elementum emergit.

At vero in Ecclesiæ motu sociali, quamvis finis ultimus semper sit spiritualis, finis tamen immediatus et media sunt per se externa et materialia, sed interno fine a medio spiritualibus informata.

1291. Pos. 637ª. — Ecclesiastica auctoritas nullo pacto auctoritates laicas absorbet vel impedit in ulla re, quæ ad vera illarum jura pertineant.

Notandum. — *Laica* dicitur omnis auctoritas cujus proprius finis est mere naturalis ac temporalis.

Prob. 1ª pars. — Quamquam Ecclesia sit associatio publica, et quacunque alia publica societate multo amplior, attamen finem persequitur, et media adhibet a fine et mediis societatum laicarum plane diversa. Nam Ecclesia finem proximum et media habet externa, sed undequaque et *positive* spectantia ad internum ordinem supernaturalem (1289); quæ finis externus ac media mutuantur inde naturam spiritualem ac supernaturalem: societates autem laicæ omnes finem externum quærunt mere naturalem et mediis mere naturalibus utuntur; quæ finis et media naturalia sunt *negative* tantum subordinata fini ultimo supernaturali, quatenus nihil debent illi contrarium habere. Ergo fines et media harum societatum sunt plane diversa. Ergo auctoritas ecclesiastica nequit auctoritates laicas absorbere. Nam eatenus solum altera auctoritas potest alteram absorbere, quatenus eosdem subditos sibi vindicat ad eumdem finem per eadem media dirigendos. Ubi finis et media socialia sunt plane diversa, sicut non permiscentur societates inde exortæ, ita nec confunduntur auctoritates singulis illis præsidentes.

Prob. 2ª pars. — Ecclesia finem sectatur ac media adhibet cum fine et mediis societatum laicarum minime pugnantia, quin potius illis vehementer faventia.

Nam I. finis et media Ecclesiæ ad bonum spirituale ac supernaturale hominum directe ac positive tendunt. Finis autem et media societatum laicarum, ut sint legitima, debent negative

eidem bono subordinari, quatenus, ut nuper monebamus, nihil habeant huic bono contrarium (735). Ergo finis et media Ecclesiæ propria nunquam possunt impedimento esse fini et mediis societatis ullius laicæ legitimis. Illa namque subordinatione fit, ut nunquam ea possint esse inter se contraria. Nequeunt autem altera ab alteris impediri, nisi quatenus hæc illis contraria sunt.

II. Interni ordinis ad ultimum finem supernaturalem tendentis observatio plurimum profecto debet prodesse ordini externo ad eumdem illum finem subordinato. Atqui fine ac mediis Ecclesiæ propriis ordo internus ad eum ultimum finem spectans inter homines statuitur et confirmatur. Ergo christianis illis fine ac mediis plurimum debet laicæ cujusvis societatis ordo externus sustineri et communiri; ac proinde multum commodi et emolumenti ab ordine ecclesiastico in finem ac media laicarum societatum debet omnino redundare.

Ergo, quoniam actionem et existentiam ipsam uniuscujusque societatis et auctoritatis determinant propria illius finis et media, sicut finis et media Ecclesiæ nequeunt finis et mediis legitimis laicarum societatum impedimento esse, sed potius iis favent ac prosunt; ita neque auctoritas ecclesiastica potest per se auctoritatem laicam ullam impedire in re ulla ad hanc legitime pertinentem, sed suapte natura debet auctoritates omnes laicas plurimum juvare.

ARTICULUS II.

De ecclesiastica Protarchia a Christo Domino instituta.

1292. Pos. 638a. — Ecclesiastica Protarchia debet suapte natura esse visibilis et constans seu permanens.

Prob. 1a pars. — Socialis Protarchia est principium illud essentiale, a quo societas quælibet unitatem ac motum, idest existentiam ipsam suam ac vitam, in ordine concreto accipit ita, ut qualis societas est, talem etiam ejus Protarchiam esse oporteat (452, 461, 740, 1288). Atqui Ecclesia est essentialiter *visibilis* (1274). Ergo etiam ejus Protarchia prorsus visibilis esse debet.

Et vero, quænam demum societas hominum sit vera christiana Ecclesia, jam invicte probavimus non posse aliunde cognosci quam ex *Protarcha* divinitus ad christianam doctrinam conservandam explicandamque constituto (1267). Ergo vera christiana

Ecclesia non est visibilis nisi per ejus visibilem cum Protarcha divinitus constituto conjunctionem. Ergo, nisi hic Protarcha plane visibilis adstet, Ecclesia ipsa nequit esse visibilis.

Prob. 2ª pars. — Quemadmodum concretæ societatis ac visibilis debet Protarchia concreta et visibilis esse, ita etiam societati constanti ac permanenti Protarchia constans et permanens omnino præsit necesse est. Deficiente namque essentiali socialis unitatis principio, societas ipsa continuo dissolvitur ac perit. Atqui, ut centies jam dictum est, quod nimis sæpe tamen inculcari nequit, essentiale principium socialis unitatis est summa auctoritas seu Protarchia (452, 461). Ergo sine constanti Protarchia non potest constans Ecclesia permanere.

1293. **Coroll.** — Non est necesse ut socialis protarchiæ præsentia careat omni physica interruptione, sed sufficit ejusdem perseverantia moralis. Itaque, si summa cujuspiam societatis auctoritas in cœtu seu concilio quodam optimatum resideat, non erit necesse ut hoc concilium adstet perpetuo congregatum, sed poterit identidem discedere, illius membris ad privata sua negotia abeuntibus, usuque summæ potestatis, intra fines quosdam uni vel paucis personis demandato. Attamen, ut tale concilium sit vera protarchia, necesse plane est, 1° ut coire ac discedere pro arbitratu suo possit, quin facultas ei sit ab ulla potestate alia de jure quærenda; 2° ut in suis deliberationibus alii nulli potestati jure debeat obtemperare; 3° ut ejus decreta plenam vim legis habeant per se sola, quin illa possint jure ab alia potestate ulla infirmari; 4° ut nulla adsit alia potestas, quæ juribus omnibus supremæ in societatem eamdem auctoritatis polleat sine ullo ejus concilii interventu, omniaque illa jura legitime possit, eó concilio plane inconsulto, exercere. Quatuor hæ conditiones sunt omnes evidenter necessariæ. Si vel una illarum desit, nequaquam illud concilium erit protarchica potestate instructum.

1294. **Pos. 639ª.** — Ecclesiastica Protarchia debet omnino residere in ea persona cujus publicum judicium, in christiana doctrina definienda, sit, ipsum per se, divino munere *infallibile*.

Notandum. — Personam hanc *indeterminate* hic consideramus, sive physica illa, sive moralis sit.

Prob. pos. — Ecclesia est societas eorum hominum qui interna assensione adhærent omnibus quæ Christus Dominus credenda et facienda docuit ac præcepit (1266) : socialis autem auctoritas quælibet est jus atque officium coordinandi efficaciter

omnes socios ad communem finem (451). Ergo auctoritas ecclesiastica est jus atque officium coordinandi efficaciter omnes christianos ad illa omnia quæ Christus Dominus credenda et facienda docuit ac præcepit. At non potest auctoritas ulla socios ad communem finem efficaciter coordinare, nisi ipsa primum cognoscat et hunc finem et media ad illum ducentia : entia namque intellectualia ad certum finem coordinari nequeunt aliter quam per media intellectualia, per doctrinam scilicet, hortationes, præcepta. Ergo auctoritas ecclesiastica, cujus est doctrina, hortationibus, præceptis christianos ad ea quæ Christus docuit ac præcepit coordinare, debet ipsa primum hæc omnia cognita et perspecta penitus habere, ut sociis ea proponat. Ergo illa persona, in qua residet ecclesiastica Protarchia, debet omnino *infallibilis* esse in his omnibus publice definiendis ac proponendis.

Nam ecclesiasticus Protarcha ille est, cui determinanti aliquid eorum quæ ad christianam associationem pertinent, omnes christiani, omnia christianorum consortia, omnes ecclesiastici magistratus obedire stricto officio tenentur : omnis etenim Protarchia, sive suprema auctoritas, est essentialiter independens in iis omnibus statuendis quæ ad proprium ordinem societatis illi subditæ attinent (493). Atqui ea quæ ad proprium ordinem societatis christianæ pertinent sunt omnia et sola credenda et facienda a Christo Domino tradita et præcepta. Ergo ecclesiastico Protarchæ doctrina, hortationibus, publice proponenti aliquid credendum aut faciendum tanquam consonum iis quæ Christus docuit ac præcepit, omnes christiani et christianorum præsules stricto officio tenentur obedire planeque acquiescere. Atqui nullo pacto potest hoc officium acquiescendi omnibus quæ credenda ac facienda proponantur tanquam consona Christi doctrinis ac præceptis, nisi persona proponens sit omnino in tali propositione *infallibilis*. Etenim non agitur hic solum de obedientia actionis externæ, sed de obedientia mentis ac judicii; quia Protarchæ illi obediendum est ut proponenti quæ sunt *credenda;* hoc est enim munus illius proprium, quum socii christiani coordinentur ad Ecclesiæ finem maxime per *internam fidem.* Jamvero, ut teneamur illi Protarchæ obedire per internam fidem, oportet *nullo modo liceat dubitare* de veritate eorum quæ ille tradit : licet autem, semperque licebit dubitare interne de veritate doctrinæ propositæ ab eo qui non sit hæc docendo plane infallibilis. Ergo, etc.

1295. Coroll. — Omnis quidem Protarchæ decreta et leges sunt in suo ordine *irreformabilia*. At in societate qualibet mere humana, hoc ipso quod talis societas ejusque auctoritas in ordine versantur mere temporali et externo, nullum Protarchiæ decretum potest ad *internam fidem* obligare, ac proinde est in externo solum ordine irreformabile. Ecclesiastica Protarchia e contrario quoniam ad internam præcipue fidem ac deinde per internam fidem ad externas quoque actiones efficaciter ordinandas est constituta, ejus decreta sunt irreformabilia etiam in ordine internæ fidei.

Quapropter, ut laicæ Protarchiæ decreta sint obligatoria, sufficit quod nihil ea manifeste contineant divinis legibus contrarium, neque est necesse ut mentes interius obligent ad bona et justa credenda ea quæ fuerint præcepta : externum quippe ordinem solum ea proprio munere tuetur; ac proinde, ubi *externam actionem ordinatam* obtineat, nihil præterea potest jure postulare. At ecclesiasticæ Protarchiæ munus proprium est primo quidem ac directe internam sociorum fidem efficaciter ordinare, tum externam quoque actionem accommodate ad eam fidem componere. Ergo, ut ejus decreta sint obligatoria, debent illa internam fidem recte et efficaciter ordinare, adeoque esse infallibilia. Hoc itaque plane compertum est atque exploratum, laicæ omni Protriarchiæ summam et irreformabilem competere gubernationem *solius actionis externæ;* ecclesiasticam vero Protarchiam pollere divina potestate non solum *externæ actionis,* sed etiam *internæ fidei* gubernandæ, et idcirco esse *infallibilem*.

Multis modis idipsum propterea repetimus et inculcamus, ut hæc veritas gravissimi inter omnes momenti, multorumque auribus permolesta, penitus in animos veri æquique studiosos subeat, in iisque firmiter insideat.

1296. Pos. 640ª. — Ecclesiæ Protarchia neque in Christianorum multitudine indiscriminatim, neque in multitudine Episcoporum dispersa, neque in horum concilio residere potest.

Prob. 1ª pars. — 1º Ecclesia nequaquam est societas voluntaria, sed a prævalente cujusdam superioris, nempe Christi Domini, jure constituta (1277). Ergo ejus Protarchia residet, non in multitudinis consensu, ut fit in societate voluntaria æquali (654), sed in eo qui possidet jus illud prævalens, aut in illo cui hic auctoritatis suæ vicem deputaverit (lib. vi, cap. 4, art. 2), nimirum in Christo Domino, Ecclesiæ conditore, aut in illo quem Dominus

sui Vicarium constituerit. Atqui nullibi legimus, nullo testimonio accepimus, christianorum multitudini indiscriminatim fuisse a Domino supremam Ecclesiæ auctoritatem creditam, sed potius constat uni tantum homini fuisse traditam in christianos omnes plenam potestatem (1260). Ergo, etc.

2° In nulla prorsus societate publica, quamvis democraticis formis induta, potest principatus in multitudine sociorum universa actualiter residere (496). Ergo multo minus in societate christiana, quæ amplissima est, per terrasque omnes diffusa, potest Protarchia residere penes omnes indiscriminatim socios.

3° Protarchia christiana debet esse visibilis (1292), nempe in certa humana persona, physica vel morali, plane determinata residens ita, ut facile ab omnibus volentibus possit agnosci, interrogari, obedienter audiri. Atqui multitudo christianorum universa profecto haudquaquam est hoc modo visibilis. Neque enim determinari potest quot ex illis debeant convenire, ut auctoritatem habeant; atque est omnino impossibile ut omnes conveniant. Quæ sane omnia sunt per se evidentissima.

4° Ecclesiæ Protarcha est necessario infallibilis (1294). Atqui nulla christianorum multitudo potest sibi hoc divinæ virtutis donum attribuere : nam quæcunque eorum multitudo debet a Petro doceri (1262); non est autem cur doceri debeat, si est infallibilis. Ergo, etc.

PROB. 2ª PARS iisdem pene argum. quibus prima probata est. — 1° In qua persona resideat suprema Ecclesiæ auctoritas, non possumus aliunde quam ex divino testimonio cognoscere. Unus enim Christus Dominus est absolute Protarcha Ecclesiæ a se conditæ; ac, siquem in suum locum ad Ecclesiam *visibiliter* gubernandam suffecerit, ab ipso uno, quam demum personam elegerit, quærendum est, ut nuper monuimus. Atqui nullibi legimus, a nullo divino testimonio accepimus Apostolis omnibus, quorum sunt Episcopi successores, fuisse a Domino plenam in in Ecclesia potestatem seorsim a Petro datam; uni autem Petro seorsim fuisse traditam semel (*Matth.* XVI), iterum (*Luc.* XXII), ac tertio (*Joann.* XXI) in sacris Evangeliis apertissime narratum legimus (1262). Ergo, etc.

2° Si ecclesiastica Protarchia in multitudine Episcoporum dispersa resideret, suprema hæc auctoritas esset plane *invisibilis*; ac proinde Ecclesia, quæ non est visibilis aliter quam per principatum visibilem ei præsidentem (1267), et ipsa evaderet in-

visibis. Nimirum, si in multitudine Episcoporum dispersa residet ecclesiastica Protarchia, quæro igitur an hæc multitudo debeat ex omnibus, an e pluribus constare.

Est enim hoc manifestum, non posse paucos aliquot Episcopos sufficere, ut in eorum consensu auctoritas suprema consistere dicatur. Fuerunt enim omni memoria et adhuc sunt aliquot Episcopi singulis hæresibus, quæ forte exstiterint, addicti; ac proinde, si multitudo quælibet Episcoporum, quocunque numero in eamdem sententiam conveniens, ecclesiasticam Protarchiam habet, suprema Ecclesiæ auctoritas omnes hæreses per diversa tempora docuit, se ipsam in mille sectas inter se pugnantes divisit, se ipsam diversis temporibus, interdum etiam *simultanee*, mille modis condemnavit : quæ omnia profecto absurda et monstrosa usque adeo sunt, ut nemo sanus possit numero cuicunque episcoporum idem docentium ecclesiasticum principatum tribuere.

Hoc igitur stultitiæ portento rejecto ac prorsus exploso (*a*), affirmamus invisibilem semper fore Ecclesiæ supremam auctoritatem, sive in multitudine universa Episcoporum dispersorum, sive in eorum *pluralitate* hæc auctoritas statuatur. In utroque enim casu impossibile est eorum sententiam *authentice* cognoscere, singulorum decreta *authentice* accipere. Nimirum ut eorum de singulis rebus sententiam cognoscamus, non possumus profecto unumquemque illorum adire, totum orbem terrarum perlustrantes. Neque scriptis ab unoquoque illorum decretis publiceque editis ea potest authentice declarari. Quacunque enim ratione ac

(*a*) Incredibilem hanc stultitiam minime videtur Carolus Martinus, presbyter, animadvertisse. Quum enim paganam juventutis instituendæ rationem vulgo receptam nonnulli viri graves doctique reprehendissent, paucique aliquot episcopi nostri existimassent non esse recentiorem istam méthodum litterariæ institutionis arguendam, inclamat ille, quodammodo triumphans, « non licere profecto principium illud theologicum oblivisci, verum omnino esse non quod minor, sed quod major nostrorum Episcoporum numerus affirmaverit. » *L'on ne peut oublier ce principe de théologie, que la vérité n'est pas avec le petit nombre, mais avec la majorité de nos pontifes.* (*De l'usage des auteurs profanes dans l'enseignement*, etc.; 1852, pag. 10.) — Etsi theologorum libros multum per annos complures pervolverim, fateor me nihil simile huic theologico principio ullibi offendisse, quod scilicet pro vera certaque habenda sit paucorum aliquot Episcoporum sententia, quamvis nulla synodalis deliberatio intercesserit, nulla supervenerit Romani Pontificis approbatio, et alii nonnulli Episcopi, doctrina, morum gravitate ac prudentiæ modestiæque fama præstantes refragentur, plerique alii in eadem regione, semel iterumque ac vehementer rogati, adnuere constanter recusent. Lepide vero idem Carolus Martinus, vir sane litteratus, singularem eam virtutem attribuit paucis aliquot Episcopis, non quibuscunque, sed *nostris*.

via in publicam notitiam ea pervenirent, nullus modus suppeteret authentice illorum fidei certæ faciendæ. Etenim, quum Episcoporum in Ecclesia centuriæ multæ adsint per Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Angliam, Hiberniam, Africam, Americam, Asiam dispersæ, non possunt singulis civitatibus aut saltem provinciis christianis media suppetere idonea, quibus eæ certiores authentice fiant, tale decretum revera ab hoc et illo Episcopo editum fuisse; libere ac prudenter illum hæc decernendo egisse; nulla ex parte decretum fuisse a nuntiis qui rem attulerint, corruptum; unumquemque eorum Episcoporum esse legitime institutum; et ejusmodi aliorum, quæ ad talis decreti vim juridicam pertinent : hæc enim omnia perspicienda essent in omnibus et singulis decretis, quæ ab omnibus et singulis Episcopis ad generalem Ecclesiæ gubernationem edita perferrentur, si quidem illa possent a tot tamque dissitis totius terrarum orbis regionibus vicissim ad omnes et singulas christianas civitates aut provincias pervenire. Sed non est diutius in hac re immorandum : est enim hæc impossibilitas authentice cognoscendæ Episcoporum dispersorum sive omnium, sive e numero universo plurium, sententiæ, per se manifestissima.

3° Etiamsi illa posset cognosci ac certa fieri, esset tamen prorsus ineptissima ad christianam rem publicam gubernandam. Actio namque gubernativa debet 1° ad res quam plurimas, 2° in singula propemodum temporis puncta, 3° prompte ac celeriter diffundi. Est enim persimilis animæ in humano composito (lib. IV, cap. 4), quæ in corpus agit *perpetuo, prompte, in singulis ejus actionibus*. Idcirco, ubi persona principatum possidens pluribus individuis constat, necessaria est eorum coëxistentia moraliter perpetua, talis videlicet, ut et quotidie illa congregata adsint, et quando recesserint, possint primo quoque tempore convocari. Atqui evidens est nihil horum posse præstari a multitudine Episcoporum dispersa. Ergo, etc.

4° Episcopi omnes et singuli sunt agni et oves Christi. Ergo debent a Petro omnes et singuli doceri et gubernari : Petro namque Christus Dominus omnes suos agnos, omnesque oves pascendas tradidit, nimirum docendas et gubernandas. Nam pastor in suas oves plenum habet jus, strictumque officium eorum bono consulendi *efficaciter*. Atqui bonum ovium Christi est *credere* et *facere* quæ Dominus *docuit* ac *præcepit*. Ergo Pastor christianorum Universalis jus officiumque habet efficaciter dirigendi *fidem* et

meres omnium Christi agnorum et ovium, ac proinde etiam Episcoporum. Ergo Episcoporum multitudo nequit supremam in Ecclesia auctoritatem habere : est enim majori auctoritati jure divino subdita.

PROB. 3a PARS. — 1° Instaurando 4um argum. 2æ partis. Nimirum, Episcopi in concilium coacti oves Christi sunt. Ergo auctoritati Pastoris Universalis, Petri, subsunt. Ergo non potest eorum concilium supremam auctoritatem in Ecclesia per se ipsum habere.

2° Si ecclesiasticus principatus in Episcoporum concilio resideret, Ecclesia esset invisibilis, ut diximus in 2° argum. 2æ partis. Nam Ecclesia non est visibilis nisi per visibilem auctoritatem ei præsidentem : hæc autem in eo casu esset invisibilis. Quum enim — 1. concilio quamvis generali nequeant omnes prorsus Episcopi interesse, impossibile esset determinare quot numero Episcopi adesse debeant, ut illud sit legitimum. — 2. Quum semper fieri possit, et sæpissime factum sit, ut plura Episcoporum concilia in contrarias partes convenerint et contraria decreta ediderint, impossibile esset legitimum concilium ab illegitimis discernere. Ergo sine superiore auctoritate, cui concilium ipsum generale sit jure divino subjectum, nunquam poterit dignosci quodnam concilium sit generale ac legitimum. Ergo, si Episcoporum concilium generale sit suprema auctoritas, ac proinde nulli superiori auctoritati subditum, ecclesiastica Protarchia est plane invisibilis.

3° Ecclesiastica Protarchia debet, sicut alia qualibet, esse constans seu *permanens* (1292). Atqui omne Episcoporum concilium est essentialiter temporarium : sunt enim Episcopi constituti ut singuli singulis consortiis seu diœcesibus adsint. Ergo, etc.

4° Episcopis non licet in concilium generale convenire, congregatis non licet deliberare, deliberata non licet Ecclesiæ tamquam prorsus certa et definita proponere, sine facultate accepta a Romano Pontifice, ejusque auctoritate illis perpetuo præsidente : quæ omnia sunt omnibus Christianis, idest Catholicis, notissima. Atqui unaquæque pars multiplicis hujus dependentiæ pugnat manifeste cum suprema auctoritate quam illi forte vellet aliquis tribuere (1293). Ergo, etc.

5° Si generale Episcoporum concilium supremam in Ecclesia auctoritatem haberet, hanc aliquando exercuisset toto octodecim seculorum decursu. Atqui nullum Episcoporum concilium, pro legitimo a veris Christianis, idest Catholicis, habitum, supremam

sibi seorsim a Romano Pontifice auctoritatem vindicavit. Siquod enim concilium præceptis Romani Pontificis reluctari, vel aliquid seorsim a Romano Pontifice pro universa Ecclesia statuere aliquando ausum est, ab illo tamquam schismatico, impio et sacrilego, sinceri Christiani, idest Catholici, omnes abhorrent. (Cf. Historiam Ecclesiast. clari viri Rohrbachri, doctoris Lovaniensis). Ergo, etc.

1297. Pos. 641ª. — Ecclesiæ christianæ Protarchia plene ac perfecte jure divino in Romano Pontifice uno residet.

Prob. — I. Petro uni Christum Dominum supremam plenamque auctoritatem in omnes Christianos, universamque eorum Ecclesiam semel, iterum ac tertio tradidisse testantur luculentissime sacra Evangelia, ut sæpius jam ante diximus ac postremo etiam in præcedenti posit. (1296), 2ª partis argumento 1°. Ergo, etc.

II. Quod publico et legitimo generalis alicujus concilii decreto sancitum est, illud apud Christianos omnes, idest Catholicos, est certissimum, divinoque testimonio confirmatum. Atqui publico ac legitimo decreto concilium generale Florentinum confessum est Romanum Pontificem esse *beati Petri principis Apostolorum successorem, et verum Chisti vicarium, et totius Ecclesiæ caput, et omnium ecclesiarum patrem et doctorem; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem fuisse traditam* (1260); et concilium generale Tridentinum passim appellat *sanctam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram* (1262). Ergo, etc.

III. Romanus Pontifex jam ab octodecim seculis constanter supremam auctoritatem plenam et absolutam in Ecclesiam universam, in omnes Episcopos, seu dispersos sive in concilium coactos, exercet, Ecclesia minime reclamante. Ergo 1. ab ipso Christo Domino hanc potestatis plenitudinem accepit. Si enim ipse tantam potestatem injuria sibi, a Christo non acceptam, aliquando vindicare cœpisset, contra impiam hanc christianæ legis corruptionem Ecclesia universa reclamasset, sicuti summa vi constantiaque reclamavit continuo contra profanos quoslibet errores, Arianum, Nestorianum, Eutychianum, Pelagianum, Photianum, aliosque innumeros, quibus scelesti quidam homines modo hanc modo illam doctrinæ christianæ partem, aut verbo aut factis, immutare cœperant. — Ergo 2., si suprema Ecclesiæ auctoritas haudquaquam jure divino competit Romano Pontifici, error sa-

crilegus prævaluit contra Ecclesiam, veteratorum fraudibus illa decepta est, ac cœlestis doctrinæ corruptionem sua conniventia comprobavit. Atqui hæc omnia sunt dictu horribilia, utpote divinis testimoniis evidenter repugnantia. Vidimus enim superius Ecclesiam esse *columnam et firmamentum veritatis*, ac proinde infallibilem; contra illam *portas*, idest potestates, *infernas nunquam prævalituras;* cum Ecclesia Christum Dominum futurum *usque ad consummationem seculi* (1262). Ergo, etc.

IV. Romanus Pontifex unus est, per se ipse, divino munere, infallibilis in christiana doctrina interpretanda et Ecclesiæ proponenda : quod innumeris ac luculentissimis argumentis comprobatur passim a theologis et canonici juris doctoribus. Rationes aliquot id manifeste confirmantes breviter obeamus.

1° Christus Dominus Ecclesiam ædificavit supra personam fidemque publicam Petri, simul pollicitus contra Ecclesiam potestates inferorum nunquam esse prævalituras. Atqui, si Petrus, ejusque perpetuus successor, non est ipse per se infallibilis, possunt profecto aliquando potestates infernæ contra Ecclesiam prævalere; possunt enim Pontificem, quo tamquam fundamento Ecclesia innititur, erroribus perniciosis labefactare, ac proinde petram qua Ecclesia sustinetur, Ecclesiamque ipsam, diruere.

2° Christus Dominus Petro præcepit, ut agnos ovesque illius pascat. Præcipuum autem agnorum oviumque Christi pabulum est sana doctrina et fides intemerata. Ergo, quoniam Deus unicuique procul dubio adjumenta præbet accommodata ad munus quod ipsi exercendum imponit; sicuti Petrum peculiari præcepto in Ecclesia constituit ut sanam doctrinam fidemque intemeratam Christianis omnibus perpetuo tradat, ita debuit illum divino præsidio ita communire et quodammodo circumvallare, ut nunquam possit, christianam fidem ex pastorali auctoritate explicans, ullo modo errare : si enim posset errare, ineptum instrumentum Dominus ad rem gravissimi momenti adhibuisset.

3° Omni juri ex adversa parte officium simile respondet. Nimirum, sicuti Romanus Pontifex divino præcepto tenetur christianam fidem Ecclesiæ universæ interpretari ac proponere, ita omnes Christiani tenentur vicissim doctrinæ sic propositæ acquiescere, internaque fide adhærere. Atqui nemo potest teneri doctrinam interno assensu excipere, quæ non infallibiliter proponatur : licet enim semper de re dubia dubitare. Ergo hoc ipso quod omnes Christiani tenentur divino præcepto pabulum doc-

trinæ a Petri sucessore fideliter accipere, Petri sucessor ostenditur esse prorsus in hac doctrina proponenda infallibilis.

4° Si Romanus Pontifex non est, ipse per se, divino munere infallibilis, nulla est in Ecclesia auctoritas infallibilis in christiana doctrina interpretanda et proponenda. Nam, siqua esset alia hujusmodi auctoritas, haud dubie illa esset Episcoporum concilium. Atqui nullum Episcoporum concilium est per se ipsum, seorsim a Romano Pontifice, infallibile. Nullum enim decretum, nulla sententia ab Episcoporum concilio quocunque prodiens, quamdiu caret Romani Pontificis approbatione, plenam certamque auctoritatem apud Christianos habet, ita ut non liceat aliter sentire, atque ab eo decreto eaque sententia non liceat ad Romanum Pontificem provocare : quæ res profecto Christianorum latet neminem. Ergo certitudo infallibilis a Romani Pontificis sententia unice dimanat in decreta ab Episcoporum quolibet concilio edita. Ergo, si hæc Romana infallibilitas negetur, nulla restat alia auctoritas in Ecclesia infallibilis. Atqui certissimum est Ecclesiam in doctrina fidei morumque nullo pacto errare posse, ac proinde aliquam in illa esse auctoritatem infallibilem (1262). Ergo, etc.

5° Romanus Pontifex in dogmaticis suis constitutionibus, nullo expectato Episcoporum consensu, præcipere consuevit non solum laicis Christianis omnibus, sed etiam Episcopis, ut doctrinam in iis contentam fideliter accipiant ; hos posteriores jubet eam doctrinam publice tradere, intactamque tueri ; gravissimas pœnas utrisque, laicis nimirum et Episcopis, qui reluctari aliterque docere audeant, plerumque comminatur. Hæc, inquam, omnia ille præstat palam, sæpe, a multis jam seculis, Ecclesia minime improbante aut ullo modo obsistente. Est tamen plane manifestum, eo modo tam firmo absolutoque decernendi ac jubendi coram Ecclesia universa perspicuam contineri affirmationem quæ asseveret infallibilem prorsus esse Romani Pontificis in iis rebus sententiam. Nulla enim, ut jam sæpe notavimus, obligatio urgere potest ad doctrinam non infallibilem accipiendam ; semperque licebit privati aut publici alius judicii trutina perpendere quæ a magistro non infallibili tradita fuerint. Atqui Ecclesia, ut quæ veritatis columna et firmamentum est, errorem constantem et publicum in re ad fidem maxime pertinente nequit suo silentio approbare. Ergo, etc.

6° Jam superius manifeste probavimus nullum adesse *crite-*

rium, per quod vera Christi Ecclesia a perfidis veteratorum sectis discerni possit, præter Romani Pontificis publicum magisterium (1267). Hoc autem criterium, quoniam plenam perfectamque certitudinem in gravissimo veræ religionis agnoscendæ negotio præbere debet, certissimum et infallibile per se ipsum sit oportet. Ergo Romani Pontificis publicum magisterium, in quo uno illud criterium consistit, infallibile omnino est.

Alia hujusmodi permulta possumus facile persequi, ut infallibilem Romani Pontificis auctoritatem confirmemus : sed quæ attulimus, satis superque sunt ad ingenuas sincerasque mentes docendas; ad pervicaces autem frangendas nulla vel maxime evidentium vis argumentorum sufficit.

Atqui ecclesiastica Protarchia residet in ea persona, cujus sit infallibilis in Ecclesia docenda auctoritas, ut paulo ante probatum est (1294). Ergo, etc.

1298. Coroll. 1. — Ecclesiastica Protarchia in persona Romani Pontificis firmiter constituta, facili negotio quatuor hæc intelliguntur :

I. A Romani Pontificis publico decreto ecclesiastico nunquam et nemini licet ad ullam aliam potestatem provocare. Potestas enim ad quam fit provocatio, debet esse in eodem ordine superior illa a qua provocatur. Nulla autem est in ordine ecclesiastico auctoritas superior Romano Pontifice, ut probatum est. Itaque absurdæ, impiæ et sacrilegæ sunt *appellationes* a Romani Pontificis judicio ad concilium generale, ut quæ ad divinam Ecclesiæ constitutionem labefactandam tendant, supremam Romani Pontificatus auctoritatem inficientur, omni errori ac sceleri aditum latissimum aperiant, et ad concilium provocent ab illa auctoritate a qua et concilii ipsius omne judicium dirigi oportet, et vim plenam omne illius decretum mutuari debet (1296, prob. 3ª pars, 4°).

II. Ecclesiæ christianæ regimen a Christo Domino constitutum prorsus *monarchicum* est, cum ejusque divina institutione pugnat forma quælibet regiminis polyarchica, sive aristocratica hæc fingatur, sive democratica (493, 1297).

III. Quoniam suprema cujusvis societatis publicæ independentis auctoritas tribus illis potestatibus suapte natura viget, deliberativa, legislativa, exsecutiva (1022), quæ ad societatem ejusmodi gubernandam sunt essentialiter necessariæ, idcirco triplicem illam potestatem deliberativam, legislativam et exsecutivam, in

ordine ecclesiastico unus Pontifex Romanus divino jure plenam et universalem possidet : inferiores vero Præsules tantum de illis juribus participant, quantum ecclesiasticus Protarcha voluerit cum unoquoque illorum communicare.

IV. Quamvis Ecclesia, nempe auctoritas illi præsidens, plenissimum habeat jus materialis vis in eum finem adhibendæ, ut se suaque bona tueatur, sive internam sociorum rebellionem compescendo, sive externam hostium aggressionem propulsando, quod cap. hujus libri 3° probabimus; attamen congruum valde æquumque est, ut, nisi extrema compulerit necessitas, a vi materiali in sui tutelam adhibenda abstineat, moralibus contenta præsidiis, cujusmodi sunt doctrina, monita, hortationes, præcepta, reprehensiones. Quum enim hæc auctoritas sit divinitus instituta non ad externum solummodo, sed præcipue ad internum mentis et animi ordinem in humanis pectoribus restituendum ac tutandum; quumque internæ mentis et animi facultates, non vi materiali, sed moralibus iis mediis moveantur; idcirco regiminis ea lenitas ac suavitas, quæ moralibus viribus utitur potius quam materialibus, quæque inter moralia ipsa subsidia præfert, quoad fieri potest, mitiora; hæc regiminis lenitas, inquam, est ecclesiasticæ auctoritati tam essentialis, quam est eidem essentiale eo tendere ut internum mentis animique ordinem recompenet et conservet.

Attamen duo sunt in hac re diligentissime consideranda :

1um Judicium, quo in singulis casibus statuatur natura mediorum adhibendorum ad subditos efficaciter movendos, totum est unius superioris ecclesiastici ; ac proinde nunquam licebit inferiori, vel subdito simplici vel magistratui, præceptum aut punitionem a superiore imposita detrectare ideo, quod careant lenitate illa, quam diximus ad ecclesiasticæ auctoritatis essentiam pertinere. Si enim hoc judicium subditis permitteretur, præcepti validitas a subditorum acceptatione penderet, quod libro III (286) probavimus esse absurdissimum et cum ipsa auctoritatis essentia evidenter pugnare.

Quapropter gravi se peccato commaculat, ac perniciosum rebellionis exemplum subditis præbet, inferior præsul, qui Romani Pontificis præceptis obstinate reluctatur.

2um Ex illa ecclesiastici regiminis lenitate occasionem gravissimi erroris possunt, qui leviore judicio vel inordinata passione aliqua ducantur, facile desumere, hoc sibi videlicet persuadendo,

supremam auctoritatem in Ecclesia, non strictis præceptis severisque pœnis unquam cum subditis, præsertim magistratibus, agere oportere, sed monitis fere atque hortationibus tantummodo, quibus præsules inferiores possint, *salva observantia et obedientia quam ecclesiastico Protarchæ debent*, vel obtemperare vel resistere, prout in sua quisque diœcesi congruentius judicaverit. Quod periculum quantopere sit Christianis omnibus reformidandum, satis intelligitur ex iis quæ tum generaliter de supremæ auctoritatis absoluta necessitate libro IV disputavimus, tum seorsim hoc libro XII de Ecclesiæ definitione (1267) et de ecclesiastica Protarchia (1296 et 1297) docuimus. Nam simul atque Protarcha ejusmodi imbecillus Ecclesiæ præponitur, qui præsules inferiores nequeat strictis præceptis pœnarumque severitate compellere aut coercere, jam et Ecclesiæ *unitas* omnis evertitur, et illius *efficacia* pessumdatur, et falsitatis convincuntur tum sacra Evangeliorum testimonia, uni Petro Pastoris universalis munus in Ecclesia commissum, et potestatem omnia ligandi et solvendi singulariter traditam affirmantia, tum decreta conciliorum generalium Romanum Pontificem verum Christi vicarium, omniumque Christianorum esse patrem ac doctorem, illique *plenam* Ecclesiæ universalis pascendæ, regendæ, gubernandæ potestatem traditam esse asseverantia.

COROLL. 2. — Circa Romani Pontificis infallibilitatem, cum qua est indissolubili nexu ejus Protarchia conjuncta, hæc duo quoque sedulo notanda sunt:

I. Ab iis qui forte hanc Romano Protarchæ infallibilitatem denegent, Romanam Protarchiam et Ecclesiam ipsam universam uno ictu destrui. Nam 1° ille unus habet supremam plenamque in Ecclesia auctoritatem, qui sit in christiana doctrina proponenda infallibilis (1294). Ergo, si Romani Pontificis judicium in causa fidei vel morum falli potest, nequaquam ille est Ecclesiæ Protarcha. — 2° Romani Pontificis Protarchia sublata, hoc ipso est eversa Ecclesia ipsa universa, quæ supra illam *petram* est ædificata. Et vero statim ac tollitur principium socialis unitatis, societas ipsa evertitur. At præter Romanum Protarcham, nulla est alia *permanens* inter Chistianos auctoritas in ordine ecclesiastico suprema (1296). — 3° Si Romani Pontificis judicium in causa fidei vel morum est fallibile, ne ipsa quidem Ecclesia universalis infallibilis est. Nam Ecclesia universalis, omnibus fatentibus, judicia concilii generalis sequitur. Atqui neque infallibili-

ter certum est hoc vel illud concilium esse generale legitimum, nisi Romanus Protarcha in tali concilio agnoscendo et indicando sit infallibilis; neque ullum generalis concilii decretum est infallibile, nisi per infallibilem Romani Pontificis approbationem (1296, prob. 3ª pars). Jam, si Ecclesia nulla est infallibilis, nulla est Ecclesia christiana; quia Ecclesiam suam Christus Dominus sic instituit, ut nulla unquam erroris labe infici eam sit passurus. Ergo, etc.

II. In omni humano magistratu duplicem esse personam, privatam et publicam, distinguendam et per se patet et jam superius monuimus (669). Scilicet, quum omnis auctoritas a Deo sit, omnesque homines, communi tantum natura spectata, sint omnino æquales; qui homo jure hominibus imperat, aliunde sane id jus quam ex humana sua natura singulari accipit. Non igitur imperat, quatenus est hic homo individuus, sed quatenus hic homo est auctoritate publica ornatus. Qui tamen homo non solum statuit, præcipit, vetat, ordinat quæ ad societatis bonum attinent, sed etiam edit, bibit, stertit, oscitat, ægrotat, convalescit, aliaque infinita præstat, quorum vel diversus modus vel existentia ipsa nihil ad rem publicam pertinet. Itaque, sicut persona duplex, ita bini actionum ordines in humano quolibet magistratu adsunt. Quapropter, quod jus aut quæ virtus illi competit, quatenus est persona publica, nequaquam potest eidem tribui, quatenus privata persona est; ac de privatis illius actibus minime possunt affirmari omnia, quæ de publicis ejusdem actibus affirmemus.

Jamvero Romani Pontificis personam esse infallibilem vidimus, quatenus præcise illa pontificio principatu refulget. Ergo hæc infallibilitas debet competere *omnibus* et *solis* ejus actibus qui a pontificia illius potestate profecti ad Christianos publice docendos spectant. Quotiescunque Pontifex docet aliquid aut decernit, quatenus Pontifex est, non quatenus privata persona, dicitur loqui *ex cathedra*, nimirum ex pontificia potestate, cujus proprium est summum in Ecclesia *magisterium*.

Hac re sic constituta, restat ut certa definiatur ratio discernendi quæ Pontifex fuerit *ex cathedra* locutus, ab iis quæ privato judicio affirmaverit. Et multæ quidem ac diversæ regulæ a multis in eum finem traduntur. Hæ duæ tamen in omni casu sufficient:

1ª Ex cathedra docet ac decernit Pontifex, quotiescunque ipse in publico suo decreto aperte profitetur se auctoritate pontificia

et ex plenitudine sacerdotalis potestatis ea docere ac decernere.

2° Ex cathedra docet ac decernit Pontifex, quotiescunque, etsi non expresse asserat se ut Summum Pontificem loqui, *præcipit* tamen ut doctrinam a se traditam omnes fideliter excipiant; *vetat* nequis ei refragari audeat; aliter docentibus iram omnipotentis Dei et Apostolorum Petri et Pauli, censurasque ecclesiasticas *comminatur*, vel simili alia utitur loquendi forma.

Quæ duæ regulæ ad hanc unam reduci possunt: « Ex cathedra docet ac decernit Pontifex, quotiescunque in publico suo decreto ipse vel *explicite* vel *implicite* affirmat se ex pontificia auctoritate illa docere ac decernere. » Quum enim possit ille pro lubitu vel ut publica vel ut privata persona Ecclesiam alloqui, debet ipse palam vel implicite denuntiare quænam ex pontificia potestate sit locuturus.

Ubi vero Pontifex ex suprema illa auctoritate loqui se significaverit, nullus error, neque in hac significatione ipsa, neque in doctrina sic tradita potest subesse amplius; quia Ecclesiam decipere Petrus nullo pacto potest (1297, IV).

1299. Pos. 642ª. — Romanus Pontifex legitimus a nulla in terris auctoritate potest vel toto suo munere, vel ulla jurium suorum parte privari.

Prob. — Romanus Pontifex supremam habet in Ecclesia auctoritatem *monarchicam*, idest prorsus *independentem*. Ergo nulla in terris est alia superior auctoritas, a qua ille judicari, ullaque jurium suorum parte spoliari possit.

1300. Coroll. — Siquando igitur Universalis Pontifex, divinis humanisque spretis legibus, in scelus quodcunque prolaberetur, nullum tantæ calamitati remedium a Christianis afferri posset, præter supplices ad Deum, et ad Pontificem ipsum preces. Huc pertinent celebres veterum sententiæ: *Prima Sedes a nemine judicatur; Petrus judicat omnes et a nemine judicatur.* Idipsum autem in ordine ipso externo et temporali usuvenire vidimus libro X (1024); in quo ordine temporali princeps omnino independens, utcunque per immanem tyrannidem in suos populos sæviat, a nulla tamen alia potest superiore auctoritate judicari, nisi, a temporali ordine egressi, ad ecclesiasticam Romani Pontificis potestatem populi miserrimi confugiant.

Teterrimam eam calamitatem Ecclesiæ sub jugo scelesti Protarchæ lugentis Christus Dominus sapientissimo consilio voluit *aliquando* permittere, ut luculentius apud omnes constaret, non

humana probitate ac prudentia, sed divino consilio divinaque potentia Ecclesiam regi ac sustentari. At eamdem calamitatem rarissime tamen nec diuturno tempore permisit; quia rectus ordo postulat, ut, qui auctoritate omnibus præstat, omnibus etiam præclara christianarum virtutum documenta per totam vitæ suæ rationem exhibeat.

1301. Pos. 643a.—Romano Pontifice utcunque deficiente, ad nullam inferiorem potestatem, neque ad multitudinem Christianorum universam potest summa Ecclesiæ auctoritas ad tempus transire.

Prob. — Ecclesia est societas obligatoria a jure prævalente constituta; ac propterea illius auctoritas nequit residere nisi in ea tantum persona quam hujus societatis conditor designaverit. Atqui Christus Dominus unum Petrum sui vicarium summæque auctoritatis in Ecclesia compotem constituit. (1267). Ergo unus Petrus ejusque successor potest summam hanc potestatem possidere.

Summa quidem auctoritas politica in laicis societatibus publicis, principe deficiente, redit ad sociorum multitudinem (464), quia hæc auctoritas in prima origine, ante quamcunque illius concretam determinationem, in sociorum multitudine residet, quum nihil aliud ea sit quam jus universæ ipsius societatis ad sui conservationem et perfectionem, et hoc jus, quod a societate universa nequit ullo pacto exerceri (461), nulli determinatæ personæ a Creatore ipso conferatur. At in societate christiana jure divino est omnino determinata unica illa persona quæ summam auctoritatem plene possideat.

In laicis societatibus præterea, principe deficiente, suprema auctoritas utique ad singulos magistratus singulis consortiis præsidentes transit, ita ut quæ prima auctoritas erat in singulis sub suprema auctoritate nunc absente, eva erit absolute prima; summamque rerum in eo consortio gerat, donec alius princeps fuerit determinatus (729) : cujus rei causa eadem est, quam nuper commemoravimus, scilicet, quia laicarum societatum auctoritas nulli determinatæ personæ est a Creatore immutabiliter credita. Quum igitur in Ecclesia fuerit hæc persona prorsus a Christo Domino determinata, nequit ejus auctoritas, ea persona deficiente, neque ad inferiores præsules, neque ad christianorum multitudinem ad tempus transire.

1302. Coroll. 1. — Apostolica Sede vacante, nequit ergo potestas ulla ecclesiastica quidquam peragere quod proprium omnino sit supremæ auctoritatis pontificiæ. Attamen persona ali-

qua, vel physica vel moralis, sive a demortuo Pontifice, sive a Cardinalium collegio, sive ab Episcoporum concilio designata, poterit sane exercere omnes actus supremæ auctoritatis qui non proprie pertinent ad summum sacerdotium, sed cuilibet humano principatui communes sunt, ad christianam societatem toto illo tempore in externo solum ordine gubernandam.

Coroll. 2. — Potest aliquando fieri, atque olim factum est, ut plures adsint simultanee, quorum unusquisque pontificiam sibi dignitatem attribuat, cæteros competitores damnans tamquam sacrilegos summi sacerdotii usurpatores, ita ut vel ex primitiva electionum, unde illi plures competitores prodiere, obscuritate, vel ex subsequentium controversiarum cavillationibus, omnium et singulorum dubia evaserit auctoritas, et christianæ provinciæ in varias partes discissæ abeant, hæ huic, illæ alteri competitori adhærentes : quod dissidium *schisma* græco nomine appellatur. Evidens est hunc dubitationis ac dissidii statum, in quo Ecclesia versetur, plurimum differre ab alio statu Sedis Apostolicæ ob Pontificis mortem vacantis. In hoc enim statu posteriore, qui est plane *ordinarius*, quamquam nullus adest Summus Pontifex, at brevi tempore est adfuturus, omnesque christiani populi jam sunt communi consensu ad illum excipiendum parati. Quare, Apostolica Sede hoc modo vacante, permanet tamen catholicæ unitatis *centrum* ab omnibus determinate cognitum, scilicet ille qui Pontifex a legitimis electoribus, qui ab omnibus noscuntur, brevi renuntiabitur. At vero, quum, pluribus adstantibus Summi Pontificatus competitoribus, nullius eorum potest legitimum jus extra dubitationem apud populos christianos poni, tunc non solum ignoratur ab his necessarium catholicæ unitatis centrum, sed nulla superest ratio hujus centri reperiendi, quamdiu eorum competitorum controversiæ perstant. In hoc igitur statu *extraordinario*, quoniam Ecclesiæ unitas nequit diu consistere sine unico Pontifice ab omnibus agnito, manifestum est, nova jura quædam Ecclesiæ competere oportere, per quæ illa possit sese ab exitiali hoc statu quam primum expedire.

Nimirum Ecclesia, et pro illa Episcoporum concilium generale, in schismate hujusmodi, 1° habet jus vocandi ad suum judicium omnes eos competitores, ut, vero Pontifice legitimo comperto, cæteri statim repudientur, ac, si renuant obedire, debitis pœnis afficiantur. — 2° Si nullius electio legitima coram concilio probetur, potest ac debet concilium omnes illos cogere, ut suis juribus,

quæcunque forte fuerint, se prorsus abdicent; invitosque potest ac debet iis juribus ad Pontificatum quibuscunque spoliare, ut novus certusque communi consensione Pontifex eligatur. Etenim qui jus habet ad finem aliquem, habet etiam jus ad omnia media quæ ad hunc finem obtinendum sint omnino necessaria. Atqui Ecclesia profecto habet jus, et necessitate summa urgetur, unius summi Pontificis sui certo cognoscendi. Ergo a Christo Domino accepit etiam bina illa jura, quæ ad unum summum Pontificem suum certo cognoscendum plane necessaria sunt.

Ad hunc sensum olim synodus Constantiensis decrevit, se, « generale concilium faciendo pro exstirpatione præsentis schismatis et unione ac reformatione Eccclesiæ Dei in capite et in membris facienda, et Ecclesiam catholicam militantem repræsentando, potestatem a Christo immediate habere, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis, existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis » etc. Hæc, inquam, omnia de solo schismatis tempore intelligenda sunt, ut constat apertissime ex iis quæ nn. 1296 et 1297 disputavimus. Quæ quidem synodi Constantiensis verba a multis *seditiose*, a multis *incaute* ac *temere* ad ordinarium Ecclesiæ statum applicata, catholicam religionem in quibusdam regionibus, labefactato illius fundamento, quod est Romani Pontificis protarchia (1297), in maximum discrimen adduxere.

ARTICULUS III.

De Episcoporum Deutarchia.

1303. Notandum 1. — Jam libro VI (713) generaliter statuimus ampliorem omnem societatem publicam in plura consortia minora dividi omnino oportere, quibus singulis proprii superiores præsint cum auctoritate quæ sit supremæ in societate illa auctoritatis *participatio*, ad proprium simul uniuscujusque consortii et ad commune totius societatis amplioris bonum ordinata, eidemque auctoritati supremæ in omnibus juxta leges sociales hypotacticas subjecta (lib. VI, cap. 6, art. 2). Organicam hanc consortiorum partitionem in Ecclesia, quæ societas est tam late patens quam late genus humanum universum per terras omnes protenditur, Christus Dominus ipse generali quadam ratione perfecit, decernendo scilicet, ut præter Petri successorem cui claves regni

Domini, æterni Pontificis, erga suum vicarium in terris sic rem disponente ad superbiam Gallicanorum prosternendam, quorum omnes conatus, industria, fraudes, mendacia per bina jam sæcula et amplius eo spectaverant, ut Romanum Principatum minuerent, Episcopis jura concederent commentitia.

3um Siquid Summus Pontifex minus prudenter aut minus benevole præceperit, modo res præcepta non sit *evidenter* inhonesta vel noxia, nequaquam tamen Episcopi unquam possunt sese ab obligatione obtemperandi huic præcepto eximere. Quæcunque enim præcipientis prudentia sit atque humanitas, quamdiu ille auctoritate legitima pollet, ac rem præcipit nec rei publicæ noxiam nec inhonestam, perstant profecto integræ omnes rationes quæ obediendi obligationem subditis impositam ostendunt.

1306a. Pos. 645a. — Omnes et singuli Episcopi gravi officio tenentur et obtemperare ipsi, et subditos suos cogere ut obtemperent, omnibus decretis quæ fuerint vel generaliter pro Ecclesia universa, vel particulariter pro illorum diœcesibus a Romano Pontifice aut a magistratibus auctoritate Pontificia legitime jubentibus sancita.

Explic. — Omnes hujus positionis partes, postquam monarchica Romani Pontificis protarchia constituta est, adeo sunt evidentes, ut quæcunque ad illas confirmandas argumentatio debeat videri supervacanea. Perinde namque est Romanum Pontificem suprema in Ecclesiam universalem auctoritate pollere, et omnes Christianos Christianorumque cœtus plenam ejus decretis obedientiam debere : omni quippe juri officium simile ex adverso respondet. Igitur vel neganda est suprema Romani Pontificis potestas, ut hæretici faciunt, vel affirmandum plane est omnes particulares diœceses eorumque præsules particulares teneri fideliter prompteque obedire omnibus præceptis quæ illis utcunque auctoritas Pontificia imposuerit.

Jam auctoritas Pontificia potest duplici modo operari, vel immediate in persona ipsa Pontificis Summi, vel mediate in persona alicujus alterius magistratus, cui Summus Pontifex auctoritatem suam sive ad tempus in particulari aliquo negotio, sive constanter pro tota quadam negotiorum specie deputaverit. Omni enim Principi hoc jus plane constat, ut possit suam auctoritatem cum suis administris communicare. Itaque etiam in ecclesiastica hierarchia videmus unum aut plures *vicarios generales* ab uno-

quoque Episcopo assumi, per quos episcopali jurisdictione instructos ille permulta ad diœcesim suam gubernandam præstat, quæ solus curare non posset.

Jamvero Summus Pontifex, cui non diœcesis unius tantum, sed universalis Ecclesiæ cura divinitus commissa est, multo magis indiget vicaria ejusmodi cooperatione magistratuum, per quos protarchica illius auctoritas infinitam negotiorum multitudinem ac varietatem cognoscat expediatque, et sententias a Pontifice ipso, si oportuerit, approbandas proferat. Quæ omnia, quoniam pontificia auctoritate ab iis magistratibus legitime fiunt, vim etiam auctoritatis pontificiæ ad obligandum utique habent. Etenim Summus Pontifex, hoc ipso quod iis magistratibus auctoritatem suam supremam in quodam genere negotiorum confert, vim etiam illis ad obligandum præbet, ac proinde officio simul iis obtemperandi omnes subditos obstringit. Ergo, etc.

1307. Coroll. 1. — Qui ergo per incredibilem inconsiderantiam statuunt romanis Cardinalium congregationibus, auctoritate pontificia varias negotiorum species judicantibus, minime esse in aliqua christiana regione obediendum, hi profecto affirmant simul implicite, vel non posse principem auctoritatem inferioribus magistratibus ad particularia negotia expedienda deputari, vel nequaquam Romano Pontifici principem auctoritatem in Ecclesia competere: alterutrum omnino eligant oportet. Si prius illud affirmant, ergo nec Regis vel Imperatoris administris, nec Episcoporum Vicariis Generalibus obediendum est. Si posterius, valeant sane, abeantque cum heterodoxis Ecclesiæ unitatem visibilem evertentibus.

Coroll. 2. — Non possum longius in hac re progredi, quin Joannis Petri Gurii, jesuitæ, quem jam libro III honorifice bis appellavi (312, 412), in simili causa iterum imprudentiam coarguam. Hunc enim video in suo Theologiæ Moralis Compendio de Sedis Apostolicæ decretis et constitutionibus ad Ecclesiam universam pertinentibus ita loqui passim, quasi obligatoria illorum vis in singulis Galliæ diœcesibus a singulorum Episcoporum consensu, acceptatione vel approbatione pendeat. Passim nimirum ille, decreta ejusmodi et constitutiones apostolicas commemorans, *factum* negatæ in Gallia vel omissæ obedientiæ cum *jure* vigoris legalis pro eadem regione deficientis confundit.

I. Jam libro IV (312) reprehendimus quod in tract. de Legibus ille affirmat, « in Gallia, ex consuetudine jampridem tolerata,

constitutiones apostolicas mere præceptivas, more consueto non receptas, non obligare, nisi Papa declaret obligationem urgere. »

II. In tract. *de statib. partic.* (*a*), postquam affirmasset generaliter « ex jure communi solo breviario romano utendum esse, » ac mentionem de bulla sancti Pii V in hanc rem fecisset, ad gallicanas diœceses accedens, monet quidem « breviaria a Summo Pontifice reprobata, sive ante bullam extiterint, sive postea inducta fuerint, *materialiter* juri adversari ; » in praxi tamen debere sacerdotes suorum prælatorum sapientiæ ac prudentiæ totam rem committere : hi enim *generatim*, ait ille, « exoptant ritui romano conformes fieri, at non possunt statim. » Optime sane. At, si prælatus, vel suo proprio judicio vel suorum sacerdotum consiliis impeditus, minime *exoptet*, minime *conetur* breviarium a Summo Pontifice reprobatum dimittere, quid vero tum doces ? Adversaturne illud tunc juri *materialiter* tantum, an etiam *formaliter*? Nil habet quod reponat ; obmutescit.

III. Quæris an Episcopi possint absolvere a casibus papalibus occultis ? Affirmat merito Gurius, exceptis casibus *Bullæ Cœnæ*. At statim admonet « bullam Cœnæ *non vigere nunc in Gallia*, et proinde ibi hanc restrictionem *non admitti* (*b*). »

Ecclesiasticis legibus cautum est, ut qui a censuris Papæ reservatis absolvitur in articulo mortis ab inferiore, debeat postmodum, si convalescat, ad superiorem recurrere. At « in Gallia, inquit Gurius, ex usu generali recepto, pœnitens qui in periculo mortis absolvitur a censuris Papæ reservatis, nulla adstringitur obligatione se sistendi superiori (*c*). »

IV. Quid vero? Constitutiones illas apostolicas tam salutares, tam necessarias ad sacerdotalem castimoniam, ad sacramentalis confessionis sanctitatem tuendas, nonne illas saltem judicas a gallicanis exceptionibus incolumes evadere oportere? Neque enim te latet, nullam posse vim contra legem inesse consuetudini, quæ non sit manifeste utilis. Nil refert. « Hæ bullæ, monet constanter Gurius, *non fuerunt receptæ in Gallia*, saltem in plerisque diœcesibus. Hinc, ibi non viget excommunicatio, nec reservatio papalis (*d*) » contra sacerdotem qui complicem suum in peccato turpi absolvere præsumat.

V. At leges a Romanis Pontificibus adversus sacerdotes sollici-

(*a*) *Compend. theol. mor.* t. 2, pag. 24 et 25, edit. jam cit.
(*b*) *Ibid.* pag. 256. — (*c*) *Ibid.* pag. 258. — (*d*) *Ibid.* pag. 262.

tantes ad peccatum turpe in confessione aut occasione vel simulatione confessionis promulgatas, non dubito quin, summa rei gravitate commotus, ab erroneis Gallicanorum principiis omnino vindices. Quid? Has etiam constitutiones repulsam in Gallia pati sines, quarum tamen utilitas ac necessitas summa et evidens est, a quarum observatione nullum incommodum, nullum periculum gallicano clero timendum est, quod non æque ab cæterarum nationum clericis sit pertimescendum? Ita sane, respondet idem Gurius. « Hæ bullæ contra sollicitantes *non vigent in Gallia.* Nulla igitur ibi est censura, nec pœna *de jure communi* a sollicitantibus incurritur, nec ulla est obligatio eos denuntiandi, saltem in plerisque diœcesibus ratione ejusdem juris communis » (*a*).

VI. Esto : gravissimas illas apostolicæ auctoritatis leges ad clerum spectantes uno verbo, *non vigent*, exsufflaveris : nulla ratione innixus, sola asseverandi confidentia, pro more illorum quorum hic maxime temeritati blandiris, perpetuo fretus, leges a maxima quæ in terris vigeat auctoritate prodeuntes, in iis quæ ad gallicanos clericos directe attinent, unico illo verbo fatidico exploseris. At pontificias leges a tridentino concilio expostulatas, quibus cavetur ne pravi ac perniciosi libri, quorum *Index* pontificia auctoritate fuerit confectus, a fidelibus legantur aut retineantur, sublata ipsis Episcopis eosdem legendi, aut permittendi ut a quoquam legantur, facultate ordinaria; nonne has leges saluberrimas docebis in Gallia non secus ac in cæteris catholicis regionibus vigere, sancteque esse observandas? Nulla namque utilitas excogitari potest, quam simus percepturi, si obligatoria vi apud nos ille *Index* privetur, ut libro III (308) explicavimus; præsertim quum nullus possit legislatoris assensus præsumi, quo contraria ulla consuetudo firmetur, ut ibidem (312) tecum disserendo animadvertimus. Est autem præterea illud evidens, tanto majorem illius *Indicis* sancte observandi necessitatem apud nationem quampiam urgere, quanto major apud illam scriptitandi licentia debacchetur, quanto magis fuerit apud illam christiana fides debilitata, quanto frequentiores penes illam catholicæ veritatis hostes versentur : majoribus namque præsidiis, cautelis, remediis illic utendum, ubi præsentius periculum instat. Quæ omnia plane demonstrant majore nos urgeri necessitate illius Indicis observandi quam pleræque urgeantur aliæ catholicæ nationes.

(*a*) *Comp. Theol. mor.* t. 2, pag. 262.

Nostri vero Episcopi, non secus ac cæteri omnes, carent sæpe sufficientibus adjumentis ad pravos ejusmodi libros cognoscendos, examinandos, judicandos ; quorum adjumentorum plenissima copia Romæ, in tanta illa doctorum hominum ex omnibus terrarum partibus eo confluentium multitudine, suppetit. Episcopali denique verecundia erga Summum Pontificem, omnium Christianorum *patrem ac doctorem*, indignum sine dubio judicabis, libros qui a Romana Congregatione jam fuerint auctoritate apostolica confixi et prohibiti, ad examen iterum ab Episcopis singulis, quasi de illius judicii æquitate dubitantibus, vocari. Quid ergo in tota hac re censes? Vigetne apud nos pontificius librorum prohibitorum Index? Minime gentium, clamat Gurius (*a*). « Index *non viget in Gallia :* plerumque tamen Episcopi illum pro sua diœcesi admittunt, et licentiæ libros legendi concessionem sibi reservant » (*b*).

VII. Eodem Gurio pariter affirmante, 1° *in Gallia*, non gravis quælibet percussio clerici, sed solum *enormis*, quamvis aliter lex pontificia ferat, Pontifici Summo reservatur (*c*) : — 2° *In Gallia* solis Episcopis duellum reservatur, tametsi pontificia constitutione universali sit reservatum uni Pontifici (*d*) : — 3° *In Gallia* excommunicatio contra eos qui impiis sectis clandestinis nomen dederint, a Pontificibus lata *non viget*, « quia præfatæ bullæ, etiam Leonis XII, *non fuerunt admissæ* » (*e*) : 4° *In Gallia non viget* lex

(*a*) Audi, quæso, quæ nuper egregie de obligatione *Indicis* fideliter observandi scribebat venerabilis Episcopus Petrocoriensis : « Nous n'hésitons pas à affirmer avec saint Liguori qu'à nos yeux une proposition énonçant : *que la prohibition de lire certains livres n'oblige pas, que c'est une discipline nouvelle soumise à des règles peu conformes aux saints canons et à la justice*, serait une proposition censurable *comme scandaleuse, téméraire, injurieuse à la pratique de l'Église, destructive de son autorité, induisant les fidèles à la rébellion et gravement pernicieuse au bien des âmes*. Ainsi le déclarait Grégoire XVI, dans son encyclique célèbre : *Mirari*. — Dès lors, elles seraient donc téméraires ces voix affirmant que l'*Index n'oblige pas*, lorsque dans sa Bulle de promulgation Pie IV ordonne que l'*Index avec ses règles soit publié en tous lieux et reçu par tous, faisant inhibition à tous et à chacun, tant aux personnes ecclésiastiques qu'aux laïques, de tout ordre, grade et dignité que ce soit, d'oser lire ou conserver aucun livre contre la prescription de l'Index*. Or, quand nous voyons les princes de l'Eglise Romaine eux-mêmes, les pasteurs de chaque diocèse, brebis dociles à la voix du Pasteur suprême, solliciter les dispenses nécessaires à leurs fonctions pour lire et conserver les livres défendus ou en autoriser la lecture, comment entendrait-on répéter encore : L'*Index n'oblige pas ?* » (*Mandement* de Mgr l'Évêque de Périgueux.—*Univers*, 19 mars 1854). — Tu vero nil reprehendendum in iis opinionibus, tu jesuita, nil reperis !

(*b*) *Ibid*. pag. 451. — (*c*) *Ibid*. pag. 444. — (*d*) *Ibid*. — (*e*) *Ibid*. pag. 445.

pontificia universalis justis pœnis afficiens eos qui ad statum religiosum ingrediendum cogant, vel feminam ab illo amplectendo per vim sine justa causa prohibeant » (*a*). — Infinitæ denique aliæ leges Ecclesiæ universali a Summis Pontificibus impositæ *in Gallia non vigent*, eodem auctore Gurio; atque idcirco *in Gallia non vigent*, quia *in Gallia non sunt admissæ, non sunt receptæ, non admittuntur, non agnoscuntur* (*b*) : quas quidem singillatim hic recensere piget nos jam diu nimis in re molestissima versatos : vide illas, si placet, apud Gurium, to. 2, a pag. 444 ad 482.

Ecquid igitur Romanum Pontificem profitemur Christi esse Vicarium, omnium Christianorum patrem ac doctorem, plena Ecclesiæ universalis pascendæ, regendæ, gubernandæ potestate divinitus ornatum, si possumus, quum libuerit, efficere ut ejus leges ac decrêta apud nos non vigeant, illa admittere atque agnoscere plane recusantes? Neque enim plenam habet regendi et gubernandi potestatem ille cui justa præcipienti possunt jure inferiores magistratus obedientiam denegare (286).

At non idcirco solum videlicet tot eas pontificias constitutiones minime apud nos vigere affirmas, quia *non sunt admissæ, quia non sunt receptæ,* sed quia illis jamdudum apud nos minime vigentibus, *consuetudo legitima* contra illas in Gallia *præscripsit.* Verum quam id vanum ac futile sit, hæc tria quæ breviter indicabimus, luculenter ostendunt.

Scilicet 1° neminem latet, nullam vim legitimam posse quantacunque temporis diuturnitate accedere illi consuetudini quæ, saltem in particulari ea regione in qua illa servatur, non sit manifeste utilior quam legis contrariæ observatio (307). Atqui cuique vel leviter consideranti patebit facile, pene omnium earum legum pontificiarum, quas Gurius cum gallicanis affirmat in Gallia non vigère, observationem longe utiliorem catholicæ religioni christianisque moribus fuisse futuram et adhuc fore, etiam in Gallia, quam earum omissionem : nulla namque causa est, cur eæ leges, quæ apud cæteras nationes catholicas utilissimæ fuerunt et sunt, aut nullam aut minorem apud nos, si fideliter iis obtemperemus, utilitatem pariant.

2°. Ut factum consuetudinis labente tempore vim legitimam acquirat, debet legislator posse facile ac prudenter, spectatis tem-

(*a*) *Comp. theol. moral.* pag. 446. — (*b*) Passim t.2, a pag. 444 ad fin.

porum difficultatibus, contra illam reclamare (311). Atqui nemo ignorat, quod jam libro III animadvertimus (312), contra gallicanam ejusmodi consuetudinem legum pontificiarum in usu ipso negligendarum nequaquam potuisse facile ac prudenter Romanos Pontifices, superioribus duobus seculis, ob summam temporum iniquitatem reclamare.

3° Nemo etiam est qui nesciat, consuetudines illas denegandæ iis legibus pontificiis obedientiæ in Gallia ortas esse, non quidem ex earum pro nostris diœcesibus *inopportunitate*, sed ex erronea persuasione longe lateque olim apud nos propagata, qua clerici passim affirmabant nulli Sedis Apostolicæ legi vim plenam esse ad nos obligandos, nisi per nostrorum Episcoporum *acceptationem*; Romano Pontifici nequaquam supremam in Ecclesia auctoritatem competere, sed concilio Episcoporum generali, dempto etiam Pontifice, qui, juxta schismatica Basileensium decreta, illo concilio esset jure divino inferior. Ad erroneas hasce doctrinas factis publicis atque usu quotidiano confirmandas, romanarum congregationum decreta, pontificisque ipsius constitutiones gallicani præsules non pauci consulto per ea tempora omittebant, aut, quum observare illas forte vellent, acceptatione sua vim legis absolutam a se illis tribui statuebant. Ergo *falso erroneoque* gallicanismi *principio* illæ consuetudines *innitebantur*. Atqui, eodem Gurio teste, haudquaquam potest vim legis acquirere consuetudo, quæ falso principio innitatur. Nam in tract. *de Matrim.* (t. 2, p. 384), quum adnotasset theologos Gallos non paucos contendere *raptu seductionis* dirimi matrimonium, « saltem in Gallia, ex præscripta consuetudine, » hæc jure ac merito subjicit : « Sed hoc non videtur admittendum ; non enim obligare potest consuetudo quæ in falsa legis interpretatione innititur. »

Ex iis omnibus manifestum profecto efficitur pene omnes eas consuetudines propter quas Gurius tot, tam gravia, tam salutaria Sedis Apostolicæ decreta in Gallia negat vigere, illegitimas invalidasque fuisse et etiam nunc esse, et plerasque illas apostolicas leges, iis consuetudinibus nihil obstantibus, in Gallia plane, non secus atque in cæteris catholicis regionibus, vigere ac perfecte obligare.

Et vero, nonne per centum, ducentos, trecentos annos liturgiæ a Sede Apostolica reprobatæ in plerisque Galliæ diœcesibus servatæ sunt, gallicanis opinionibus clero nostro tunc temporis

persuadentibus decreta apostolica, quibus illæ rejiciebantur, minime in Gallia vigere? quas tamen liturgias nunc Episcopi nostri pene omnes amandarunt, facto ipso judicantes vetera illa decreta semper viguisse in Gallia et vigere?

Nonne erroneas opiniones a schismatico Basileensium conventu potissimum acceptas, a Sede Apostolica publico decreto damnatas, clerus noster per centum et amplius annos passim admisit, fovit, propugnavit, usu ipso convaluisse in Gallia et perpetuo constituras censuit? quas tamen hac ætate clerus idem propemodum universus falsas, Sedi Apostolicæ injuriosas atque exitiales semper fuisse agnoscit, easque cum Ecclesia Universali reprobat?

Immerito igitur Gurius asserit tot illas leges apostolicas *in Gallia non vigere*, eo quod gallicani clerici olim per infelicem quemdam mentis errorem existimaverint se illis minime obligari.

Audio quid Gurius ad se nobis excusandum inclamet. Novi *adnotationem* ab illo in calce tomi secundi subjectam: « Profitetur, nempe, auctor se omnibus pontificiis constitutionibus, romanisque disciplinis corde et animo addictissimum esse, ut opusculum legenti facile patebit. Si quando igitur quasdam gallicas consuetudines ab eisdem alienas exponat, eas solum ut factum a theologis Galliæ exhibitum referre intendit (*a*). »

At vero hæc maxime adnotatio imprudentiam auctoris in tota hac re demonstrat. Nam 1° quicunque in disciplina quapiam tradenda opiniones a multis pro falsis habitas, ab aliis approbatas, nulla adjecta illarum refutatione, ne affirmata quidem generalibus verbis earum falsitate, refert, ille merito censetur iis opinionibus subscribere, aut saltem vehementer illis favere. Etenim « qui tacet, consentire videtur. » Igitur tibi erroneas illas opiniones referre volenti officium prorsus incumbebat eas singillatim statimque refellendi, aut saltem veritatis catholicæ, generalibus sed gravibus verbis, contra illas asserendæ et principia theologica indicandi, quibus earum falsitas comprobatur. Tu vero Compendium Theologiæ Moralis conscribens a plerisque junioribus clericis in Gallia legendum ac meditandum, totum *gallicanismi practici* virus in tuum librum infundis, practicamque methodum ludendi omnes ferme apostolicas leges iisdem proponis, null

(*a*) *Loc. cit.* t. 2, pag. 641.

pacto de harum opinionum falsitate commonefaciens, hac ipsa ætate, quum fervet adhuc in aliquorum animis seditiosæ illius doctrinæ desiderium, quum, venerabilibus præsertim Episcopis summa constantia prudentiaque adnitentibus, vix incipimus agnoscere ac palam profiteri *romanas* eas *disciplinas,* Universalis scilicet Ecclesiæ decreta et documenta, quibus te laudabiliter affirmas esse addictissimum !

2° Immo vero, ais, lectorum animos adversus eas opiniones per illam subjectam adnotationem satis præmunio. — Non ita est, mihi crede; nec maleficam gallicanarum opinationum a te sine ulla prorsus impugnatione relatarum vim adnotatio illa tua ad libri calcem adjecta debilitare potest. *Prima*, quia postremo loco tantum supervenit. Quas enim opiniones animo prius ebibimus, non facile ejiciemus ob contrarias affirmationes posterius occurrentes, quando jam certa mentibus sententia insedit. — *Deinde*, quia unica est contra innumera loca in quibus affirmas hanc vel illam apostolicam legem universalem non vigere in Gallia, non agnosci, non recipi, non admitti. Jam quæ sæpe repetuntur et inculcantur, multo altius firmiusque animo inseruntur, quam quæ semel et quodammodo obiter ab eodem auctore dicantur. — *Tertium*, quia nequaquam rejicis aperte, non reprobas, non damnas in illa adnotatione gallicanas conclusiones a te passim in tuo libro allatas et propositas. Protestaris *dubitative* et *conditionaliter* te « solum ut factum a theologis Galliæ exhibitum referre intendisse, *siquas* gallicas consuetudines a pontificiis constitutionibus alienas *exposueris.* » Non ergo agnoscis, non fateris, illa quæ superius a me indicata sunt, aliena esse a pontificiis constitutionibus *romanisque disciplinis.* Easdem præterea gallicas consuetudines, etiam illas quæ *fortasse* a pontificiis legibus essent alienæ, profiteris te exposuisse *ut factum;* at factum hoc utrum bonum sit an pravum, legitimum an illegitimum, non explicas. Non ergo lectorum animos contra illas opinationes præmunis. — *Quartum*, quod ex tertio sequitur; quia in controversia religiosa, eaque tam gravi, doctor theologus, præsertim *regularis* et jesuita, si erroneam doctrinam non audet palam rejicere et impugnare, censendus est illi omnino favere. Cujus rei manifesta ratio est. Quotiescunque enim gravibus momentis ad aliquid faciendum voluntas positive impellitur, si facere omittit, reluctatur iis momentis; idcirco autem reluctatur, quia displicet ei causa ad quam propugnandam illa momenta

impellunt. Jamvero evidens est doctorem theologum, regularem, jesuitam, in controversia religiosa, tam gravi, quæ ad vim auctoritatis pontificiæ, idest ad Ecclesiæ fundamantum ipsum, pertinet, multis gravibusque rationum momentis impelli, stricta etiam obligatione urgeri, ut veritatem aperte ac fidenter explicet, errores contrarios palam et impavide refellat. Huc sane pertinent illa Christi Domini verba : *Qui non est mecum contra me est.* Ergo, hoc ipso quod *dubitative* et *conditionaliter*, et tanquam *merum factum*, sine ulla refutatione indicasti gallicas eas consuetudines a pontificiis constitutionibus alienas, gravem lectori causam suppeditas, cur ille te iis gallicis consuetudinibus faventem suspicetur. — *Quintum*, quod quarti est quoddam complementum; quia facile multi arbitrabuntur, loca quidem illa plurima gallicanis opinationibus consonantia ultro ac libere, adnotationem autem illam ultimo loco subjectam cogente tui superioris præcepto te conscripsisse; ac proinde tuam sententiam non in illa adnotatione, sed in plurimis iis locis esse quærendam. Nam quæ ultro loquimur, fiduciam animi ac sinceritatem ingenuitate ipsa et libertate sermonis solent præseferre. Nihil autem apertum, nihil firmum in illa adnotatione tua contineri jam vidimus. — *Sextum* denique, quia parum lectores movebuntur generali ea locutione, qua dicis te omnibus pontificiis constitutionibus romanisque disciplinis esse corde et animo addictissimum. Ex quo enim vidimus auctores *Declarationis Gallicanæ* pulcherrimis verbis profitentes se, in quatuor suis articulis, quibus tamen Romani Pontificis principatus evertitur, sanciendis, eo potissimum spectare, ut hunc principatum ab hæreticorum impetu defenderent, ex eo tempore non quid generaliter auctor quispiam polliceatur aut de se ipso testificetur, sed potius quid in quæstionibus singulis ille sentiat, quid doceat, considerare omnes consuevimus.

Fatendum ergo est lectorum animos contra Gallicanas opiniones a te propositas minime adnotatione illa communiri.

3° At, quod gravioris momenti est, nequaquam possumus hoc tibi concedere, gallicas consuetudines, ut ipse ais, a pontificiis constitutionibus alienas *fortasse* aliquas a te solummodo ut *factum* quoddam referri. *Jus* ipsum earum consuetudinum aliquando apertissimis verbis affirmas, plerumque verbis ambiguis affirmare videris.

Quod ad 1um spectat, in tomo priore (*a*) asseris expresse, quod paulo superius retulimus, « in Gallia, ex consuetudine jamdudum tolerata, constitutiones apostolicas mere præceptivas, more consueto non receptas, *non obligare*, nisi Papa declaret obligationem urgere. » Atqui *obligare* profecto non ad *factum*, sed ad *jus* pertinet. Si dixisses eas in Gallia *non observari*, quosdam Gallos theologos *in hac esse opinione*, quod eæ non obligent, de facto solo utique locutus esses. At, quum absolute statuis eas non obligare, non quid fiat in Gallia, sed quid facere per jus liceat, manifeste doces. Jus etiam constituis, non solum factum narras, illic ubi mones « in Gallia, ex usu generali recepto, pœnitentem qui in periculo mortis absolvitur a censuris Papæ reservatis, *nulla adstringi obligatione* se sistendi superiori (*b*). » — Jus declaras, non solum factum commemoras in alio loco, ubi, quum dixisses bullas contra sollicitantes non *vigere in Gallia*, exinde colligis, « *nullam* ibi *esse* censuram, *nec pœnam* de jure communi a sollicitantibus *incurri*, *nec ullam esse obligationem* eos denuntiandi (*c*). » — Idem de aliis locis aliquibus dicendum est, in quibus, quemadmodum in tribus a me modo allatis, non solum factum inobedientiæ aut falsæ opinionis gallicanæ exponis, sed jus ipsum affirmas absolute, sine ulla hæsitatione, sine ulla conditione quæ dubium aliquod ingerere de tali jure legentibus possit.

Quod vero ad alterum illud attinet, opiniones eas gallicanas referens, perpetuo usurpas verbum *non viget*. Atqui hoc verbum tum ex communi usu, tum ex tui ipsius testimonio, non factum solum, sed præcipue jus significat. Ex communi usu : quum enim dicimus, *v. g.* : In hac regione viget *Codex Napoleonis*, nequaquam hoc solum volumus, codicem Napoleonis ibi observari, sed illud præcipue, codicem hunc esse inibi regulam juris, et obligare, aut licere, in ordine saltem externo, quæcunque in illo codice, tamquam obligatoria vel licita, sancita sunt. Ex tuo testimonio : nam verbum *non viget* tu ipse quandoque in iis locis ita explicas, ut jus illo significari, non solum factum apertissime declares. Sic, *v. g.*, in loco nuper memorato, ubi dixisses « bullas contra sollicitantes *non vigere* in Gallia, » statim inde hanc de jure ipso conclusionem eruis : « *Nulla* igitur ibi *est* censura, nec

(*a*) *Loc. cit.* t. 1, pag. 70. — (*b*) *Ibid.* t. 2, pag. 258. — (*c*) *Ibid.* pag. 265.

pœna de jure communi a sollicitantibus *incurritur, nec ulla est obligatio* eos denuntiandi.

Quod si hoc etiam daremus, ambiguam esse vocem illam *non viget*, ita ut illa modo jus, modo factum, pro sermonis diverso contextu, significet, num ambiguis vocibus te in re tanti momenti uti oportuit, quum certæ ac definitæ essent in promptu? Nonne in re tam gravi, ubi tam facilis error tamque perniciosus subire animum potest, catholicam veritatem, quam optime cognitam habebas, palam, sine ambagibus, sine hæsitantia docere debueras?

4° Te vero omnibus pontificiis constitutionibus romanisque disciplinis esse *corde et animo addictissimum*, ut tu affirmas, ita ego plane persuasum habeo. At id cuilibet tuum librum *legenti patere* prorsus negabit quisquis ea quæ hic disseruimus, sincero animo consideret. Sed ponamus omnes id lectores facile ex toto libro esse cognituros : anne idcirco minus erit tuus liber ob causas jam memoratas arguendus? Non equidem arbitror. Quin imo eo nocentiores fiunt gallicanæ doctrinæ a te propositæ, quod ab homine proponantur pontificiis omnibus constitutionibus romanisque disciplinis addictissimo. Si enim illæ nobis a doctore romanarum, idest catholicarum, disciplinarum parum amico tradantur, cavebimus, fidem ei negabimus. At, quum eæ junioribus clericis a viro legibus pontificiis omnibus addictissimo exhibentur eo modo quem nuper explicavimus, multo hi facilius sibi persuadebunt puram ac putam catholicam, nempe romanam, doctrinam iis sententiis contineri. Quapropter, quæ in illa adnotatione protestaris, omnibus pontificiis constitutionibus romanisque disciplinis te corde et animo esse addictissimum, nedum omne periculum a gallicanis doctrinis in tuo *compendio* propositis timendum removeant, illud potius magnopere augent. Hoc etenim sua sponte efficient, ut gallicanas eas opiniones lector improvidus cum plena animi securitate hauriat, nihil sibi a tali doctore formidandum ratus.

5° Denique, ut finem aliquando huic meæ querimoniæ imponam, sic te perstringo : Vel periculosa judicasti ea loca ubi gallicanas opiniones proponis, vel minime periculosa. Si periculosa censuisti, cur iis tuum librum maculasti? cur opinionum earum falsitatem, probe tibi perspectam, non demonstrasti? Si minime periculosa, quorsum igitur adnotatio illa tua spectat? Quid veneris? Cur adjecta illa monitione suspiciosum prudenti lectori

de tua doctrina præjudicium ingeris? Qui enim se vehementer excusat, gravi se accusationi obnoxium merito esse confitetur. Et qui doctrinam aliquam ut merum factum se retulisse protestatur, pravam eam vel saltem periculosam agnoscit. Tunc vero iterum ex te quæro : quam denique ob causam opiniones illas tanta confidentia proposuisti, quod illæ affirmant vel negant et ipse affirmans absolute vel negans, nihilque adjiciens quo earum falsitas patefieret? Nam postremæ illi adnotationi vim nullam inesse jam ostendi : atque illa perlecta, sicut prudens et sincerus quisque intelligit anguem sine dubio in iis locis latere, ita e contrario improvidus audaciorumque opinationum studiosus omnino statuit, ob rationes a me nuper explicatas, tuam veram sententiam plurimis iis tam apertis tam perspicuis locis, non vero ambigua hac adnotatione contineri.

Mei libri ac mei quoque sodalitii utilitatibus, inquies fortasse, consulendum fuit; quibus profecto nocuissem non leviter, si opiniones eas refutassem, multorum animos iis adhuc opinionibus adhærentes a me meisque abalienans. — Ego vero, si quidem hæc te causa moverit, dolendum id maxime arbitror, de Ecclesia, de catholica veritate nos tam parum esse sollicitos, ut ad aliquorum hominum declinandam invidiam, a pugna nobilissima maximeque necessaria, abjectis armis, abstineamus. Sane Christus Dominus hoc sæpius clamat : « Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » Et « qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. » Quod si non solum, canes muti, contra erroneas doctrinas jam ab Ecclesia damnatas per turpem ignaviam nolimus oblatrare, sed palam etiam testemur nos neutri favere parti, in neutram partem inclinare, quantum audaciæ per hanc socordiam mendacio et errori irrumpentibus addimus, tanto nos graviore culpa obstringimus.

Jam christiano et religioso viro ne illud quidem licet ignorare, sui sodalitii, ad catholicam veritatem docendam propugnandamque constituti, utilitatem maximam in hoc ipso consistere, ut unusquisque sodalis pro sua virili, sanctis ejusdem consortii legibus optimisque majorum suorum exemplis obtemperans, sinceram Ecclesiæ doctrinam, omni *mundano* metu abacto, strenue constanterque tueatur. Neque est putandus Ordo ullus religiosus politicis artibus *mundana*que prudentia posse foveri et confirmari,

quum christiano rerum mundanarum contemptu omnis ejusmodi Ordo, tamquam fundamento, sit superstructus. Iisdem namque subsidiis unaquæque societas augetur et proficit, quibus primum conflata est.

Enimvero, sodales tui plerique, superioribus duobus sæculis, temperandum sibi, præsertim in Gallia, judicarunt a *gallicano* errore impugnando, quem Sedes Apostolica *reprobabat*, quem Ecclesia universalis detestabatur, quem illi ipsi privatim rejiciebant; qui tamen protestantium et jansenistarum hæresim summa vi constantiaque profligabant. Verebantur scilicet, ne suæ sodalitati a rege ac præsulibus, Gallicanæ Declarationis assertoribus, detrimenti aliquid accipiendum esset, si publice atque intrepide romanam, idest catholicam, doctrinam contra temerarias eas opinationes defenderent. Itaque non solum silentio connivere, sed in *Historia Ecclesiæ Gallicanæ* aliisque libris confidentius iis opinionibus blandiri. Ac postremum, quoniam Petrus, qui Christum Dominum sequebatur a longe, eumdem paulo post aperte negavit, Sodalitii rectores in Gallia, oblato Episcopis chirographo, spoponderunt sese iis opinionibus publice adhæsuros, easque se in suis scholis tradituros ac defensuros, spretis etiam quibuscunque legitimi sui superioris præceptis contrariis. Hæc igitur omnia numquid emolumenti periclitantibus sodalitatis hujusce rebus attulerunt? Num ingruentem pestem ab illa prohibuerunt tunc quum, Dei sapientissimi providentia, ad excutiendum mundanum pulverem quo religiosa corda sorduerant, tot tantisque illam calamitatibus vexari voluit? Sed de his hactenus, ac fusius multo quam initio statueramus.

1308. Pos. 646ᵃ. — Episcopi omnes et singuli sunt vere et proprie judices in causis ecclesiasticis; at eorum quocunque numero, sive seorsim sive in synodo, judicantium sententia nequaquam est per se *irreformabilis*.

Prob. 1ª pars. — Ecclesiasticæ auctoritatis propagatio a Protarcha, Romano Pontifice, in Deutarchas, Episcopos, est a Christo Domino immediate instituta, ita ut quam auctoritatem Romanus Pontifex plene et independenter, jure divino in Ecclesiam universam possidet, *eamdem* omnes et singuli Episcopi, a Romano Pontifice acceptam, in particulares ecclesias seu diœceses jure divino participent (1260). Atqui per suam illam auctoritatem Romanus Pontifex est vere et proprie in causis ecclesiasticis judex (1262,

1297). Ergo etiam Episcopi sunt vere ac proprie in iisdem causis per suam auctoritatem judices.

Prob. 2ª pars. — 1° Episcopi quocunque numero, sive seorsim sive in synodo judicantes, debent a Romano Pontifice *pasci*, idest doceri (1262, 1287). Ergo nullum eorum judicium potest esse per se *irreformabile :* siquod enim eorum judicium ab nulla posset alia in terris auctoritate reformari, jam illi pollerent judicio, in aliquibus saltem rebus ecclesiasticis, independente, ac proinde non essent universaliter a Petro pascendi ac docendi, nec Petrus esset Ecclesiæ doctor supremus et universalis.

2° Episcopi in synodum generalem congregati explicite sæpius testati sunt se nullam rem posse ultimo definire judicio, quod Sedis Apostolicæ approbatione non egeat (*a*). Idipsum implicite sunt confessæ omnes synodi generales, quæ suorum decretorum a Romano Pontifice *confirmationem* postularunt. Idipsum denique agnoscit perpetuo et profitetur universalis Ecclesia, quæ nullum decretum a generali quovis concilio confectum accipit tamquam ultimum ecclesiasticæ auctoritatis judicium, nisi illud fuerit Pontificis approbatione firmatum.

Jam, si Episcoporum in generalem synodum coactorum decretum nullum est irreformabile, a fortiori carebunt ea sententiæ immutabilis vi quæcunque Episcopi seorsim judicantes constituerint. Ergo, etc.

3° Nonnulla Episcoporum concilia vel generalia vel certe frequentissima errarunt, fatentibus omnibus catholicis, qui in hoc numero unanimi consensu reponunt Ariminense sexcentorum Episcoporum, Ephesinum secundum generale ac frequentissimum, Constantinopolitanum trecentorum pontificum sub Leone imperatore seculo octavo, et alia complura (*b*). Ergo, etc.

1309. Coroll. 1. — Mirifice igitur falluntur ii qui, hæc duo plane diversa miscentes, *potestatem judiciariam* et *judicium irreformabile*, hoc ipso quod Episcopi sunt vere et proprie in Ecclesia judices, existimant immutabilem eorumdem sententiam esse oportere. Episcoporum scilicet auctoritas omnis quum sit protarchiæ Romani Pontificis jure divino subordinata, etiam potestas eorum judicialis, quæ una pars est episcopalis auctoritatis, judiciali potestati supremæ Romani Protarchæ jure divino subdita est.

(*a*) Cf. Melch. Can. *De loc. theol.* lib. 5, cap. 4.
(*b*) Cf. historiæ ecclesiasticæ monumenta.

Neque minus est perspicuus eorumdem error, quum statuunt, si Episcopi sunt vere et proprie judices, teneri Pontificem Romanum decretis Episcoporum acquiescere; aut, si id negatur, inutiles plane esse Episcoporum de fidei morumque doctrina deliberationes, vana illorum decreta, neque ullam causam amplius superesse, cur eorum concilia congregentur.

Hæc, inquam, omnia ex eadem pullulant rerum verborumque confusione, quam modo indicabam. Nam I. si Episcopi essent judices *ultimi* et *infallibiles*, eorum utique decretis prorsus acquiescere Pontifex Romanus teneretur. At, quum illi sint quidem judices, sed nec ultimi nec infallibiles, eorum decreta essentialiter judicio Romani Protarchæ subjecta esse debent.

II. Neque idcirco omni vi carent Episcoporum in singulis diœcesibus decreta. Id enim cuicunque deutarchiæ commune est, ut, quæ fuerint ab illa in particulari ejus consortio judicata et sancita, plenam vim ad subditos obligandos habeant, donec illa a superiore auctoritate, si oportuerit, rescindantur. Amplior quippe societas nulla gubernari potest, nisi deutarchæ singuli valeant subditos suos in singulis consortiis efficaciter obligare. Attamen, hoc ipso quod deutarcharum auctoritas non est suprema, debent eorum decreta semper posse ad Protarchæ judicium vocari, ab eoque, si expediat, infirmari et rescindi.

III. Concilia vero Episcoporum generalia sunt sane per se ipsa utilissima et quandoque ad Ecclesiæ pacem concordiamque restaurandam plane necessaria, quamvis eorum judicium minime sit per se ultimum et irreformabile, antequam illud Romani Protarchæ approbatio confirmaverit. Igitur, tametsi unius Romani Pontificis judicium sit per se ipsum in causa fidei morumque firmissimum et immutabile, attamen hæc potissimum tria commodorum genera ab synodis œcumenicis in Ecclesiam provenire video :

1um Summi Pontificis fidem ac doctrinam illa in controversiis definiendis juvant. Neque enim putandus est Romanus Pontifex ad sententiam in quæstionibus fidei infallibiliter ferendam ita esse divinitus constitutus, ut non teneatur sollicite prudenterque, omnibus etiam adhibitis humanæ scientiæ adjumentis, rem disquirere. Quapropter in Hierosolymitano Apostolorum concilio videmus magnam factam fuisse *conquisitionem*, antequam Petrus sententiam de re tota proferret. « Ita enim, ut monet

optime Canus (a), divina procuratio in Ecclesiam se fundit, ut membra præcipua, tametsi a capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur et juvent. »

2um Fidei definitionem faciunt, non intrinsece graviorem tutioremque, sed efficaciorem extrinsece ac populis acceptiorem. Ita nempe homines sunt natura comparati, ut, quod certissima unius actoritate est definitum, multo facilius securiusque accipiant, quando illi magnam principum virorum et gravissimorum hominum multitudinem vident concordi sententia suffragari. « Nam et leges, ut Canus iterum animadvertit, quæ communi optimatum consensu et rogantur et feruntur, libentius populus accipit, quam si a rege solum ederentur. »

3 Episcopos in fidei controversia dissidentes ad communem Ecclesiæ doctrinam facilius revocant; omnibus vero pariter clariorem ampylioremque christianæ doctrinæ notitiam et amorem præbent. In his enim conciliis a doctissimis quibusque theologis ad illa confluentibus dissidiorum causæ coram omnibus explicantur, argumenta in utramque partem libere proponuntur, dissidentes ipsi audiuntur, catholica demum doctrina fuse, erudite, diligenter disquiritur, evolvitur, comprobatur. Itaque tantis cœlestis doctrinæ splendoribus perculsi, qui a communi sententia recesserant, nisi pessima mentis animique obstinatione omnino rigeant, a suis erroribus facile dimovebuntur. Cæteri autem præsules ac doctores ampliore illa doctrina illustrati, et suavissimis christianæ charitatis solatiis in sanctissimo illo tot Episcoporum conventu refecti, novum quemdam fidei constantiæque vigorem et robur in suas diœceses reportare solent, quo Ecclesia universa in pristinum nitorem, abstersis maculis, restituitur.

Igitur, ut omnia uno verbo comprehendamus, concilii generalis rite approbati decreta *quoad jus* quidem nihilo plus valent ad fidei controversias finiendas, quam decreta Romani Pontificis unius; at *quoad factum* multo plus roboris et efficaciæ in eumdem finem habent.

Coroll. 2. — Ex probatis hæc tria quoque manifeste colliguntur :

1um Quoniam Episcoporum sententiæ ac decreta nunquam sunt per se ultima, sed essentialiter possunt semper a superiore

(a) *De loc. theol.* lib. 5, cap. postr.

potestate reformari, ut nuper ostendimus, semper igitur potest quilibet ab Episcoporum judicio ad Sedem Apostolicam provocare. Scilicet *appellationes* ad Romanum Pontificem post rem ab Episcopis judicatam pertinent ad divinum ipsum jus quo Ecclesiæ constitutio definita est.

Attamen, si in quacunque re liceret ab Episcopi judicio ad Protarchæ potestatem provocare, episcopalis potestas in re ipsa prorsus concideret, et singularum ecclesiarum gubernatio fieret plane impossibilis. Idcirco debet omnino jus appellationum limitibus quibusdam ab ipso Protarcha determinatis coerceri, et ad majores tantum causas, quæ longiores dilationes sine gravi incommodo non patiantur, reservari.

2um Quamvis Episcoporum potestas sit majori cuidam auctoritati subordinata, est tamen illius præceptis decretisque obediendum, nisi quid evidenter illicitum jubeat. Atque, ubi de re agatur in qua provocatio ad superiorem auctoritatem conceditur, etiam tunc judicio Episcopi omnino est obtemperandum, donec illud forte fuerit rescissum ; nisi res illa sit ejusmodi ut, Episcopi sententia exsecutioni mandata, impossibilis fiat appellatio, quæ per jura tamen concedatur.

3um Concilia Episcoporum triplicis generis sunt : *generalia*, *provincialia*, *diœcesana*. Jam, quemadmodum generalis, sic etiam provincialis aut diœcesanæ synodi decreta, ubi fuerint publica Romani Pontificis approbatione communita, nullum possunt errorem in fide vel moribus continere. Habent enim sibi consentientem Petrum, cujus fides, Christo Domino testante, nunquam deficiet.

ARTICULUS IV.

De Protestantismo.

1310. NOTANDUM 1. — Auctoritatem a Christo Domino Ecclesiæ docendæ et gubernandæ præpositam omnes omni memoria hæretici contempserunt ; plerique etiam aperte professi sunt nullam christiano homini auctoritatem aliam præter sacras scripturas esse admittendam, nullam christianæ doctrinæ partem, nullam ejusdem interpretationem aliunde quam e sacris litteris colligi posse. Hanc docendi agendique rationem antiquissimi hæretici in ipsis Ecclesiæ primordiis solemnem habuerunt, Tertul-

liano teste, qui hoc sibi pro hæreticis opponi sentiens : « Sed ipsi de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent » ; his verbis incipit sacra Scripturarum arma ex hæreticorum manibus eripere : « Venimus igitur ad propositum : hoc enim dirigebamus, et hoc præstruebamus adlocutionis præfatione, ut jam hinc de eo congrediamur de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent : in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem » (a). Eamdem sententiam, eumdem morem fuisse sectarum plerarumque hæreticarum multi scriptores antiqui testantur (b). « Quamquam autem error hic communis fuit hæreticis pene omnibus, Lutherani tamen quasi proprium usurparunt, quantaque maxima potuere vi astruere nisi sunt, nihil præter scripturas sacras apostolicam habere auctoritatem » (c).

Hæc igitur est omnium Protestantium propria quasi tessera, hoc proprium vexillum : Scripturas unicam esse christianæ fidei regulam infallibilem ; Scripturas solas unicuique et omnibus hominibus sufficere ad christianam doctrinam plene cognoscendam ; seu, quod perinde est, nullum esse hominibus necessarium magistrum, arbitrum, judicem vivum ac perpetuum, cujus sit verum Scripturarum sensum definire et quæ, in controversia sint, certa et infallibili sententia decidere, et nullum fuisse a Christo Domino vivum ejusmodi ac perpetuum fidei christianæ interpretem infallibilem in Ecclesia relictum. Unde necessario conficitur, unumquemque hominem, quid Scripturæ doceant, quid ad christianam fidem pertineat, privato ingenio judicioque pervestigare ac statuere oportere, nullamque prorsus aliam viam ad veram fidem inveniendam præter liberum examen individuale (*le libre examen*) unicuique nostrum patere.

En pestilentissimum errorem, qui pura et genuina est hæreticæ omnis pravitatis essentia ! En teterrimum virus quo florentissimæ gentes complures per tria jam secula corrumpuntur et quodammodo exeduntur ! En monstrum immanissimum, a quo calamitates infinitæ in omnes Europæ nationes prodiere ! En fœdissimam labem de qua viri cæteroqui christiani et docti et graves,

(a) *De præscript. adv. hæret.* cap. 15.
(b) Cf. Melch. Canum jam cit. lib. 3, cap. 1. — (c) *Ibid.*

tamquam de pulcherrimo et saluberrimo invento gloriandum nobis esse, per incredibilem mentis cæcitatem, existimant!

Notandum 2. — Ut Scripturas habeamus pro infallibili christianæ doctrinæ regula, necesse est certo et infallibili nos testimonio doceri, eas revera esse verbum Dei, eas esse revera divinitus inspiratas, et exemplaria illa quæ in manibus habemus, archetypis esse plane conformia. Quærentibus igitur unde constet Scripturas et primum fuisse, et, quales nunc habemus, esse adhuc infallibile Dei verbum, non una datur a protestantibus responsio. Alii statuunt divino quodam afflatu singulis fidelibus id revelari; vel, Dei verbum in Scripturis contentum cœlesti se odore quodam sponte sua prodere; vel, internam earum excellentiam et sanctitatem considerando, naturali id cujusque ratione deprehendi. Alii, inter quos doctiores quique protestantes id ætatis numerantur, commentitium prorsus esse individualem illum Spiritus Sancti afflatum sentientes, neque ex interna ulla Scripturarum virtute aut pulchritudine posse divinam earum naturam certo cognosci intelligentes, fatentur et vehementer confirmant Scripturarum et authentiam et divinam *inspirationem* neque posse aliter cognosci certo ac probari quam ex sanctorum Patrum, qui primis Ecclesiæ seculis scripserint, testimonio, nempe ex *traditione*, et hoc uno argumento plenam, firmam, infallibilem notitiam illius authentiæ divinæque inspirationis prorsus obtineri. Qua in re laxiores hi Protestantes secum ipsi manifeste pugnant, evertuntque præcipuum suæ doctrinæ caput, dum affirmant ex antiquorum Patrum scriptis, nimirum ex traditione, aliquam fidei christianæ partem *infallibiliter* depromi. Quapropter priores illos Protestantes, quorum hæretica doctrina sibi perpetuo cohæret, vocabimus *rigidos* vel *dialecticos*; posteriores dicemus *laxos* vel *anacoluthos*.

Notandum 3. — Errorem illum præcipuum, quem sibi tamquam doctrinæ suæ totius compendium quoddam protestantes vindicant, nos jam in hoc ipso libro contudimus planeque profligavimus, illuc ubi invictis argumentis ostendimus Romanum Pontificem a Christo Domino infallibilem fidei magistrum fuisse in Ecclesia constitutum (1297, IV). Nihil ergo esset præterea contra protestantes hoc loco disputandum, nisi pessimus ille *privati examinis* error, *ut cancer* in hominum multitudine *serpens*, plurimorum etiam catholicorum animos pervasisset. « Quan-

quam enim, ut alibi notavimus (*a*), apud catholicos heterodoxis in civili consuetudine permixtos hæreticorum dogmatum rituumque contemptus atque horror vigere plerunque non desinat omnino; falsa tamen permulta effata falsasque sententias, quæ sparsim quasi per aëra circumvolitant, tanquam tenues quædam particulæ ab hæreticis doctrinis avulsæ, ipsarum hæresum vehementer affines, ad easque animum præparantes, necesse est catholicos illos sensim ac sine sensu cum spiritu quodammodo ebibere atque exhaurire. Perniciosum hunc effectum a familiari catholicorum cum hæreticis commercio prodeuntem Gallia nostra multis modis, superiore præsertim ætate, in se ipsa experta est. E protestantium quippe inter nos catholicos degentium placitis multas ad philosophiam, ad rem politicam, ad religionem ipsam spectantes sententias majores nostri, nec opinantes, mutuati sunt. »

Quæ si de catholicis sinceris sanctæque suæ fidei studiosis, si de ipsis interdum clericis vere dicuntur, quanto major putanda est e protestantium consuetudine creari pernicies reliquorum multitudini, quos neque christianæ fidei plenior notitia confirmat, neque illius amor, ipsorum pectoribus ab infantia insitus, sustentat? Nimirum laicos viros in omnibus artium optimarum et publicorum muniorum generibus non paucos videmus eo præsertim protestantico errore, quamvis catholici habeantur, maximam partem imbutos, « unicuique esse privato ingenio studioque statuendum quid de qualibet christianæ doctrinæ parte accipiat, quid porro sibi respuendum putet, atque *individualis* hujusce *examinis* jus essentiale atque *inalienabile* cuivis homini constare. »

Ut incautos, præcipue juvenum, animos contra exitialem hunc errorem præmuniamus, propriis illum argumentis hoc loco breviter refellemus.

1311. Pos. 647ª. — Protestantes nullas habent, nullas habere possunt scripturas sacras.

Notandum. — *Scripturæ sacræ* dicuntur, omnium consensu, libri quidam Deo revelante ac dictante conscripti, ita ut oratio iis libris contenta vere ac proprie sit *verbum Dei.*

Prob. pos. — I. Ut sacras scripturas quispiam possideat, debet is *certa* ratione aliqua compertum et exploratum habere,

(*a*) In nostra dissert. *De scholasticæ theologiæ studiis restituendis*, nn. 3 et 4.

codices illos, de quibus agatur, revera fuisse primum Deo revelante ac dictante conscriptos, eosque nunc temporis, quales adsunt, esse primis exemplaribus plane conformes. Atqui protestantibus nulla ratio *certa* ad hæc duo comperienda et exploranda potest suppetere. Etenim, siqua suppeditaret, esset vel *interna* vel *externa*. Neutrius autem generis rationem ullam posse illos in eum finem invenire fit simplici enumeratione manifestissimum.

Nam, quod ad primum genus attinet, interna ratio esset rerum iis libris contentarum excellentia, dignitas, sanctitas. Atqui 1° multo maxima Scripturarum pars nullam habet tantam excellentiam et sanctitatem, ut non potuerint ab homine docto et pio solis viribus naturalibus excogitari et conscribi; cujusmodi sunt genealogiæ, narrationes mere historicæ, præcepta moralia. Ergo, si eo criterio utendum esset ad divinum verbum discernendum, delectum quemdam facere quisque in Scripturis deberet, quo delectu nonnulla, quæ divinam sapere excellentiam et sanctitatem viderentur, verbi divini loco haberet, cætera tamquam humana verba rejiceret. Atqui etiam apud doctos, prudentes et pios homines maxima semper est judiciorum diversitas et discrepantia, ubi de rerum sermonumque excellentia et sanctitate sit judicandum. Sic, *v. g.*, æternitatem pœnarum, quam nos divina sapientia justitiaque dignam arbitramur, Edmundus Scherer, theologus protestans, crudelem injustamque censet, et Christum Dominum, qui aperte illam docuit, gravi errore deceptum fuisse statuit. Ergo, si ea lege sint Scripturæ dijudicandæ, nulla earum pars est quæ certam divini verbi auctoritatem habeat. Etenim, ut optime Jalaguerius, doctor protestans, animadvertit (*a*), « in mundi hujus pervestigatione, quæ improbabilia, quæ incredibilia, quæ specie impossibilia sunt, ea sæpissime veritatem certissimam habere compertum est. »

2° Omnes hæretici, etiam illi qui a protestantibus damnantur, errores et commenta sua in Scripturis contineri affirmant, Bibliorumque sententias iis erroribus, eorum judicio, faventes, excellentissimas, sanctissimas, plane divinas existimant. Ita namque est homo suapte natura comparatus, ut, quoties privato ejus sit res judicio transigenda, illud optimum esse decernat, quod illius maxime cupidinibus consonet. Ergo, si de Scripturis

(*a*) *Le témoignage de Dieu, base de la foi chrétienne*, pag. 63.

ea lege judicandum est, quæcunque perditorum hominum furori et insaniæ favent, illa maxime erunt divinum verbum.

3° Quam plurima sunt in Scripturis loca obscurissima, ut infra paulo fusius explicabimus. Jam horum locorum quæ ne a doctissimis quidem theologis intelliguntur, nequit profecto excellentiam et sanctitatem vulgus pervidere. Nam quæ nullo pacto intelligis, definire qualia sint, non potes. Ergo plurima in Scripturis loca erunt de quorum divinitate nil poterit constitui.

4° Non pauci libri, quos catholici scripturis sacris accensent, a protestantibus rejiciuntur. Atqui, si sacrorum codicum divinitas ex eorum interna excellentia et sanctitate cognosceretur, non posset profecto circa illos tanta fervere dissensio. Etenim indicium quo Deus verbi sui divinitatem populis voluit commonstrare, debet utique esse per se manifestum et evidens : nequit enim Deus ad rem obscuram declarandam obscuro uti documento; quod esset plane ineptum divinaque sapientia indignum. Ergo, si Scripturarum divinitas interno ejusmodi signo monstraretur, omnes facile illam, ubicunque esset, agnoscerent. Ergo, quum pluribus libris eam multi denegent, multi asserant, dicenda est Scripturarum divinitas non interno aliquo indicio, quod æque omnibus pateret, sed externo argumento, nempe auctoritate, cognosci; quam auctoritatem qui respuunt, nequaquam sane poterunt eam divinitatem, ubicunque illa sit, compertam habere.

5° Doctores quique protestantes et ipsi nunc temporis fatentur nullo interno argumento posse Scripturarum divinitatem probari. Idcirco enim illi, inter quos eminet singulari ingenii doctrinæque laude conspicuus Jalaguerius nuper citatus, ut eam divinitatem constabiliant, argumentum a traditione ducunt, quam protestantes omnes tantopere perhorrescunt (a). Quo scilicet nunquam confugissent, siqua esset alia ratio divinitatis Bibliorum confirmandæ. Ergo, etc.

Omitto aliud quoddam argumentum internum, quod vocant *a priori* : est enim ejus tanta futilitas, ut nulla egeat impugnatione. Aiunt scilicet qui hoc argumento utuntur, Deum, quum christianam legem hominibus dedit, voluisse ut hæc lex scripturis sacris contineretur, ac pura et intacta perpetuo ab aliis in alias pro-

(a) *Cf.* pulcherrimos Jalaguerii libros : *Le Témoignage de Dieu, base de la foi chrétienne ; — Authenticité du Nouveau Testament ; — Inspiration du Nouveau Testament.*

genies transmitteretur. Verum hi manifeste assumunt tanquam certum et exploratum illud quod probandum est. Hoc enim ipsum quæritur, utrum Deus christianam quamdam legem hominibus dederit; utrum eam librorum quorumdam monumentis consignaverit; quinam demum hi libri ab omni corruptione immunes sint. — Quare hoc argumentum passim a protestantibus ipsis rejicitur.

Jamvero, quod pertinet ad alterum genus rationum initio propositarum, scilicet ad rationes *externas*, illæ omnes in *testimonio* aliquo consistunt. Duplex autem à protestantibus ejusmodi testimonium affertur. Alii statuunt Scripturarum divinitatem interno Spiritus Sancti testimonio singulis fidelibus manifestari (*a*) : alii, fatentes internam illam inspirationem esse prorsus commentitiam, catholico argumento nituntur, nempe *traditione*. Atqui neutro modo possunt protestantes Bibliorum divinitatem constituere.

Non per internam inspirationem :

1° Quia siqua esset ejusmodi inspiratio, omnes illa fideles perfruerentur. Atqui et catholici omnes qui post Lutherum vixere, multo sane majore numero quam protestantes, et quotquot christiani ante Martini rebellionem jam extiterant, negant se unquam inspirationem illam persensisse.

2° Siqua esset, eosdem divinos libros omnibus indicaret. Atqui, ut nuper vidimus, non eosdem libros catholici et protestantes divinitus inspiratos agnoscunt.

3° Doctiores protestantes id temporis tamquam *fanaticam* vehementerque *periculosam*, jure quidem ac merito, insectantur eam suorum patrum sententiam ex Rupellensi fidei confessione nuper relatam; cujus confessionis articulum 4um nituntur ita explicare, ut affirmare credatur, quod verba illius manifeste negant.

4° Ipsi protestantes facto suo confitentur nullum ejusmodi esse Spiritus Sancti internum testimonium individuale. Nam, ut Scripturarum divinitatem probent, ad traditionem confugiunt, nunquam profecto illuc deventuri, ut modo notavimus, siqua esset alia ratio ejusdem rei comprobandæ. Ergo, etc.

(*a*) Rupellensis confessio fidei sic habet articulo 4° : « Nous connaissons ces livres être canoniques et la règle très certaine de notre foi, non tant par le commun accord et consentement de l'Église, que par le témoignage et la persuasion du Saint-Esprit. »

Neque possunt per traditionem illud conficere.

Nam 1° ex traditione certum et infallibile nullum argumentum duci posse protestantes generaliter statuunt. Idcirco enim maximum illud suæ doctrinæ principium ponunt, Scripturas unicam esse fidei christianæ regulam. Et vero infinita sunt in Patrum antiquorum traditione, sive alias veritates in Scripturis minime contentas docentia, sive Scripturarum sensum determinantia, quæ nihilo minoribus pollent sinceritatis veridicæ conditionibus et argumentis, quam illa testificatio Bibliorum divinitatem asserens: ea tamen omnia, quamvis universali, constanti, unanimi traditione manifeste innixa, protestantes omnino respuunt. Igitur, si traditio ad veritatem fidei comperiendam est per se ac generaliter instrumentum ineptum, in quacunque pariter controversia ineptum erit, et nulla veritas poterit unquam traditione comprobari. Ergo neque Bibliorum divinitas fallibili et incerto traditionis testimonio potest infallibiliter constitui.

2° Demus protestantibus tantisper hanc veniam, ut traditione, quam universe, tamquam ineptum et infirmum testimonium, repudiant, utantur nihilominus in causa peculiari ad Bibliorum divinitatem statuendam. At ea traditio generaliter tantum affirmat hos et illos libros fuisse divinitus inspiratos, illisque Dei verbum contineri. Qui tamen libri seculorum decursu potuerunt sane corrumpi, adulterari, deperdi, aliis in eorum locum a veteratore quopiam suppositis. Quumque Scripturarum versionibus, non primigeniis exemplaribus hebraicis aut græcis, plerique omnes utamur, potuerunt permulta in iis ad linguas alias atque alias transferendis vitiari. Ac multa quidem fuisse in ejusmodi versionibus immutata reapse et corrupta liquido patet ex manifesta codicum multorum discrepantia. Quænam igitur editiones, quænam exemplaria, quænam versiones, ex iis quæ inter judæos, catholicos atque infinitarum sectarum protestantes id ætatis circumferuntur, authenticæ sint Scripturæ divinum verbum continentes, Patrum antiquorum traditio non docet. Ergo hoc unum poterunt ad summum protestantes e traditione Patrum colligere, scripturas sacras fuisse olim in christianorum manibus et *fortasse* adhuc esse : at, utrum illæ *certo* adhuc supersint, et ubinam illæ sint, in quibus exemplaribus, in quibus versionibus, in quibus editionibus, nunquam illi poterunt prudenter definire.

3° Ut Patrum antiquorum traditionem cognoscamus, pervolvendi nobis sunt seduloque inspiciendi eorum libri, et alii cum

aliis comparandi, ut de eorum denique consensione constet. Atqui pene omnibus christianis id est prorsus *impossibile*. Etenim ad eos utiliter in eum finem perlegendos, scrutandos, inter se comparandos libros necessaria sunt quum latini græcique sermonis peritia non levis, tum otii quietisque abundantia, tum etiam ingenii vis mentisque dexteritas singularis, qua potissimum critica ars subtilissima viget ac sustinetur. Atqui in quantacunque hominum multitudine paucissimi semper sunt qui, tribus his conditionibus instructi, possint ad veterem traditionem disquirendam accedere. Nec pueri profecto, nec feminæ, nec plebs illitterata ullam partem eorum subsidiorum habent; atque inter ipsos viros bonis artibus excultos vix ulli sunt quibus per familiæ curas, per valetudinem, per privata et publica negotia, per animi ægrimonias liceat quietam expeditamque mentem ad operosam ejusmodi inquisitionem applicare. Ergo vix ulli erunt qui Scripturarum divinitatem possint ex traditione per se ipsi cognoscere. Nequit autem, in potestantium sententia, per alios hæc ipsa traditio cognosci; quia nullam isti boni vivam admittunt auctoritatem, cujus sit et Scripturas et traditiones Patrum infallibiliter proponere. Ergo pene omnibus esset impossibile hoc traditionis instrumento uti ad christianæ fidei fundamentum statuendum. Ergo, etc.

II. Diligenter sunt hæc duo consideranda : 1um Doctrinæ revelatæ non sunt verba illa Scripturarum materialia, sed sententiæ iis verbis inclusæ. « Lex siquidem evangelica, ut ait sanctus Hieronymus (*a*), non in scripturis est, sed in sensu; non in superficie; sed in medulla; non in verborum foliis, sed in radice rationis ». Idcirco tot tantæque catholicos inter et hæreticos concertationes circa Bibliorum loca quædam fervent, quamvis nullum de horum locorum grammatica forma dubium occurrat; quia scilicet, iisdem retentis verbis, eorum sensus quæritur; et ideo sensus verborum tanto studio conquiritur, quia hunc sensum, non vocabulorum formam, esse Dei verbum omnes, tum catholici tum hæretici, probe norunt. Et vero in Bibliorum tam multis in linguas diversas translationibus mutatur profecto mille modis materialis vocabulorum et locutionum species, quin tamen ipsum Dei verbum iis locutionibus contentum mutari ulla ex parte putetur. Ergo illi uni habent scripturas sacras, qui verum

(*a*) *Comment. in Epist. ad Galat.*

earumdem sensum habent : qui autem nulla ratione possunt singularum locutionum biblicarum, quæ in quæstionem vocentur, sensum verum ac certum definire, hi nullas habere sacras scripturas omnino dicendi sunt.

2um Sunt in Scripturis loca plurima obscura et difficilia, quæque in sensus diversos et sæpe contrarios trahi possunt. « Quod si Scripturæ in varium sensum torqueri flectique non queunt, optime Canus interrogat (a), quomodo hæreses omnes ex prava intelligentia Scripturarum ortæ sunt? At hoc non solum tradentibus... *antiquis Patribus*,... sed manifesto etiam experimento cognovimus. Unde vero inter ipsos quoque Lutheranos de rebus maximis controversiæ, si Scripturæ in varios sensus non flectuntur? » Nimirum vix ulla longior sententia humano sermone efferri potest, cujus nequeat pars aliqua diversas interpretationes suscipere. Quam quidem orationis obscuritatem multo majorem scripturis sacris afferunt tum rerum inibi explicatarum novitas, subtilitas, altitudo, tum linguarum e quibus nostra exemplaria translata sunt, antiquitas et peregrinitas. Quapropter in tanta sermonis obscuritate, in tantis sententiarum ambagibus sæpissime fiet, ut, scripturam sacram legentes, quærenti a nobis illud : « Putasne, intelligis quæ legis? » cogamur in gravissimis rebus quæ ad ipsa christianæ fidei fundamenta pertineant, respondere cum eunucho Æthiope : « Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi » (b)? Igitur, nisi arbiter atque interpres aliquis, quemadmodum eunucho, et nobis adsit divino singulari præsidio verum sensum definiens, sæpissime in rebus maxime præcipuis veram fidei doctrinam in Scripturis contentam nullo modo assequemur.

His duobus positis, sic argumentum conficitur : Illi uni habent vel habere possunt sacras scripturas, qui verum earumdem sensum habent vel habere possunt. Atqui protestantes verum scripturarum sensum neque habent, nec possunt porro assequi. Si enim potuissent unquam aut possent, vel a privato suo quisque vel ab alieno judicio id possent accipere. At nequeunt id a privato suo quisque judicio sperare ; quia Scripturæ sunt in plurimis obscuræ, difficiles, ad varium sensum flexibiles. Nequeunt idipsum ab aliena interpretatione infallibili ediscere ; quia præter

(a) *De loc. theol.* lib. 2, cap. 2. — (b) *Act.* 8.

Scripturas nullam prorsus admittunt auctoritatem infallibilem. Ergo, etc.

Ergo protestantes nullas habent scripturas sacras, nullas habere possunt.

1312. COROLL. 1. — Jam facile hæc tria quisque intelligit :

1° Protestantismus in *Rationalismum* necessario decidit. Rationalismus namque dicitur ea doctrina quæ revelationem supernaturalem negat, nihilque homini esse admittendum statuit, quod naturalis in unoquoque homine rationis vires superet. Atqui protestantismus suapte natura tendit necessario ad supernaturalem omnem revelationem negandam, atque ad rejicienda omnia quæ naturalis rationalis in unoquoque homine vires excedat. Nam supernaturalis omnis revelatio duobus continetur, Scripturis et divinis traditionibus. At traditiones protestantismus omnino respuit. Scripturas vero ita accipit, ut earum divinitatem constituere nullo modo possit. Ergo, quoniam nihil humana mens tamquam certum potest admittere, quod non certa videat ratione confirmatum, Scripturarum divinitatem poterunt quidem protestantes aliquandiu, præjudiciorum vi urgente, affirmare; at hæc fides, prorsus arbitraria, paulatim languescat atque omnino tandem extinguatur in eorum animis necesse est. Quamdiu vero hanc fidem retinent, rationalismo tota eorum doctrina inficitur, hoc ipso quod Scripturas unicuique interpretandas individualis suæ rationis viribus permittunt. Quum enim Scripturæ sint non vocabula, sed sensus, quumque Scripturarum sensus non a Christo Domino per Apostolos ac Doctores ad nos usque transmissus, sed ab unoquoque homine pro ingenii sui modulo confictus, nequaquam sit *Dei verbum*, sed merum mentis humanæ commentum; evidens profecto est, a protestantibus, statim ac Scripturæ sensus unicuique definiendus permittitur, revelationem omnem supernaturalem arbitrio rationis individualis plane subjici.

2° Nemo e protestantibus potest jure Edmundo Scherero, doctori protestanti, succensere, eo quod is, quinque abhinc annis, theologiæ in Genevensi Universitate *Evangelica* docendæ munere abdicato, publice fuerit professus sincera se diuturnaque rei pervestigatione in eam persuasionem vel invitum fuisse adductum, ut Novi Testamenti rejiciendam esse auctoritatem statueret. Etenim, divinis traditionibus et Ecclesiæ Romanæ auctoritate rejectis, omnis protestans, si modo velit sincere ac prudenter ratiocinari, debet prorsus illuc devenire, ut divinam auctoritatem non solum

Novi Testamenti, sed Scripturæ universæ neget, ut nuper ostensum est.

3° Quæ Jalaguerius, theologiæ protestanticæ professor Montalbanensis, pulcherrime contra Schererum disputat (1311, prob. I, 5°) ad Scripturarum authentiam et divinitatem constituendam, optima quidem pro catholicis Ecclesiæ infallibilem auctoritatem credentibus, frivola vero et nullius ponderis sunt adversus protestantes. Etenim, quum ille Scripturarum divinitatem ex traditione conatur confirmare, utitur instrumento quod protestantes generaliter ad ullam fidei veritatem statuendam ineptum dicunt : ac data etiam hujus argumenti legitima vi, nisi perpetuam Ecclesiæ auctoritatem infallibilem præterea admittamus, hoc unum inde colligere licebit, ut nuper demonstravimus, aliquas utique Scripturas verbum Dei continentes fuisse olim hominibus a Deo traditas; at, quænam illæ sint, quinam illarum sensus, in quo uno tamen Dei verbum viget, nunquam poterit Jalaguerius definire, ac proinde in irritum abeunt omnes ejus contra Schererum, quamvis doctissimæ atque acerrimæ, disputationes; nam ne adhibito quidem illo, catholicorum proprio, traditionis argumento potest sacrorum codicum, quos ipse suique protestantes in manibus habent, authentiam ac divinitatem comprobare, quum de illis præcise codicibus ac versionibus haudquaquam fuerit antiquorum Patrum traditio locuta.

Coroll. 2. — Quoniam nulli hæretici tenent veros Scripturarum sensus quibus Dei verbum continetur, et quoniam protestantes eo magis carent Scriptura sacra ejusque intelligentia, quo acrius et apertius legitimum Scripturarum custodem et interpretem respuunt, manifestum est, et absurdam et prorsus inutilem esse quamcunque de Scripturæ alicujus sensu cum protestantibus disceptationem. Quod jampridem, ante sexdecim secula, monuit Tertullianus illuc ubi consuetam hæreticorum in Scripturis corrumpendis impietatem ac perfidiam describit. Liceat hunc locum paulo fortasse longiorem hic referre, ut in antiquorum hæreticorum moribus nostri juvenes discant protestantium mores recognoscere. « Ista hæresis, ait ille (a), non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, non recipit integras : adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas

(a) *De præscript. adv. hæret.* cap. 17.

expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. Variæ præsumptiones : necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, quum si quid defenderis, negetur, ex diverso, siquid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione... Hæc utique et ipsi habent in nos retorquere : necesse est enim et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum et expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ. »

1313. Pos. 648ª. — Protestantismus est evidenter multis modis absurdus, et sibi ipsi *contradictorius*.

Prob. 1ª pars. — 1° Absurdum evidenter est ultimam fidei definitionem quærere a regula mortua, quæ nec dubia illi proposita excipere, nec responsa dubitationibus tollendis reddere possit. Atqui hoc faciunt manifeste protestantes, ultimum judicium in fidei controversiis postulantes a Scripturis, quæ nec vident, nec audiunt, nec loquuntur interroganti respondent.

2° Est profecto a ratione absonum, in causa gravissima totum judicium ultimamque sententiam ipsi reo permittere. Jamvero in fidei controversiis, in quibus et honor Deo debitus et hominis æterna salus aguntur, protestantes a nobis accusati quod a christiana doctrina desciscant, quod Scripturas fœde corrumpant, sibi reis totum criminis judicium, ultimamque sententiam vindicant. Nam majorum traditiones, Patrum ac Doctorum testimonia, præsulum Ecclesiam divino jure gubernantium auctoritatem pariter spernunt ac rejiciunt, unumque totius causæ judicem statuunt Scripturam a se privato ingenio explicatam, nempe suas ipsorum interpretationes ac privatum judicium.

3° Insani hominis est, ubi aliquid in quæstionem vocetur, illud ipsum de quo quæritur assumere tamquam certum et manifestum. Atqui id evidenter fit a protestantibus. Etenim quod in disceptationem contra illos venit, est illud, num scilicet cum genuina Christi Domini doctrina congruat protestantica Scripturarum interpretatio. Hoc autem ipsum protestantismus tamquam certum et exploratum statim assumit, ac pro fundamentali re-

gula ponit, protestanticam Scripturarum interpretationem unam cum genuina Christi Domini doctrina congruere; quod ab ipsis, novis hominibus, subito erumpentibus, veteremque fidem erroris accusantibus, primum omnium probandum erat.

4° In omni de christianis dogmatibus controversia factum quoddam est illud quod in disputationem adducitur, utrum videlicet hanc vel illam rem Christus Dominus reipsa docuerit. Jam, ubi de facti cujuspiam veritate ac natura statuendis agitur, nihil profecto solitariæ cujusque commentationes prosunt, nisi testimonia consulantur eorum qui factum hoc audierint aut viderint, et eorum qui deinceps illud a primis testibus acceperint : atque insanissimum porro est de facti cujuspiam veritate, natura, variisque adjunctis velle unumquemque hominem judicare, et judicio quidem ultimo et immutabili, testibus iis plane inconsultis, auditoque privato suo tantum ingenio. « Nequaquam possunt facta ratiociniis puris præjudicari, optime monet Jalaguerius (a); eorum solummodo existentia est comprobanda : neque deductione aut divinatione quadam, argumentatione aut præsagio, possumus illa assequi : unica nimirum eorum cognoscendorum ratio suppetit, observatio vel testimonium, quod est observatio transmissa. » Atqui protestantismus, ubi quæritur quid Christus Dominus de hac vel illa re docuerit, quod profecto est merum factum, ut jam diximus, non observationem vel testimonium consulit, sed præsagio, vel divinatione, vel argumentatione privatis et solitariis uniuscujusque hominis utitur, quod vidimus esse insanissimum. Ergo insanissime ille in religionis dogmatibus constituendis agit.

5° Quando maxima hominum multitudo, trecenti scilicet eorum miliones et amplius, in tranquilla cujusdam fidei possessione jampridem vivunt, omnesque unanimi consensu testantur talem se fidem a patribus suis, tamquam veram puramque Christi Domini doctrinam, accepisse, si unus quispiam, repente prodiens, contendat omnino, unica sua affirmatione fretus, omni argumento destitutus, tantam illam multitudinem longissime a Christi doctrina aberrasse, a patribus misere fuisse deceptam;

(a) « Les faits ne se préjugent pas, ils se constatent ; nous ne les atteignons pas par déduction ou par divination, par raisonnement ou par pressentiment; nous n'avons d'autre moyen de les connaître que l'observation, ou le témoignage, qui est l'observation transmise. » (*Le témoignage de Dieu, base de la foi chrétienne*, pag. 63).

is profecto in maximam incidisse amentiam dicendus est. Atqui hanc fuisse et esse protestantismi vesanam audaciam quisque per se videt. Ecclesiam enim christianas doctrinas a sexdecim jam seculis tranquille possidentem unus et alter gerro profanus ex improviso assurgens christianæ fidei adulteratæ accusat, hoc uno argumento criminationem suam fulciens, quod nimirum *ita sibi videatur, ita ipse privatim existimet!* Num toleranda unius contra tantam hominum piorum doctorumque multitudinem furiosa pervicacia est? « Absurdissimum quippe fuerit, ut Hieronymus adversus Vigilantium colligit, unum Lutherum aut Æcolampadium in Ecclesiæ angulo obloquentem audire, universos autem majores nostros usque ab Apostolis contemnere » (*a*).

6° Neque est solummodo explodenda istorum nebulonum amentia, sed damnanda et castiganda etiam improbitas et nequitia. Quicunque enim viros integritatis et innocentiæ fama conspicuos insimulat proditionis et sacrilegii, nisi manifesta in medium protulerit argumenta rem certissime probantia, scelestissimus calumniator habendus est, congruisque pœnis afficiendus. Atqui protestantismus in hoc totus est, ut unusquisque, sibi uni confisus, in Romanos Pontifices et sub illis in Episcopos omnes, sub iisque adhuc in doctores omnes theologos gravissima proditionis et sacrilegii crimina intendat, hac una ratione ductus quod ita sibi privatim videatur. Eos namque omnes Pontifices, episcopos, doctores, qui se christianæ fidei custodes palam fidelibus exhibebant, atque ab omnibus ut fidei custodes ingenue habebantur, eos, inquam, omnes vehementer incusant damnantque, scilicet quod pristinam doctrinam a Christo Domino traditam penitus corruperint, Ecclesiæque filios, apostolicæ doctrinæ pabulis salutaribus desertis, ad pessimorum errorum sterquilinia traduxerint. Hanc vero tam horrendam, tam incredibilem criminationem quibus tandem indiciis, rationibus, argumentis, quam firmis, quam evidentibus ii comprobant? Hoc uno scilicet, quod unicuique eorum sacras scripturas privato ingenio meditantibus ita visum sit! Quæ audacia, qui furor, quæ improbitas in nequissimo ullo calumniatore unquam fuerunt, quæ non protestantismi tantum scelus longissime superet?

7° Quotiescunque veram fidei doctrinam antehac ignotam revelare hominibus ac persuadere per alios quosdam homines

(*a*) Melch. Can., *loc. cit.* lib. 3, cap. 3.

Deus decrevit, hos homines eorumque sermones mirabilibus quibusdam signis ac portentis circumdat, quæ divini mandati ac divinæ auctoritatis sint manifesta documenta. Id vero est humanæ mentis imbecillitati perquam necessarium. Neque enim possumus divinam doctrinæ alicujus veritatem una illius interna pervestigatione pernoscere; et, quantacunque ejus doctrinæ dignitas et sanctitas unicuique nostrum esse videatur, quum facillime humanis judiciis errores omnis generis subrepant, semper amplissimus erit locus dubitandi, num ea denique vera sit, num a Deo tradita, num ab omnibus necessario accipienda, nisi externa signa quæ prudentem nullam ambigendi potestatem relinquant, ad eam confirmandam concurrant. Quare non modo imprudentissimum, sed etiam impietatis affine esset doctrinam ab homine quopiam propositam, sine ulla ejusmodi certa divini mandati testificatione, tamquam divinam suscipere. Jamvero protestantismus, quum ante tria secula cœpit Scripturas aliter interpretari quam christiani omnes tunc temporis interpretarentur, divinitus se missum gloriatus ad romanos errores profligandos, quodnam tandem divini mandati divinæque approbationis testimonium pro suis doctrinis attulit vel adhuc affert? Hac una absurda sententia concludunt omnia, hac una ratione ineptissima sperant sibi hominum mentes esse subigendas : « ita nos sentimus; hanc veram interpretationem credimus; hanc unam esse Christi doctrinam affirmamus ». Putamusne ullum aliud posse in humanam mentem magis fatuum consilium incidere? « Ridiculi (protestantes) sunt qui postulent, ut ipsis sacras litteras interpretantibus, ac novo quidem mirabilique more interpretantibus, certa fides habeatur. Non est creditum Apostolis, ut salse ridet Erasmus, donec multa magnaque miracula fidem adstruxissent doctrinæ; et nunc quilibet sibi postulat credi, quod affirmet se habere spiritum intelligentiæ, quum nullus eorum tamen ne equum quidem claudum sanare potuerit » (a).

8° Non minus ridiculus est qui in morali multorum hominum corpore omnes socios vult esse pariter doctores et judices, quam qui in humano corpore physico vellet omnia membra esse oculos. Atqui hoc alterum evidenter protestantismus decernit. Nullum enim vult in Ecclesia esse doctorem et interpretem, cui Dominus commiserit munus christianæ doctrinæ fidelibus cæteris expo-

(a) Melch. Can., *loc. cit.* lib. 3, cap. 2.

nendæ, sed omnes et singulos homines, quantumvis rudes, indoctos, ignavos, improbos, statuit ipsos plane sufficere ad sacras litteras intelligendas sibique explicandas. Hanc istorum ineptiam præclare, ut cætera, monstraverat Canus iis verbis (*a*) : « Quanquam, fateor, nonnulla sunt Scripturæ loca, quæ in alium atque alium sensum trahi ne a contentiosis quidem possunt. Qui enim illud torqueat quod Paulus ad Corinthios scripsit, alii per Spiritum dari sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii interpretationem sermonum ? At isti omnia ecclesiastici corporis munia confundunt, istis totum corpus est oculus ».

9° Deliræ mentis esset religiosam quampiam societatem ita constituere, ut qui falsas periculosasque doctrinas forte invehant, nulla possint ratione revinci. Atqui hoc plane modo christianam Ecclesiam protestantes constitutam volunt. « Etenim unde constabit, hujusne an illius intelligentia vera sit, si Scripturas cuique liceat pro suo ingenio interpretari ? Quum enim variæ erunt, ut fit, de eodem Scripturarum loco sententiæ, quæ certa sit, eam nemo præstabit. Ii enim omnes qui inter se dissentient, pari ratione suum quisque sensum tuebuntur. Hoc enim morbi fere innatum est hominum ingeniis, ut cedere nesciant, simul atque res in contentionem vocata est. Quæ postquam incaluit hoc cuique videtur verissimum, quod temere etiam tuendum susceperit (*b*). » Igitur, ut pergit argumentari doctissimus vir cujus verba referebamus, vel omnes sententiam quemque suam certam habere oportebit, quamvis illæ se mutua repugnantia destruant ; et redit veterum quorumdam insania ab Aristotele explosa, ab Hegelianis nuper in aliquas scholas revocata, sententias scilicet inter se contradictorias esse æquo jure omnes veras : vel in ea sententiarum conflictatione nullius erit certum judicium ; et omnis evertitur religiosæ doctrinæ firmitas et communio. Sive autem dicatur omnium et singulorum judicium esse pariter *verum*, sive pariter *incertum*, eodem modo christiana omnis fides perit. Nam, si contradictoriæ illorum sententiæ dicuntur pariter veræ, nequaquam illæ possunt esse Christi Domini doctrina, in qua nulla interna pugna, nulla partium contrarietas fingi potest. Si vero dicuntur omnes pariter incertæ, nihil ergo certi de christianis doctrinis reliquum habemus.

10° Qui duobus sibi propositis testimoniis, quamvis illa iisdem

(*a*) *Loc. cit.*, lib. 3, cap. 2. — (*b*) *Ibid.*

plane corruptionis periculis obnoxia sint, et iisdem sinceritatis argumentis in præsenti communita, eorum tamen alterum excipiat maxime approbetque, alterum e contrario spernat omnino proculque rejiciat, is profecto ab omnibus insaniisse existimatur. Atqui hac insania manifeste protestantismus laborat. Nam Scripturis simul et Traditionibus Apostolicis eidem oblatis, Scripturas quidem tanquam certissimam fidei regulam accipit, Traditiones vero indignabundus idcirco repudiat, quia non potuisse illas ad nos usque incorruptas pervenire putat. Jamvero Scripturæ non minus possunt corrumpi quam Patrum libri quibus eæ traditiones continentur, ut est per se evidens. Hos autem codices, quos in manibus habemus, esse incorrupta Scripturarum exemplaria et incorruptas earumdem versiones, nequimus cognoscere nisi per vivum Ecclesiæ testimonium, ut supra ostensum est. Si ergo hoc idem Ecclesiæ testimonium doceat Patrum libris incorruptas continere Traditiones Apostolicas, hæ traditiones eodem, quo Scripturæ, firmantur veracitatis ac divinitatis argumento. Ergo, vel utrasque respuere, vel utrasque accipere debes, vel si, alteris rejectis, alteras pro lubitu recipis, cerebrum non habes.

11 Facultati cuidam potentiori nequit nisi per summam stultitiam negari vis aliquid præstandi, quæ alteri facultati longe imbecilliori in eadem rerum specie conceditur. At, dum Ecclesiæ christianæ vim intactas conservandi traditiones pristinas denegat, protestantismus statuit, nulla ratione innixus, hanc religiosam societatem divinitus constitutam, in omni virtutum genere per divina subsidia perfectissimam, cujus caput ac rector perpetuus est ipse Christus Homo-Deus, ad quam prænuntiandam ac præparandam omnia retro sæcula ordinata fuerant, hanc, inquam, Ecclesiam statuit non posse ad pristinum suum decus et robur conservandum præstare illud quod aliæ Ecclesiæ, multo minoribus a Deo virtutibus ac muneribus locupletatæ, perfecerunt. Scilicet antiquissimi illi Patres, qui in lege naturæ verum Deum pura castaque religione coluerunt, sacrificiorum legitimos ritus verasque de Deo, de humano genere, de venturo Messia doctrinas non Scripturis, sed paterna traditione patriisque moribus conservarunt. Abrahami vero genus, quæ præcepta et promissa ille a Deo primum acceperat, nullis commendata litterarum monumentis, sed animorum tabellis insculpta et publicæ ac privatæ consuetudinis memoria consignata, per complura sæcula, in ipsa etiam captivitate Ægyptiaca, fideliter retinuit. Id si divino præsidio

binas illas Ecclesias fecisse confitemur, cur negabimus potuisse idem efficere Ecclesiam christianam tanto abundantiore Dei gratia valentem, tanto præsentiore Sancti Spiritus auxilio custoditam?

Neque enim, ut arbitror, affirmare audebit quisquam, a Christo Domino et Apostolis nihil aliud fuisse in Ecclesiæ utilitatem dictum aut factum præter illa quæ expresse in Scripturis narrantur. Nam in humanis quoque rebus « esset... ridicula respublica, quæ in judiciis scripto omnia, nihil sine scripto probaret. Scripturas enim propter litigiosos facimus. Alioqui boni viri solo verbo in veritate et officio continentur (*a*). » Quare Christus Dominus et præbuit seipsum vivum post passionem suam per dies quadraginta apparens Apostolis et *loquens de regno Dei* (*b*); et alia multa ante et post passionem fecit, quæ si scribantur per singula, ne mundus quidem totus posset capere eos qui scribendi sunt (*c*); et nullum ipse librum scripsit; et Apostolos mittens non ait, Scribite, sed, Prædicate Evangelium omni creaturæ (*d*). Itaque Ecclesia ipsa christiana est Scripturis antiquior : unde apertissime consequitur, non Ecclesiam per Scripturas unas, sed Scripturas per Ecclesiam cognosci oportere.

Et vero nec de Christi descensu ad inferos, nec de parvulis baptizandis, nec de trium personarum in divina unica natura æqualitate, mentionem ullam Scripturæ faciunt explicitam et apertam ; neque sacramentorum omnium numerus, formæ, materiæ, neque ritus in Cœnæ celebratione servandi in iisdem determinate traduntur ; neque Scripturarum canonem possumus ullo pacto a Scripturis ipsis accipere.

Quum ergo multa fuerint a Christo Domino et Apostolis dicta et facta, nobis perutilia vel etiam prorsus necessaria, quæ non sunt Scripturis mandata, stultissimus profecto erit qui contendat non potuisse aut non debuisse illa, Dei favente ope, conservari viva doctrina et constantibus moribus Ecclesiæ christianæ, quum similes traditiones fuerint olim incorruptæ in lege naturæ et in Hebræa gente servatæ ; præsertim vero quum apostolicæ illæ traditiones fuerint statim, post unum vel alterum seculum, a Patribus cœptæ conscribi et explicari.

12° Denique, ne simus infiniti, non possumus satis mirari ac ridere protestantismi insaniam, quum ille statuit totam christia-

(*a*) Melch. Can. *loc. cit.* cap. 6. — (*b*) *Act.* I.
(*c*) *Joan.* cap. ult. — (*d*) *Matth.* cap. ult.

nam doctrinam in Scripturis unis contineri, et ad Scripturas interpretendas unicuique fideli privatum ingenium industriamque sufficere. Ille enim agricolæ, sutori, fabro ferrario, humili ancillæ, edentulæ aniculæ, non secus ac cæteris fidelibus, eam curam demandat, ut verum Scripturarum canonem et verum singulorum locorum sensum, pro se quisque, reperiant. At Scripturæ canonem aliunde cognosci quam ex vivo Ecclesiæ testimonio non posse jam probavimus (1312, coroll. 1). Quod vero ad earum sensum definiendum spectat, « sunt in libris sacris loca plurima in quibus tanta difficultas et obscuritas inest, ut post veterum omnium interpretum vigilias, studia, operas, adhuc vix a doctissimis et optimis quibusque intelligi posse videantur. Et multitudo imperita, in qua nec ratio inest nec judicium, universos Scripturæ locos facile expediet atque interpretabitur! Itane facile est expedire, ut reliqua taceam, Hebræi sermonis antiquitatem, tropos vel vetustate obscurissimos, phrases alienas ab hisce linguis quibus assuevimus, nostris inaudita proverbia, parabolas peregrinas, translationes etiam longissime petitas? Expone mihi, facile si potes, Proverbia Salomonis et Cantica, Ezechielis, Danielis, Esaiæ, Hieremiæ prophetias; Davidicos Psalmos expone : et, si exposueris, tum vero libri sacri nec sunt difficiles neque obscuri (*a*). »

Quibus omnibus satis, ut puto, confirmata est positionis pars prior, qua diximus protestantismum evidenter esse multis modis absurdum.

PROB. 2ª PARS. — 1° Qui alium statuit rem aliquam docendum esse, hoc ipso negat illum satis esse idoneum ad eam rem proprio studio ediscendam. Atqui protestantismus constituit ministros, qui debeant christianam fidem docere. Negat igitur unumquemque fidelem sibi sufficere ad veram fidem e Scripturis hauriendam. Attamen idipsum ille simul affirmat. Ergo sibi evidenter contradicit (*b*).

2° Protestantismus habet consistoria, quibus attribuit jus arguendi et puniendi eos qui aliter credant. Ergo affirmat esse in

(*a*) Melch. Can. *loc. cit.* cap. 2.

(*b*) Optime clarus quidam scriptor catholicus : « Tout enseignement oral, toute explication donnée par un ministre, c'est l'idée catholique de la religion fondée sur l'autorité d'interprétation et sur la tradition. Mais le vrai protestantisme, c'est une Bible, écrite ou imprimée, sans commentaire, livrée à un enfant ou à un homme, qui sont tenus d'y débrouiller à leur guise le système de morale et de religion qui leur convient » (*C. de Laroche-Héron; Univers*, 16 mars 1854).

Ecclesia, præter Scripturas, aliam auctoritatem infallibilem. Nam consistorii sententia, si est fallibilis, nullam potest gignere obligationem illius accipiendæ, ut vidimus libro VIII, n. 875; nequit autem ulla vigere obligatio doctrinæ cujuspiam religiosæ exterius tantum, sine interna assensione, accipiendæ, ut eodem libro probatum est, n. 876. Atqui protestantismus hoc maxime asserit nullam, præter Scripturas, esse auctoritatem infallibilem. Ergo, etc.

3° Protestantium sectæ pene omnes ediderunt publicas fidei confessiones, quas ut genuinam Christi et Apostolorum doctrinam exosculantur, summoque in honore habent. Jam hæ fidei confessiones non sunt Scripturæ sacræ, si Deo placet. Ergo sunt, in protestantium sententia, *traditiones* ecclesiasticæ: continent enim, eorum judicio, christianam doctrinam, per sermonem non quidem a Deo immediate dictatum, sed a patribus eorum, Melanchthone, Bucero, aliisque hujus farinæ hominibus profectum. Sermones autem ejusmodi non a Deo profecti immediate, quibus doctrina christiana cum auctoritate indubia contineatur et explicetur, sunt profecto ecclesiasticæ *traditiones*. Ergo protestantica superstitio traditiones, tamquam fidei regulam, admittit simul ac respuit. Ergo, etc.

4° Si Scripturæ sunt eatenus fidei regula, quatenus ab unoquoque privata interpretatione explicantur, eæ sunt hoc eodem modo fidei regula pro catholicis æque ac pro heterodoxis. Ergo catholicis est manifestissime jus retinendæ suæ interpretationis, quæ vivam Ecclesiæ autoritatem postulat et protestanticos errores damnat. Atqui tamen protestantes catholicis irascuntur, eosque infernis suppliciis devovent eo quod suam Scripturarum interpretationem bona fide retineant. Ergo hoc ipso negant privatam Scripturarum interpretationem unicuique sufficere; quod tamen simul affirmant.

5° Passim clamitat protestantica insania *liberum* Scripturarum totiusque religionis *examen*, ad immutabilia humani generis jura pertinens, se christianis, quibus a Romana Ecclesia fuerat ereptum, feliciter reddidisse. Atqui tamen Scripturarum totiusque religionis *examen* ac judicium ab singulis fidelibus institutum regibus ac principibus laicis subdiderunt, a quibus fuerunt non raro crudelissimis suppliciis, per barbaram prorsus christianisque adhuc inauditam immanitatem, affecti qui vellent *libere*, nimirum aliter ac ii principes censerent, Scripturas examinare ac de tota

religione statuere (a). Ergo *liberum* illud *examen* protestantismus et concedit simul et negat.

Ergo protestantismus evidenter sibi ipse multis modis contradicit.

1314. Coroll. 1. — Ex probatis perfacile cuique erit hæc tria colligere :

I. Absurdi et ridiculi sunt protestantium ministri,

1° Quum docent suos, et in profanis suis templis ad fidem explicandam concionantur;

2° Quum vel catholicos vel suos ob fidei doctrinam reprehendunt aut vexant;

3° Quum fidei confessiones edunt;

4° Quum Scripturarum authentiam et divinitatem ex traditione probant;

5° Quum de fidei doctrina cum catholicis vel cum heterodoxis disputant;

6° In toto suo ministerio, quod nullum esse potest, ubi omnis auctoritas ad religionis dogmata et præcepta interpretanda in privato cujusque judicio est.

Quapropter jure quidem ac merito illud a multis jam sæpius est affirmatum, protestanticum ministerium ortum esse potissimum a duplici fame, *panis* et *uxoris*, hac duplici causa potissimum etiamnum sustineri.

II. Non solum absurde et ridicule, sed impie quoque ac sacrilege agunt protestantium ministri, pastores, consistoria, synodi, quotiescunque aliquid de christiana fide tanquam certum omnibusque firmiter tenendum definiunt. Etenim, quum certa et infallibilis regula fidei nulla sit, eorum judicio, præter Scripturam, eorum sententiæ nequeunt profecto certæ ac infallibiles prudenter haberi. Ergo, quum aliquid de fidei doctrina prorsus tenendum statuunt, aliquid a quibusdam traditum reprobant omnino vetantque ut hæreticum errorem, ii procul dubio libertati christianæ vim faciunt; onus christianis imponunt quod minime Deus imposuit, nempe ut ipsis credatur; vetant quæ Deus permisit, nimirum ut suum quisque judicium sequatur; clamant, *Deus hoc docuit*, quum nihil de hac re Deus docuerit : quæ omnia *sacrilega* esse animadvertit scite, inter plurimas, quas congerit,

(a) Cf. clarissimi Rohrbacri Hist. eccles. t. 25.

nugas, nobilis femina protestans, Gasparina (*a*), de qua nonnihil fortasse infra.

III. Protestantes *rigidi*, suæ nimirum præcipuæ doctrinæ perpetuo hærentes, sicut aliena dogmata nullo arguere pacto possunt, ita nulla et ipsi queant ratione impugnari. Omnis enim concertatio nititur principiis quibusdam ab utroque disceptante communiter admissis. Atqui protestans nullum fidei commune principium recipit : statuit enim privato cujusque judicio controversiam omnem esse finiendam. Itaque, sicuti sceptici et idealistæ, ita etiam boni protestantes non ratiociniis ourandi sunt, sed vel omnino, tanquam desperata res, dimittendi, vel castigationibus, quoad fieri poterit, macerandi. Etenim, ut præclare Canus admonet (*b*), « quædam sunt tam nota atque perspicua, ut qui ea in quæstionem vocent, hi non sint verbis, argumentis et disputatione philosophorum, sed verberibus, vinculis et carcere fatigandi. »

Coroll. 2. — Protestantismus, sicut apertius et expressius propriam *hæretici hominis* naturam sibi vindicat, ut superius vidimus (1210, not. 1), ita luculentius et vehementius *proprio judicio est condemnatus* (*c*). In hoc enim tota hominis hæretici natura propria sita est, ut privata sua sententia velit, spreta divina Ecclesiæ auctoritate, doctrinam fidei definire. Atqui hoc sibi maxime attribuunt protestantes, hoc sibi maxime proprium volunt, de hoc sibi maxime gloriandum putant. Quare illis maxime tribuendum est, quod de omnibus hæreticis Tertullianus dixit, ea verba Pauli Apostoli commentatus (*d*) : « Hæreses dictæ græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit ». Statim vero inibi subdit illud, quo clarissime, quam longe distet catholica mens ab hæretica, explicatur : « Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit ».

Coroll. 3 — Haud difficulter jam quisque causam perspiciet propter quam protestantes, ut sibi asseclas novos concilient, id unum a nobis postulare soleant, *velimus* scilicet *singuli privatim veram fidei doctrinam in Scripturis conquirere*. Etenim, quamvis

(*a*) « Attenter à la liberté d'une âme, lui imposer ce que Dieu n'a pas ordonné, lui défendre ce que Dieu a permis, lui permettre ce que Dieu défend, dire : Dieu a dit ! quand Dieu n'a pas dit, mais c'est un sacrilége. » (*Quelques défauts des chrétiens d'aujourd'hui*; Paris, Grassart, 1853; pag. 1'8).

(*b*) *Loc. cit.* lib. 2. — (*c*) *Ad Tit.* III, 10. — (*d*) *De præscr. adv. hær.* cap. 6.

absurdissimum et insanissimum sit liberum ejusmodi examen individuale, ut probavimus, nec ii possint tantam rei stultitiam prorsus ignorare, illuc tamen idcirco devenire coguntur, quia sentiunt nullam protestanticæ rebellionis propagandæ spem adesse, quamdiu divina fides, qua necessario ad infallibilem Ecclesiæ auctoritatem agnoscendam perducimur, firma in nostris pectoribus perseveret. Hanc igitur fidem cœlestem, suavissima Spiritus Sancti operatione animis nostris insitam, primum omnium aggrediuntur, hanc primum impugnant, hanc diabolica fraude primum conantur evertere, ut nos a Dei per Ecclesiam loquentis sanctissimis oraculis ad privati nostri judicii commenta, ineptias, nugas traducant.

Hunc eumdem fuisse veterum hæreticorum morem, ut scilicet fideles quosque ad veram fidem in Scripturis iterum quærendam hortarentur iis Christi Domini Verbis, *Quærite et invenietis*, constat ex Tertulliano jam sæpius citato, qui nonnullos etiam catholicos iis verbis perperam intellectis decipi consuevisse memorat (*a*) : « Nobis, ait, curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium : quum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus. Venio igitur ad illum articulum, quem et nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, et hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem. Scriptum est, inquiunt : *Quærite* et *invenietis.* » Quærendum utique sane est, quandiu non invenimus. Sed quando recta et sancta fides certissime a nobis comperta est, eamdem velle in dubitationem et quæstionem revocare, perinde est ac Christi Domini ipsius verba, Deique veracitatem, jam nobis satis superque patefacta, in dubium vertere, ac manifesto sese impietatis scelere inquinare. Etenim, ut præclare idem Tertullianus urget (*b*), « si, quod debui credere, credidi, et aliud denuo puto requirendum, spero utique et aliud esse inveniendum ; nullo modo speraturus illud, nisi aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, negator invenior. »

Itaque communem hanc hæreticorum artem protestantismus, quem jam vidimus hæreticæ pravitatis esse plenissimam quamdam summam et *omnium hæresum maxime hæreticum* (1310, not. 1), singulari studio, singulari audacia semper adhibuit, ac per sum-

(*a*) *De præscript. adv. hæret.* cap. 8. — (*b*) *Ibid.* cap. 11.

mam calamitatem adhuc adhibet ad populos olim maxime catholicos corrumpendos.

Coroll. 4. — Turpissime desipiunt ii scriptores, qui se philosophos appellant, et quos *sophistas* dicendo nos lenissimi erimus, dum ea quæ in christiana doctrina divinitus revelata jam continentur, audent ridiculis suis ratiociniis vanissimisque disceptationibus subjicere. Incidunt enim in eamdem cum protestantibus insaniam, quum *facta* quædam volunt aliunde quam ex testimoniis conquisitis riteque ponderatis cognoscere; quod quam sit ineptum et absurdum, supra jam demonstravimus (1313, prob. 1ª pars, 4°). Quo fieri necesse est, ut veritatem illic quærentes ubi nulla ejus indicia suppetunt, semper quæritantes nihil isti unquam inveniant. « Viderit, ait acerrimus ille Afer (*a*), qui quærit semper, quia non invenit : illic enim quærit, ubi non invenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquam aperietur : illic enim pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur; ab eo enim petit, qui non audit. »

Regula quidem fidei firmiter retenta, possumus multa scrutari de quibus ea nihil statuit, multa etiam pervestigare, quorum etsi veritatem illa doceat, modum tamen non definit. At vero apud hæreticos et hæretica methodo hæcne prudenter inquiri posse existimamus ? « Apud hæreticos, ubi omnia extranea et adversaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere ?... Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus donativum et stipendium captat, nisi plane desertor et transfuga et rebellis ?... Quæramus ergo in nostro et a nostris et de nostro : idque dumtaxat, quod, salva regula fidei, potest in quæstionem devenire (*b*). »

Quapropter *liberum* illud *examen*, de quo tantopere sophistæ gloriantur (1310, not. 3), nullo pacto quod effutiunt intelligentes, merissima insania est.

Coroll. 5. — Quum tanta, tamque aperta et evidens sit protestantismi stultitia et insania, qua igitur ratione fieri potest, ut eam non pauci homines acuto ingenio præditi, bonarum artium studiis exculti, minime animadvertant? Quæstioni huic jampridem Christus Dominus generaliter respondit : « Cæci sunt et duces cæcorum (*c*) ». Quam cæcitatem terrificis persæpe verbis Prophetæ prænuntiarunt, ut Isaias, *v. g.*, illuc ubi ait : « Audite

(*a*) Tertull. *loc. cit.* — (*b*) *Ibid.* cap. 12. — (*c*) *Matth.* XV, 14.

» audientes, et nolite intelligere ; et videte visionem, et nolite » cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et » oculos ejus claude ; ne forte videat oculis suis, et auribus suis » audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum (a) ».

Porro autem hæc ipsa mentis animique cæcitas horrenda unde tandem oriatur, idem Christus Dominus satis ostendit, quum in hæc gravissima verba, Patrem affatus, prorupit : « Confiteor » tibi, Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapien- » tibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater; quo- » niam sic fuit placitum ante te (b). » Sapientes isti et prudentes non ii sunt profecto qui vera sapientia prudentiaque polleant, sed qui sapientes se ipsi ac prudentes, ultra quam par est, in rebus ad fidei doctrinam pertinentibus arbitrantur, scilicet *superbi*. In hoc igitur animi vitio pessimo, in hac superbia consistit denique tota hæresis cujuscunque, ac præcipue protestantismi, natura : qua superbia inflatus miser homuncio, imbecilla muliercula supremum se rerum difficillimarum et gravissimarum judicem constituit, Ecclesiæ, quam Deus peculiari perpetuoque auxilio dirigit ac docet, spreta rejectaque auctoritate. Gignit autem necessario superbia temeritatem, imprudentiam, petulantiam, immodicam confidentiam , audaciam præcipitem et pertinaciam. Qui omnes morbi morales cum superbia conjuncti tetra animum cæcitate involvunt ita, ut quorum mens singulari etiam ingenii doctrinæque luce in humanis negotiis et artibus collustratur, ubi ad fidei doctrinam ventum sit, caligent ii prorsus, et vere audientes non audiant, videntes non videant.

Accedit, quod Deus ipse, ad hanc superbiam quam maximopere odit, puniendam, eos, sicut illos ethnicos de quibus ad Romanos scribens Paulus loquitur, *tradat in reprobum sensum ;* quo fit ut *dicentes se esse sapientes*, *stulti fiant*, et *evanescant in cogitationibus suis*, et plane *obscuretur insipiens cor eorum* (c).

Hujus cæcitatis, hujus divini maledicti, sicut illius superbiæ, manifesta indicia omnes protestantium libri præseferunt, quotiescunque illi quæstiones fidei procul a catholica doctrina pertractare instituunt. Absurdas enim atque inter se manifeste pugnantes sententias mira animi securitate isti passim intexunt : absurditatem harum opinationum mutuamque repugnantiam, contra alios disputando, perspicue demonstrant; tum iisdem opinionibus ipsi

(a) *Is.* vi, 10. — (b) *Matth.* v, 44. — (c) *Ad. Rom.* i.

ad catholicam repudiandam veritatem utuntur. Harum, inquam, *contradictionum* atque ineptiarum in protestantium libris exempla infinita videmus quotidie. Unum liceat exemplum afferre ex recenti libello nuper citato (1314, coroll. 1, II), in quo Gasparina, nobilis femina, Agenoris Gasparini comitis uxor, rigida protestans, suorum vitia quædam præcipua describit ac reprehendit.

1° Pulcherrime depingit, acerrimeque reprehendit præclarus auctor femineus pessimam suorum superbiam, qui suam opinionem suamque sententiam loco divini verbi in Scripturis contenti ponunt (*a*). « Sic sentis, putas, vides, ait illa. Quid hoc refert? Ægrotus, sensum depravatum habes. Strabo quum sis vel luscus, duplices res vel distortas vides. Hæc profecto sunt in medio posita; hæc in humanis negotiis rem conficerent; nasoque suspenderemus eum qui suum sensum afferret, quum de lege quæritur; privatum judicium, quum de facto constante agitur. Hæc tamen non impediunt, quominus, ubi de veritate vitaque christianis deque sacris Litteris, quæ simul et lex et factum quoddam sunt, quæstio instituitur, ad sensum vel judicium nostrum confugiamus. Scripturæ doctrina quæritur; opinionem nostram obtrudimus. »

Quid clarius, quid vehementius, quid catholicæ veritati consonantius poterat ab illustri femina disputari ad privatum protestantium liberum examen profligandum?

In eodem sui libelli capite secundo robustissimis verbis perstringit præclara femina tum eos qui unice rationem suam *individualem* in Scripturis interpretandis sectantur, tum eos qui a Spiritu Sancto *immediate* se duci in eadem re affirmant: utrosque ait supremam legem sibi se ipsos constituere, ac proinde se ipsos quodammodo infallibiles credere, ac propemodum ado-

(*a*) « Tout le monde n'a pas *du sentiment*, mais tout le monde a *son sentiment*. Chacun porte avec soi son idée, et là où on ne peut pas dire : « Je sens, » parce qu'on ne sent rien, on dit : « Je pense. » Au bout du compte, le sentiment, la pensée n'ont pas ici plus à faire l'un que l'autre... Je sens, je crois, je vois : Qu'est-ce que cela prouve? Vos sensations sont celles d'un malade qui a le goût dépravé ; votre vue est celle d'un louche ou d'un borgne qui voit double ou qui voit de travers. Cela est très-clair, cela serait très-concluant pour toutes les affaires de la vie ; nous ririons au nez de celui qui viendrait nous parler sentiment quand il s'agit de loi ; appréciation individuelle, quand il s'agit d'un fait avéré ; et cela n'empêche pas que, lorsqu'il est question de la vérité et de la vie chrétienne, de la Bible, qui est tout ensemble une loi et un fait, nous nous réfugions dans notre cœur, dans notre tête — On nous parle Bible. et nous répondons opinion. » (*Quelques défauts des chrétiens d'aujourd'hui*, pag. 59.)

rare (*a*). Tum optime hos *theophoros* commonet, Spiritum Sanctum christiano unicuique judicanti et loquenti non semper adesse; non omnia nos Spiritu Sancto *immediate* docente ac movente decernere ac facere; multa a nobis perperam statui, dici ac fieri; multos esse diversosque spiritus, quibus animus potest in contrarias partes impelli, quamvis unicus sit Spiritus Sanctus; propterea omnes mentis sententias, omnes pectoris permotiones esse examinandas, ac certæ et immutabili revelationi subjiciendas; ex mysticismo illo, qui se totum privato sensui dedat, absurda, impia, monstrosa quæque oriri necessario (*b*).

Nullus enimvero catholicus unquam majore vi, firmiore stylo protestanticum sensum privatum atque examen liberum individuale contudit et contrivit, quam clarissima femina, Gasparina, Agenoris Gasparini uxor, in his locis a me indicatis aliisque permultis faciat.

3° Neque tamen existimat illustris femina facilem rem esse Scripturas commentari, verum uniuscujusque loci sensum arripere. Etenim et humanæ mentis summam imbecillitatem agnoscit (*c*); et Scripturas sæpe obscuras esse, ad pluresque sensus diversos trahi posse fatetur (*d*); et a suis sacras Litteras interpretantibus

(*a*) « L'homme qui se fait loi à lui-même n'est pas bien loin de se croire infaillible. Les mystiques rationalistes se prosternent devant la souveraine raison qui loge chez eux. Les mystiques chrétiens ont un hôte plus divin, un hôte habituel, le Saint-Esprit » (*Ibid.* pag. 61).

« Tous les mystiques ne prétendent pas à l'inspiration du Saint-Esprit ; tous les mystiques s'appuient sur la révélation du sentiment. Tous les mystiques ne rejettent pas la loi écrite ; tous les mystiques se font loi à eux-mêmes » (*Ib.* pag. 62).

(*b*) « Le chrétien a le Saint-Esprit, quand il l'a. Le Saint-Esprit ne lui est pas inféodé quel que soit son état moral. Ce que fait le chrétien, quand il fait bien, il le fait par l'Esprit ; l'Esprit ne fait pas en lui tout ce qu'il fait... En un mot, le chrétien est soutenu, éclairé par l'Esprit, il n'est pas inspiré » (*Ib.*).

« Vous possédez Dieu en vous, (*dit-on*). Eh ! oui, vous l'avez, je le répète, quand vous l'avez » (*Ib.* pag. 64).

« Allez parler Bible à ces modernes théophores ; allez leur déclarer que s'il y a beaucoup d'esprits, il n'y a néanmoins qu'un Esprit ; allez leur dire qu'il faut examiner toute imagination de la tête, toute émotion du cœur, qu'il les faut soumettre toutes à une révélation arrêtée, immuable, vous verrez avec quelle pitié ils vous écouteront. » etc. (*Ib.* pag 65).

(*c*) « Nous sommes des hommes sujets au même péché que vous; nous nous trompons habituellement » (*Ib.* pag. 114).

« Nous avons assez à faire de chercher chacun notre propre chemin...; le poids de nos propres erreurs est assez lourd pour nous » (*Ib.* page 115).

« Nous pouvons nous tromper, celui qui écrit ces lignes plus que tout autre (*Ib.* pag. 213).

(*d*) « Nous avons notre Bible là près de nous,... mais il nous en coûterait

sæpissime erratum esse et errari confirmat (*a*); præsertim quum omnes homines, præclara femina testante, illuc semper propendeant, ut se infallibiles in doctrina fidei definienda existiment (*b*).

4° Egregie sane hæc omnia sunt et omnino catholice dicta. At, ubi cum reliqua eruditæ feminæ doctrina, rigidi protestantismi purissimum virus continente, illa componantur, incredibilis statim rerum confusio et contrarietas manifestissime apparet. Nam, si christiani omnes, te fatente, tam infirma sunt mentis acie, si tam facile falluntur et errant, non licet profecto unicuique illorum sibi uni, privato sui unius judicio in fidei doctrina tam abstrusa difficilique scrutanda confidere.

5° Non sumus unusquisque, si Deo placet, aliter constituti ac cæteri homines. Tu ipsa te non minus *fallibilem* quam alium quempiam profiteris. Si ergo, ut tu centies repetis et inculcas, inepti sumus omnes ad alios in veram fidem *dirigendos* (*c*); si Scripturas deserimus hoc ipso quod earum interpretationem ab aliis quærimus, quos doctiores putamus (*d*); si calamo confracto innitimur, quotiescunque alieno magisterio nosmetipsos com-

trop de l'ouvrir, trop de l'écouter, trop de *comparer* ce qu'elle dit à cet endroit avec ce qu'elle dit à cet autre... *Les luttes* dans la solitude ont quelque chose d'extrêmement sévère, il y manque des spectateurs » (*Ib.* pag. 110).

« Le Cantique des Cantiques a des accents qui nous troublent, c'est le livre *peut-être le plus mystérieux* de la Bible » (*Ib.* pag. 79).

« Oui, *fouillons* dans la Bible, rapprochons les textes; qu'ils *s'éclairent* les uns les autres » (*Ib.* pag. 118).

« Sans le *commentaire* de la conduite apostolique, de la conduite du Seigneur, ces paroles seraient difficiles presque jusqu'au mystère; *avec ce commentaire* elles sont claires et simples... La sainte Écriture abonde en ces sortes d'axiômes, en ces sortes d'ordres absolus qu'il faut de toute nécessité prendre *au sens restreint* ou *au sens figuré*, parce que Notre Seigneur Jésus avec ses apôtres les ont pris ainsi » (*Ib.* pag. 160, 161).

(*a*) « L'erreur, flamme subtile, enveloppe et consume vite tout ce qui n'est pas or. — Il y a bien du bois, bien du chaume dans nos modernes constructions; c'est pour cela qu'en beaucoup d'endroits il y a de prompts embrasements et d'entières destructions... Mal instruit des Ecritures, on a pris pour la voix de Dieu ce qui était la voix de l'homme, et les chutes que nous savons s'en sont suivies, » (*ib.* pag. 212).

(*b*) Hélas! nous n'avons que trop de penchant à nous croire infaillibles! » (*ib.* pag. 114).

(*c*) « Allez à Dieu, allez à la Bible! — Des conseils, nous vous en donnerons; de la sympathie, des larmes ou de la joie; oui, cela encore, cela toujours; ne nous demandez pas des oracles, vous nous perdriez; nous avons assez à faire de chercher chacun notre propre chemin » (*Ib.* pag. 115).

(*d*) « Il nous faut une décision: la voici clairement écrite aux pages du livre, clairement gravée dans notre conscience, trop clairement!.. Nous nous détournons et nous allons au directeur » (*Ib.* pag. 111).

mittimus (*a*); si nemo prorsus in toto terrarum orbe est, qui nos possit docere ac dirigere (*b*); multo minus poterit unusquisque nostrum se ipse docere ac dirigere, individuali suo judicio inniti. Nam, si omnes in fidei doctrina intelligenda et explicanda fallibiles sunt et falluntur, multo magis ego unus falli potero et fallar, me ipsum docendo. Quid, quæso, præclara femina, ad hæc reponis?

6° Quum alios homines, inquis, sacra Biblia interpretantes audio, hominem audio, non Deum; humanum verbum accipio, non divinum. At, quando, humana omni traditione amota, humana quavis explanatione rejecta, oculis in sacras litteras defixis, summo silentio, spiritum ipsum lentissime ducens ne turbetur mentis attentio, contemplor ac meditor, tunc Christum ipsum docentem audio, tunc Spiritum Sanctum invenio. qui procul a me spiritus omnes alienos abiget; ibi malum et bonum proprio nomine appellata, ibi verba ipsius Dei, simplicia, gravia, acuta, reperio (*c*).

Præclare quidem, Gasparina, illustris femina. Sed persimilis, cum tua bona venia, mihi plane videris illius Græci monachi Gregorii Palamæ, qui hoc persuasum habebat, se, ubi, remotis arbitris, solus ac silens oculos in umbilicum suum defixisset, continuo divina quadam luce collustrari, qua perfusus mysteria quæque altissima clarissime pervideret.

7° Si tu, Scripturas unas meditata, Sanctum Spiritum invenis, qui spiritus omnes alienos procul a te fugat, cur tibi non liceat cœlestem doctrinam sic a te, Spiritu Sancto docente, haustam cum aliis hominibus communicare, eosque *docere* ac *dirigere*? Nam quæ quis probe intellexerit potest utique aliis explicare; quæ quis a Spiritu Sancto acceperit, potest sane ac debet fratribus suis aperire; *opera* quippe *Dei revelare et confiteri honorificum est*. An tibi tam parum curæ est fratrum tuorum salus, ut veritatem quam a Spiritu Sancto didiceris, neges esse fratribus patefaciendam? Tu, quæ tibi, non minus quam Apostolis, dictum a

(*a*) On s'imaginait avoir quelque force parce qu'on s'appuyait sur un bâton, et le bâton brisé, on est plus chancelant que jamais. » (*Ib.* pag. 113).

(*b*) « Je parle de l'homme substitué à Dieu, et j'ai pour moi Jesus : *Un seul est votre directeur, le Christ.* » (*Ib.* pag. 111).

(*c*) « Ah ! je retourne à toi, ma Bible, à toi, mon rocher. . Là, je trouverai le Saint-Esprit, qui me délivrera des esprits... Le mal y est appelé mal, le bien y est appelé bien, les paroles y sont de Dieu, simples, profondes, incisives » (*Ib.* 86).

Christo existimas : *Euntes prædicate omni creaturæ* (*a*), quamvis Apostolus aperte clamet : « Mulieres in ecclesiis taceant, non » enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. » Siquid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe » est enim mulieri loqui in ecclesia (*b*). Mulier in silentio discat » cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, ne» que dominari in virum, sed esse in silentio » (*c*). Ubi vides, Gasparina, nobilis femina, ex Apostoli præcepto, mulieri veram fidem a viro suo discendam esse, ac proinde virum ex apostolica doctrina esse quandoque posse ac debere uxoris suæ in fidei doctrina magistrum ac *directorem*.

8° Quid porro ? Si tu, sacras Litteras commentans, Spiritum Sanctum invenis, etiam ego, etiam fratres alii poterimus sane invenire, cœlestiumque rerum notitiam a Spiritu Sancto acceptam tibi cæterisque hominibus proponere. Quid enim obstaret ? Nonne Apostoli, quæ a Christo et a Spiritu Sancto fuerunt edocti, palam deinde prædicarunt, scriptisque suis epistolis ad nos usque transmiserunt ? Erant illi homines profecto, non secus atque ego et tu : iis tamen docendi jus et officium Spiritus sanctus divino suo magisterio tribuerat. Nonne Lutherus et Calvinus cæterique patres tui, quos tantopere dilaudas (*d*), magistros se ac *directores* præbuerunt? Si ergo et nos Spiritum Sanctum, sacras litteras unas meditando, invenimus, qui nos ab omni alieno spiritu in earum intelligentia liberat, quidni fratres doceamus, qui fortasse sacras litteras nondum legerunt, nondum meditati sunt, aut legere ac meditari non possunt, otio vel necessaria eruditione carentes? Quare ergo tanto impetu ministros, pastores, doctores, *directores* omnes aggrederis ?

9° At, postquam fidenter dixeris, ad Scripturas unas confugienti Spiritum Sanctum haud dubie tibi adesse, ab eoque te omnis alieni spiritus immunem fieri, alia quædam subjungis verba, quæ me penitus perterrefaciunt. Ais enim, Gasparina, Agenoris Gasparini uxor, te Scripturas meditantem posse interdum *bona fide in Christo* sentire contraria illis quæ Christus jubet; posse te ad Christi pedes assidere ut diabolum audias; nullum errorem,

(*a*) « Quand Jesus nous dit : *Allez et convertissez les nations*, il n'en excepte pas le petit peuple de nos relations sociales » (*Ib* pag. 26).
« Qu'il en va tout autrement pour le mystique ! Voici bien dans la Bible un ordre d'evangéliser les hommes, » etc. (*Ib*. pag. 70).
(*b*) 1 Cor. 14. — (*c*) 1 Tim. 2. — (d) *Quelques défauts*, etc. pag. 307, seqq.

nullam culpam, nullum scelus esse, cujus non possis aliquando tibi aliisque *relativam* utilitatem plane comprobare; ita sensum tuum, ita tuam rationem esse comparata (*a*)! Quæ si vere de te ipsa dicis, ne nobis quidem sperandum amplius erit, Spiritum Sanctum nos, Scripturas unas meditando, inventuros, malumque omnem spiritum procul a nobis ejus adventù fugandum. Etenim, quantavis diligentia Scripturas, irretortis oculis, immobili mente, contentis omnibus animi corporisque viribus, mediteris, bona fide potes diabolum audire existimans te Christi vocem accipere. Et credo prorsus te diabolo auscultasse, quum in tuo libello scribebas *a Romano catholicismo Biblia sacra fuisse conculcata et omnino extincta* (*b*) : credo etiam a diabolo tibi fuisse insufflata ea quæ ridicule garris de Romanæ Ecclesiæ tyrannide absurda (*c*), ejusque ad seditiones politicas et ad socialismum innata propensione (*d*). Ergo, te fatente, falsum est quod nuper affirmabas, Spiritum Sanctum tibi sacra Biblia meditanti adesse, alienosque omnes spiritus illo adveniente fugari. Nam minime tibi, arbitror, Spiritus Sanctus adest, quando diabolum fortasse audis, Christo te auscultare existimans *bona fide ;* neque omnes a te alienos spiritus expellit, quando tibi diabolum adsistere, et omnem fortasse errorem atque omne crimen impune insinuare patitur.

10° Quin imo tu qui eloquentia non muliebri nuper exagitabas eos qui ad normam sui privati sensus, suæ privatæ opinionis, suæ rationis *individualis* christianam fidem exigunt, Gasparina, illustris femina, tu ipsa hoc unum toto tuo libello confecisti, suum privatum sensum uniçuique, suam privatam opinionem, suam rationem individualem in determinanda fidei doctrina unice sequendam esse. Etenim quid, quæso, est aliud Scripturas legere, scrutari, explicare sine ulla externa *directione,* omni traditione rejecta, nullo hominis ullius admisso magisterio vel subsidio ullius generis quo Scripturarum intelligentia per certum ac definitum tramitem ducatur; quid hoc, rogo, est aliud, quam privatum sensum ac rationem individualem in Scripturis inter-

(*a*) « Béni soit Dieu de ce que je ne suis pas abandonné à moi-même, à ma folle sagesse, à mon impure sainteté! Je sais que de bonne foi peut-être je puis sentir *en Christ* le contraire de ce que veut Christ; je sais que je peux m'asseoir aux pieds de Jésus pour écouter le diable; je sais qu'il n'est pas d'erreurs, pas de faute, pas de crime, dont je ne puisse, dans une circonstance donnée, me prouver à moi-même, prouver aux autres l'utilité relative; je connais mon sentiment, je connais ma raison, je me connais. » (*Ib*. pag. 87).

(*b*) *Ibid*. pag. 12. — (*c*) *Ibid*. pag. 124. — (*d*) *Ibid*. pag. 266.

pretandis, totaque fidei doctrina determinanda, unice sectari? Eædem Scripturæ tibi hoc et illud loquuntur; mihi longe aliud: cur tu aliter quam ego, in hac et illa re, de biblica doctrina statuis? nimirum quia tu ita *sentis*, ita *existimas*, ita *vides*.

Immo vero, inclamas, non idcirco hæc et illa credo in Scripturis tradita, quia sic ipsa privatim sentio, existimo et video, sed quia revera sic Scripturæ docent. Præclare quidem; sed qua ratione, quo adjumento, quo demum auctore id nosti, sic revera Scripturas docere? Evidentia rei? Nequaquam; fateris esse Scripturas persæpe intellectu difficiles, mentem nostram semper ad sese decipiendam et ad errandum paratam. Spiritus Sancti immediata revelatione? Minime gentium. Rides optimo jure *mysticos* ac *theophoros* istos, qui *immediatos* ejusmodi afflatus Spiritus Sancti stulte sibi arrogant. Infallibili Ecclesiæ testimonio? Intolerandam vocas tyrannidem decreta Ecclesiæ, omnem traditionem horres, omne externum magisterium detestaris. Unde igitur compertum illud habes? Ex tuo scilicet judicio privato, ex tuo sensu individuali: nihil enim præterea restat, quo possit tua illa Scripturarum certa interpretatio inniti.

Duplex nimirum est rerum cognoscendarum genus: aliæ evidentes et in medio positæ; aliæ obscuræ ac penitus abstrusæ. Ad utrasque percipiendas ratio individualis est utique propria facultas adhibenda et quasi instrumentum; ratione utrasque apprehendimus. At 1° evidentes res percipimus sine ullo errandi periculo, nempe *infallibiliter*; in obscuris intelligendis errare semper possumus ac sæpenumero erramus. 2° Causa, seu *motivum*, credendi in evidentibus est ipsa rerum evidentia, sive externa præsidia hanc nobis evidentiam suppeditantia; in obscuris, sunt rationes a nobis ipsis excogitatæ, sive propria nostra solertia et industria. — Jam Ecclesiæ, quam aliunde jam infallibilem novimus, judicium publicum est ea lux quæ Scripturæ sensum nobis evidentem efficit, ad facti cujusdam externi et omnibus manifesti naturam illum traducens: qua luce *evidenter* cuilibet prudenter judicare volenti Dei verbum proponitur eo pene modo, quo res quævis corporea sole illustrata evidenter in astantium oculos incurrit.

Igitur, ex Gasparinæ, feminæ clarissimæ, doctrina:

I. Nequaquam est illud tibi pro vero certoque habendum, quod *sentis*, putas, vides; nil enim ea dicit referre quod sic sentias, putes, videas; et simul in Bibliis interpretandis pro vero certoque

tibi habendum illud unum quod sentis, putas, vides; nam quodcunque aliud subsidium, vel internum vel externum, ad Biblia intelligenda rejicit.

II. Ægroti sumus, depravatum sensum habemus; et simul ad Scripturas explicandas optima utimur valetudine; nam sibi uni confidere quisque debet in fidei doctrina definienda.

III. Strabones sumus et lusci, ubi agitur de fidei veritate pernoscenda: at simul firmissima et rectissima oculorum acie in eumdem finem pollemus; nam unusquisque nostrum est sibi Papa, vel esse potest, utique modo velit.

IV. Ridendus est, qui suum sensum affert quum de lege quæritur, qui privata sua commenta aggerit ubi de facto constante sermo est: at in lege christiana perquirenda, in facto apostolicæ doctrinæ constituendo, nihil aliud quam sensus cuique suus et privatæ commentationes, considerandum est.

V. Qui rationem suam individualem in Scripturis scrutandis unice sectantur, supremam legem sibi se ipsos statuunt, non Dei verbum: at iidem illi sic agendo nequaquam se ipsos, sed Dei verbum sibi supremam legem statuunt; nam, ubi, omni rejecto subsidio, Scripturas soli ac silentes meditamur, tunc sane verum Dei verbum assequimur.

VI. Mysticismus, quo nostrum quisque privatum sensum in Bibliorum interpretatione sequimur, est infinitorum errorum fons perennis: attamen, privato suo quisque sensui fideliter adhærens, nemo errat, quia purum Dei verbum sic haurit.

VII. Insaniunt qui, Biblia ex judicio suo privato explicantes, sese infallibiles credunt: at omnes debemus infallibiles nos id agendo credere; quia debemus in Bibliis explicandis omne adjumentum respuere.

VIII. Ridiculi sunt isti *theophori*, qui existimant sibi Scripturas legentibus Spiritum Sanctum coram adesse: at nobis Scripturas legentibus certe Spiritus Sanctus coram adest; illum enim *invenio*.

IX. Gratias Deo maximas ago, quod, unis Scripturis mihi traditis, a stulta mea sapientia impuraque sanctitate me separaverit; at Scripturas attente meditans possum equidem semper bona fide stultæ meæ sapientiæ impuræque sanctitati adhærere, quia semper possum bona fide mihi persuadere utilitatem relativam cujuscunque erroris, culpæ aut criminis.

X. Statim ac solus ac silens Scripturas meditor, Christum

docentem audio : at nunquam tamen possum certo nosse an Scripturas meditans audiam Christum docentem; quia semper possum audire diabolum, existimans bona fide a me Christum audiri.

XI. Scripturæ sunt sæpe obscuræ, ac magna continent mysteria : sunt tamen illæ clarissimæ, nihilque reconditum et abstrusum continent; nam quilibet fidelis, sine ulla externa hominum ope, sine ullo Spiritus Sancti afflatu interno, potest ac debet illas plane intelligere.

XII. Sacra Biblia privato judicio interpretantes in absurdissimos quosque errores et vitia teterrima incidimus : in formalismum, in mysticismum, in Scripturæ contemptum, in socordiam, in futilitates, in dissensiones, in animi abjectionem, in incredulitatem, in desperationem, in rerum omnium confusionem, in socialismum, in communismum, et alia horribilia innumera; attamen his erroribus ac vitiis omnibus hoc unum, idque certum, remedium est, ut sacra Biblia privato judicio iterum atque eo magis interpretemur.

En hæreticam stultitiam ac cæcitatem!

Sed hæc hactenus, speciminis cujusdam gratia, christianæ juventuti non inutilis. Et Gasparinæ quidem, feminæ clarissimæ, libellum selegimus, ex quo nonnihil christiana critice discutiendum excerperemus, ob singularem hujus scriptoris, quamvis protestantis, urbanitatem ac temperantiam optime cum generis animique nobilitate in præclara femina congruentes. Neque enim, dum protestanticas insanias in ejus libello carpimus, de multis ac magnis ejusdem feminæ laudibus quidquam detrahimus. Miramur sane styli pariter puritatem et vim, elegantiam et robur; ex iisque virilem animi fortitudinem et constantiam in auctore vigere intelligimus. Osculamur illa quæ de protestantium vitiis verissime ac pulcherrime disserit. Arrident quam maxime quæ adversus pravam et enervatam puerorum institutionem moralem egregie disputat. Itaque persuasissimum id animo habemus, si tot tantasque virtutes quibus a natura fuit præclara ea femina largissime locupletata, non hæterica pravitas corrumperet, sed veritas catholica sustineret ac fecundaret, facile illam ad summum dignitatis et gloriæ verticem fuisse conscensuram, quo præstantissima quævis matrona christiana unquam pervenerit.

1315. Pos. 649ª — Protestantismus omnem christianismum suapte natura labefactat ac funditus evertit.

Prob. — 1° Protestantismum suapte natura ad rationalismum

ducere jam superius a nobis confirmatum est (1312, coroll. 1). Etenim statim ac Scripturarum divina *inspiratio* et veritates in Scripturis contentæ permittuntur uniuscujusque rationi individuali et judicio privato definiendæ, *radicalis* jam et inchoatus rationalismus quidam hoc ipso inseritur qui, labente tempore atque urgente principiorum vi logica, in generalem explicitumque rationalismum necessario desinet ita, ut nihil jam de biblica doctrina credatur quod naturalis rationis captum excedat, et quæcunque creduntur humana tantum naturalique fide excipiantur. Possumus utique psychologicis, quibus regitur humana natura, legibus aliquandiu resistere; possumus errores consectarios, quos principia a nobis posita pariant necessario, nobiscum ipsi pugnantes aliquandiu respuere. At, hæretici furoris æstu paulatim sedato, hæreticique animi paululum emollita pertinacia, unde cæcitas illa mentis et insania oriuntur, plerique vel falsa illa principia tandem repudiabunt, vel cæteros quosque errores, ab iis principiis sponte sua dimanantes, æquo animo excipient. Ergo, qui liberum Scripturarum examen protestanticum admittunt, quod per se jam est, ut supra vidimus, radicalis et inchoatus rationalismus, ad explicitum ac generalem rationalismum brevi, saltem plerique, devenient.

Et vero, quamdiu sana mente sumus, nihil possumus tamquam verum admittere, quod non videamus sufficientibus argumentis comprobatum. Atqui, posito libero examine protestantico, nullum restat argumentum sufficiens quo Scripturarum authentia, divina inspiratio et verus sensus certo cognoscantur. Ergo, qui mente sanus est, et liberum illud examen sibi arrogat, divinam Bibliorum inspirationem, mysteria divinitus revelata, quæcunque denique in Scripturis ratio naturalis non satis intelligit, serius ocius rejiciet necessario et explodet omnia, nimirum generali se totum et absoluto rationalismo dedet.

Atqui rationalismus est evidenter, protestantibus ipsis fatentibus, christianismi totius eversio. Ergo, etc.

2° Christianismus est doctrina certa, definita et immutabilis. Est enim doctrina a Christo Domino Apostolis suis jampridem tradita. Jam futurum potest utique adhuc esse *indeterminatum*; at nec præsens nec præteritum possunt esse *indeterminata* et in ancipiti versari : nam quidquid est, *determinate* est. Ergo illud principium, quo tota christiana doctrina, omnisque illius pars, in dubium et in quæstionem vocantur, et perpetuis mutationibus

subjiciuntur, totum christianismum necessario labefactat ac prorsus evertit.

Atqui protestantismus suapte natura efficit, ut in fidei doctrina quam ejus asseclæ teneant, nihil certum, nihil plane definitum, nihil immutabile sit; sed ea potius infinitis ac perpetuis dubitationibus ac mutationibus sit obnoxia. Etenim, ubi credendorum criterium est *essentialiter* incertum, infirmum, variabile, tota ipsa doctrina incerta est, caduca, mutabilis. Jam individualis rationis in unoquoque homine judicium est per se *essentialiter* infirmum, incertum, mutabile, hoc ipso quod ratio ipsa est *essentialiter* finita; præsertim vero ubi res obscuræ, altissimæ, perdifficiles illi proponuntur. Atqui protestantismus totam fidei morumque doctrinam individuali uniuscujusque hominis judicio discernendam ac determinandam permittit; quo fit necessario, ut credendorum de fidei veritatibus unicum criterium sit individualis rationis in unoquoque homine judicium, ut superius jam pluribus locis firmissime probavimus.

Ergo protestantismus omnem christianismum perimit ac delet, hoc ipso quod illum privato uniuscujusque judicio permittit: nequit enim doctrina undequaque fluctuans et incerta, perpetuisque mutationibus obnoxia, esse Christi doctrina.

3° Ex protestantismo *scepticismus* et *incredulitas* in re omni religiosa necessario enascuntur. Nam quibus præsidiis quo magis quæritur, eo minus invenitur, iisdem quilibet sanus tandem existimabit nihil posse inveniri. Item, de qua re tanto minus veritatem certam assequimur, quanto fidelius utimur instrumento ad eam comperiendam instituto, de illa quisquis non plane desipit, omnino statuet nihil certi cognosci posse.

Atqui quo fidelius et constantius protestantico examinis individualis principio utimur ad fidei doctrinam dignoscendam, eo longius nos ab ea recedere necessarium est. Nam fidei doctrina unica est atque immutabilis. At, quo fidelius et constantius principio protestantico examinis individualis inhæremus, eo major opinationum multiplicitas, varietas, contrarietas in fidei quæstionibus debet emergere, atque eo magis debet sententiarum fluctuatio et volubilitas per omnes errorum ambages excurrere. Etenim, quo magis facultas aliqua sibi relinquitur, ut secundum suam naturam operetur, eo vehementius latiusque sese vitia illius naturalia produnt. Ergo, quo fidelius et constantius sola ratio individualis adhibetur ad fidei doctrinam discernendam, eo

majoribus illa dubitationibus judiciorumque mutationibus perpetuis versari necesse est : quia imbecilla et mutabilis humana ratio est suapte natura, quum sibi uni relinquitur, præsertim in rebus maximis ac difficillimis disquirendis.

Ergo, quo fidelius constantiusque protestantes erimus, eo minus veritatem certam in fidei quæstionibus assequemur. Ergo, si quidem in protestantica pertinacia manebimus, neque omni ex parte desipuerimus, hoc paulatim nobis persuadeamus necesse est, nihil certi posse de fidei doctrina constitui, nihilque hominibus de his rebus fuisse divinitus revelatum : neque enim hominibus quisquam sanus dicat esse a Deo revelatum illud, quod tanto minus assequetur, quanto fidelius utetur instrumento ad id assequendum instituto. Nimirum ex protestantismo *scepticismus* et *incredulitas* in re omni religiosa enascuntur.

1316. Coroll. 1. Quod argumentis *a priori* deductis in postrema positione probavimus, idipsum universali et constanti facto et manifesta trium seculorum experientia luculentissime confirmatur. Etenim tum in catholicorum libris, maxime in Benigni Bossueti *Historia Variationum protestanticarum*, quam non leviter pervolvere, sed sedulo meditari christianus adolescens debet, tum in ipsis protestantium hæreticorum scriptis, tum in quotidiano vitæ usu hominumque consuetudine, hæc tria passim in medio posita quisque videbit : — 1um hæreticis istis protestantibus nihil propemodum esse definitum et ne *subjective* quidem certum; totos illos esse perpetuo in veritate catholica *neganda*, et alia *quærenda* (*a*); in sententia quam prius optaverant, eosdem non diu perstare, sed ab alia in aliam sæpissime migrare; — 2um infinitis eos dissensionibus ac perpetuo crescentibus discindi; neque ullam litium ejusmodi componendarum rationem ab iis inveniri; absurdissima quæque et scelestissima errorum portenta apud eos quotidie nova pullulare (*b*); — 3um in perpetuo isto mutatio-

(*a*) « C'est ainsi que nous *avancerons* dans notre *recherche* loyale de la vérité, etc. (*A. de Gasparin*, dans les *Archives*, 11 mars 1854).

(*b*) « *Nous flottons, portés ça et là par tout vent de doctrine, par la tromperie des hommes*, des bons qui errent de bonne foi, encore plus que des méchants qui nous enlacent avec perfidie. Nous manquons absolument de discernement et de critique. Je ne sais pas d'erreur assez folle qui ne trouve ouverte à deux battants la porte de notre âme, que ne garde plus l'amour de la vérité. — Une chose le prouve qui fait notre honte, c'est le facile accès qu'ont dans notre esprit toutes les fausses doctrines, dans nos églises toutes les sectes. — Le darbysme, la tendance vers les œuvres monastiques, la négation des Écritures, l'irvingisme, le swedenborgisme, le [illegible]

num errorumque æstu christianam doctrinam magis in dies ac magis inter protestantes, ipsis palam fatentibus, deperdi et corrumpi; rationalismum, quo fundamenta ipsa christianismi aperte convelluntur, longe lateque inter protestantes serpere, et in dies magis propagari (a).

Coroll. 2 — Quoniam protestantismus suapte natura omnem christianismum evertit, perspicuum est protestantes nequaquam esse *christianos*. Ille enimvero christianus est, qui Christi doctrinam sequitur. At isti profecto non Christi doctrinam, sed *suam* quisque sectantur, quam scilicet privato suo quisque judicio commenti fuerint. Itaque hæreticos ullos esse christianos jampridem Tertullianus negabat iis verbis : « Quum enim quærunt

jusqu'aux plus inouïes absurdités nées en des cerveaux embrasés d'orgueil, font des disciples chez nous. » (Hæc ingenue de suis protestantibus Gasparina, nobilis femina, retro a nobis laudata : *Quelques défauts*, pag. 124).

(a) « La position où se trouve en ce moment l'Eglise réformée de Hollande est extrêmement critique. Par le rationalisme, qui depuis bien des années règne absolument dans deux des trois académies, cette Eglise se trouve inondée de pasteurs infidèles et hétérodoxes, qui l'envahissent de plus en plus, occupant la très grande majorité des chaires. Dans le sein même de l'Eglise, parmi ceux qu'on appelle laïques, il y a une opposition assez forte et énergique contre l'Evangile.... Un jeune ministre de l'Évangile, plein de talents, à ce qu'on dit, mais rejetant, selon la nouvelle école, les grandes vérités du salut, telles que la Trinité, la Divinité de Jésus-Christ, la Rédemption par son sang précieux etc., ayant été élu pasteur à Amsterdam, un procès ecclésiastique a été intenté et l'on a joint à l'acte d'accusation des extraits de différentes publications dudit pasteur, dans lesquelles il a assez ouvertement manifesté ses vues anti-évangéliques. La classe vient d'émettre son jugement, qui a soulevé et continue à soulever l'indignation de tout ce qui se rattache à l'Evangile et à la conservation de l'ancienne Eglise réformée de la Hollande. En réalité la liberté ou plutôt la licence la plus complète de prédication y est officiellement reconnue, comme un des droits de l'Eglise réformée, tellement que, selon ce jugement, un Arius ou un socialiste aurait le droit, pourvu qu'il soit consacré, de monter en chaire, et d'y exposer ses doctrines perverses comme le résultat des progrès de la science et d'une interprétation de la Bible, dégagée des liens qui arrêtaient le développement scientifique ». (Fréd. Monod, dans les *Archives*, 11 mars 1854).— Ridiculus enimvero est bonus iste Monodus, qui *christianam libertatem* in aliis damnat, in aliis pro arbitratu suo dilaudat. Quo jure Batavis neges facultatem doctrinæ explicandæ et mutandæ, tu qui hanc facultatem Luthero, Calvino, Zuinglio, Bucero et aliis hujusmodi balathronibus concedis? Hæc et illa dogmata tu et Gasparinus et Gasparina in Bibliis videtis : ego et Batavi non invenimus hæc dogmata, sed plane contraria; quid ad te? quo jure coarguis? quis nostrum fallitur, tu cum Gasparino et Gasparina, an ego cum Batavis? Neque ridiculus tantum et absurdus es, sed *tyrannus*, impius, blasphemus, sacrilegus, qui libertatem evangelicam sub jugum tuarum opinionum mittere velis, qui *pravas doctrinas* appelles ea quæ in Scripturis invenio. Itaque Batavi secum ipsi cohærent ; ingenue et cum logica fidelitate utuntur libertate protestantica : tu vero tecum ipse pugnas, et multo magis desipis quam Batavi rationalistæ.

adhuc, nondum tenent: quum autem non tenent, nondum crediderunt : quum autem nondum crediderunt, non sunt christiani. At quum tenent quidem et credunt, quærendum tamen dicunt ut defendant: antequam defendant, negant quod confitentur se nondum credidisse, dum quærunt. Qui ergo nec sibi sunt christiani, quanto magis nobis? » Quod si nulli hæretici sunt Christiani, multo minus poterunt christiani esse protestantes, qui omnium hæreticorum sunt maxime hæretici, ut retro ostendimus (1314, coroll. 2). Igitur, quotiescunque protestantes, ambabus inflatis buccis, christianos se et veri Evangelii cultores tanto studiosius crepant, quanto minus ea sibi nomina convenire sentiunt, ita sunt hæ appellationes accipiendæ, quemadmodum Mahumetanos excipimus quum se *veros fideles* dicunt.

1317. Pos. 650ª. — Protestantismus suapte natura subruit essentialia societatis civilis ac politicæ fundamenta, et ad utrumque ordinem, civilem et politicum, prorsus subvertendum tendit necessario.

Prob. I.—Primum ac maxime præcipuum omnis societatis fundamentum est *auctoritas*, sine qua nulla omnino potest hominum consociatio consistere, ut jam libro IV probatum est (452). Etenim, quum societas quælibet sit posita in plurium hominum constanti conspiratione in fine quodam unico per communes consimilesque conatus persequendo, quadruplex illa unitas, finis, mentium, voluntatum et actionis, de qua unitate in eodem libro 4º disseruimus (430, coroll. 3), est plane societati cuicunque necessaria. Hanc tamen unitatem quadruplicem, quæ ipsam hominum societatem efficit, auctoritas sola inducere potest, nempe unica persona quædam, cui sit uni jus et officium sociorum omnium *efficaciter* dirigendorum in communem finem per *media* communia. Unitatis namque principium debet ipsum *a fortiori* esse *unum* : atque in hominibus tamen consociatis, in quibus maxima semper ac necessario ingeniorum, sententiarum, propensionum, utilitatum diversitas et contrarietas fervet, nullum aliud esse aut cogitari potest socialis unitatis principium, quam unica illa persona quam *auctoritatem* appellamus. Ut autem hæc auctoritas revera possit socialem unitatem inferre et conservare, necesse omnino est a consociata multitudine hæc duo præstentur : 1ᵘᵐ auctoritatem ipsam admittat, ejusque jus et officium agnoscat; 2ᵘᵐ legibus ab illa conditis obligari sese fateatur.

Atqui protestantismus suapte natura efficit, ut a subdita multi-

tudine et auctoritas ipsa civilis ac politica negetur, et leges ab ea conditæ spernantur.

Nam. 1° voluntas intellectum sequitur; et quemadmodum fuerint mens ac voluntas interius affectæ, in eumdem plane modum externa operatio, quæ tota ab earum gubernatione impulsuque pendet, omni tempore disposita prodibit. Ergo, si ab omni se auctoritate intellectus subtrahat, etiam voluntas, etiam actio externa omnem auctoritatem aspernabuntur. Atqui protestantismus humanam mentem ab omni auctoritate vindicat in iis quæ ad fidei religionisque doctrinam pertinent; unde consequitur necessario, ut in civili etiam ac politica re exsolutam ab omni auctoritate se ipsam debeat illa existimare. Etenim, si in gravissimis ac difficillimis rebus, ubi de divinis mysteriis ac præceptis scrutandis, deque æterna hominis salute agitur, unusquisque sibi ad se apte ac prudenter dirigendum sufficit, nullique homini jus esse potest quidquam cæteris hominibus, ut illud credere teneantur, præcipiendi; multo magis in hujus vitæ negotiis tanto levioribus ac facilioribus unusquisque sibi aptissima lex ac tutissimus dux est, neque ulli homini potest competere jus mihi, quæ in ordine civili ac politico expediant, ita demonstrandi, ut ejus judicio mentem meam tenear omnino subjicere. Ergo protestantica rationis privatæ in fidei quæstionibus *independentia* necessario rationis ejusdem absolutam in ordine civili et politico independentiam gignit secumque trahit, ita ut suis assectatoribus ille debeat paulatim persuadere, nulli eos humanæ auctoritati, ne in civili quidem re ac politica, esse obnoxios.

2° Etiamsi cives protestantica labe infecti agnoscerent se civili ac politicæ auctoritati subjectos esse oportere, attamen eosdem ad leges singulas ab hac auctoritate conditas nihili perfacile habendas protestantismus debet sua sponte impellere. Lex quippe nihil ad obligandum valet, si vel inhonestum quid vel noxium præcipiat. Jamvero protestantismus, qui religiosi et moralis ordinis universe judicem supremum unumquemque hominem sibi constituit, moralem etiam legis cujuslibet civilis ac politicæ naturam unicuique civi pro se jure supremo judicandam hoc ipso permittit. Quumque in omni humana ejusmodi lege moralis aliqua ratio semper vel insit, vel inesse facile existimari possit, omnes idcirco leges etiam civiles ac politicæ supremo uniuscujusque civis arbitrio a protestantismo subduntur : quo fit, ut ex hujus hæresis principiis humanæ cujuslibet legis *validitas* a privato

uniuscujusque civis judicio, privataque illius *acceptatione* pendeat; quod quidem et absurdissimum esse et ad leges omnes evertendas aptissimum jam libro III demonstravimus (283).

Hic vero, præter communes humanæ naturæ cupidines, adest pessima protestantismi superbia, quæ multo facilius hæreticam mentem movebit ad inhonestas vel noxias has et illas leges judicandas.

Ergo protestantismus suapte natura tendit ad civilem etiam et politicam auctoritatem subruendam, et ad leges ab hac auctoritate conditas aspernandas.

II. Præter externum illud fundamentum, quod est auctoritas, alterum quoque fundamentum civilis et politici ordinis est internum, nec minus necessarium atque *essentiale* quam primum, nempe sincera civium singulorum erga Deum religio, moralis honestatis studium cultusque perpetuus. Hoc religionis et honestatis amore in civium animis infirmato, vacillet auctoritas, vacillet civitas omnis necesse est : illo in plerisque sublato, corruet necessario publica auctoritas quæcunque, ac brevi dissolvetur societas omnis hominum vel domestica vel publica, nisi salutare hoc studium honestatis ac religionis quam primum restituatur.

Etenim, quum ingenitis naturæ humanæ cupiditatibus omnis homo constanter atque acerrime ad scelera et flagitia omnis generis in fortunas, corpus, famam, bona omnia cæterorum hominum perpetranda incitetur, quæ scelera profecto si libere passim committantur, aufugient quaquaversus homines singuli ab aliis hominibus; necesse est valido aliquo et inevitabili freno humanæ cupiditates constanter coerceantur, si quidem sumus in domestica publicaque vitæ consuetudine diutius acturi.

Atqui nullum ejusmodi frenum satis validum, constans, inevitabile humanis compescendis cupidinibus est præter religionis moralisque honestatis studium. Nam pœnas ab humana auctoritate infligendas animus prava cupidine inflammatus parum formidat, tum quia leviores eas existimat, tum quia vitaturum se illas sperat, re clanculum peracta, testibus ac judicibus vel corruptis vel oppressis, per fugam denique elabendo In humana vero societate qualibet quo magis religionis honestatisque amor et cultus imminuuntur, eo minus pœnæ scelerum improbis timendæ sunt, eoque minoribus humanæ libidines frenis cohibentur. Honestatis enim et religionis studio in plerisque civibus imminuto, negligentius magistratus invigilant; minus arrecti ad

crimina cognoscenda et comprimenda instant, minus solertes ad nefarios homines persequendos et comprehendendos civilis justitiæ ac publicæ vis administri accurrunt; facilius illi omnes, sive magistratus sive administri, scelestorum et minis terrentur, et fraudibus capiuntur, et auro corrumpuntur, crescente simul et improborum audacia, qua illi sint ad teterrima quæque parati, et scelerum multitudine atque immanitate, quibus rei publicæ administratio vehementius in dies impeditur ac perturbatur. Ergo, religionis et honestatis freno deficiente, eo minus pessimæ quæque hominum cupidines ad omnia flagitia incitantes coercentur, quo major earum compescendarum urget necessitas.

Atqui protestantismus suapte natura tendit ad religionis omnis et honestatis studium in mortalium animis extinguendum : ille namque necessario ad rationalismum, ad scepticismum, ad incredulitatem in religiosa moralique omni re inducit, ut jam probatum est (1315, prob. 1° et 3°). Ergo, etc.

III. Protestantismus tendit suapte natura ad naturales planeque necessarias ordinum, honorum, potestatum ac fortunarum differentias in civili ac politica omni societate delendas, ita ut ex ejus principiis nemo alteri præstare in civili ordine ac politico possit, naturali aut alio quocunque jure, quod a multitudinis universæ libera consensione non prodierit. Etenim, quum omnem auctoritatem *directe* et aperte protestantismus in religioso ordine prorsus evertat, omnesque *pariter* homines in hoc ordine judices supremos, omnes æque magistros, duces, reges, ac proinde omnes *pares* constituat, multo magis eosdem docebit esse in civili ordine ac politico pares oportere : naturalia namque omnia *supernaturalibus* subesse ac servire debent, et naturalis ordo ad supernaturalem, quoad ejus fieri potest, conformandus et aptandus est. Ergo, quum propria protestantismi indoles ad omnes homines in ordine religioso coæquandos, sublata omni inter eos differentia, semper ac maxime tendat (*caractère essentiellement niveleur*), absolutam hanc omnium æqualitatem ille in civili etiam ordine ac politico et *theoretice* affirmabit, et *practice* inducere in rem publicam omni vi conabitur : inde *socialismus* et *communismus*.

Atqui vehementes ejusmodi ad socialismum et communismum propensiones plurimum profecto pertinent ad civilem et politicum ordinem labefactandum. Neque enim diu constare civilis et politica societas potest, nisi tuta et inviolabilia sint unicuique civi

rerum suarum dominium et proprietas, familiæ suæ libertas; nisi honorum, fortunarum et potestatum differentiæ in diversis familiis diversisque civium ordinibus perstent a cæcæ multitudinis arbitrio minime pendentes : quæ sane paululum consideranti sunt per se evidentia.

Ergo protestantismus, qui ex propria indole sua religiosa est essentialiter iis omnibus fortunarum, honorum et potestatum differentiis a multitudine ipsa non concessis plane infensus, ordini civili et politico suapte natura est vehementer periculosus.

Ergo, etc.

1318. COROLL. 1. — Eadem factorum evidentia et experientiæ testimonium apertissimum, quo pos. 649am de malefica protestantismi vi ad christianam omnem religionem delendam spectante confirmavimus, huic alteri suffragatur positioni, in qua pestem ac perniciem civili etiam ordini et politico ostendimus a protestantismo creari oportere, si libere ille suum virus in hominum societates effundat. Quod sane protestantes ipsi non raro confitentur. « Primi *Reformatores*, ait scriptor quidam (*a*), jus edixerunt Scripturas privato judicio interpretandi : horrenda inde mala prodiere. Muncerus privato suo judicio ductus reperit in Scripturis manifeste damnatos titulos omnes nobilium familiarum, damnatos item magnorum prædiorum dominos, tamquam impiæ usurpationis scelere obstrictos; suosque hortatus est, viderent ipsi num ita res haberet. Re perpensa hi, Deique ope invocata, ad impios homines ferro flammaque delendos aggressi sunt, eorumque sibi prædia vindicarunt. *Nostrum modo sit dominari!* adclamabant rusticani homines, quoties in eorum manus vir aliquis nobilis incideret. Privato eodem judicio illud

(*a*) « Les premiers réformateurs proclamèrent le droit d'interpréter les Écritures selon le jugement particulier de chacun ; les conséquences en furent terribles... Le jugement particulier de Muncer découvrit dans l'Ecriture que les titres de noblesse et les grandes propriétés sont une usurpation impie, et il invita ses sectateurs à examiner si telle n'était pas la vérité. Les sectateurs examinèrent la chose, louèrent Dieu, et procédèrent ensuite par le fer et le feu à l'extirpation des impies, et s'emparèrent de leurs propriétés. — *A notre tour d'être les maîtres !* disaient les paysans à chaque noble devenu leur prisonnier. — Le jugement privé crut aussi avoir découvert dans la Bible que les lois établies étaient une permanente restriction à la liberté chrétienne : et voilà que Jean de Leyde, jetant ses outils, se met à la tête d'une population fanatique, surprend la ville de Munster, se proclame lui-même roi de Sion, et prend quatorze femmes à la fois, assurant que la polygamie est une des libertés chrétiennes, etc. (*O'Callaghan* apud Augustum Nicolaum, *Du protestantisme et de toutes les hérésies dans leur rapport*, etc. Paris, 1852, p. 140.)

aliud inventum est in Scripturis traditum, legibus omnibus humanis christianam libertatem apertissime violari. En igitur confestim Joannes Leidensis, qui, artis suæ abjectis instrumentis, furenti se multitudini ducem exhibet; urbem Monasterium ex improviso capit; Sionis regem se ipsum denuntiat; quatuordecim simul uxores ducit, polygamiam utique ad christianam libertatem pertinere affirmans. » . . . .

Hanc civilium politicarumque rerum perturbationem a protestantismo, ubicunque ille potuit libere pervagari, statim invectam Ludovicus Blancus, præcipuus quidam hac ætate *socialistarum* dux, ingenue et ipse tribuit *essentialibus* hujus hæresis principiis, optimeque animadvertit, primos illos protestantismi assertores, sibi ipsis mentientes, nequaquam fuisse ausos e suis principiis educere omnia quæ in illis continerentur (*a*). Seculo

(*a*) « Le XVI[e] siècle fut le siècle de l'intelligence en révolte ; il prépara, en commençant par l'Eglise, la ruine de tous les anciens pouvoirs : voilà ce qui le caractérise. Telles furent les primitives données du protestantisme. Et quant à ses conséquences, ne les pressentez-vous point déjà ? Ce pape qu'il s'agit de renverser, c'est un roi spirituel, mais enfin c'est un roi. Celui-là par terre, les autres suivraient. Car c'en est fait du principe d'autorité, pour peu qu'on l'atteigne dans sa forme la plus respectée, dans son représentant le plus auguste ; et tout Luther religieux appelle invinciblement un Luther politique. — L'autorité des Ecritures n'était qu'un vain palliatif. Que servait d'affirmer l'infaillibilité des Ecritures, quand on niait le droit de l'Eglise à en donner le sens ? Mis sans commentaire sous les yeux de la multitude, le texte saint pouvait-il ne pas ouvrir carrière à une lutte ardente, où chacun apporterait le témoignage et l'orgueil de sa raison ? — Luther et Calvin manquèrent de logique et d'audace : ils avaient invoqué la souveraineté de la raison contre Rome, non contre les Ecritures. — Ils n'en manquèrent pas moins en politique et en applications sociales. Le pape une fois abattu, Luther entendait-il pousser droit aux maîtres de la terre ? Le peuple souffrait par l'âme et par le corps, il était superstitieux et misérable : double servitude à détruire ! Luther entendait-il y porter la main ? Non ; car en ce révolutionnaire le moine resta... Luther recula d'épouvante. Voilà pourquoi il se hâtait de séparer l'âme du corps, ne désignant aux coups des peuples soulevés que les tyrannies spirituelles, et voulant que les tyrannies temporelles demeurassent inviolables... Mais on n'arrête pas la pensée en révolte et en marche. Réclamer la liberté du chrétien conduisait irrésistiblement à réclamer la liberté de l'homme. Luther, qu'il le voulût ou non, menait droit à Münzer. Le cri qu'il avait poussé contre Rome, des milliers de voix l'allaient pousser contre les rois, les princes, les contempteurs du peuple, les oppresseurs du pauvre : nous voici à la guerre des paysans ; nous voici au prologue de la révolution française. Doctrine de la fraternité humaine proclamée dans le tumulte des camps et des places publiques, convictions saintes et pourtant farouches, dévouements sans bornes, scènes de terreur, supplices, grands hommes méconnus, principes de céleste origine renversés en vain dans le sang de leurs défenseurs, voilà par quels traits la révolution française s'annonce dans la guerre des paysans » (*Ibid.* p. 143).

sexto-decimo ait ille fuisse artem rebellionum perfectissimam inventam; eo seculo perniciem publicarum omnium potestatum fuisse per novas eas doctrinas præparatam; id ejus seculi proprium opus, eam protestantismi propriam fuisse ab initio naturam. Quæ vero exinde sunt consecuta, commemorans, sapienter addit, Romano Pontifice, rege *spirituali*, everso, reges alios necessario fuisse evertendos; unam esse regum *temporalium* et Romani Pontificis causam; *auctoritatem* in omnibus illis oppugnari; ubi hæc in principe quem populi maxime omnium venerantur, vel minimum læsa fuerit, actum esse de cæterorum omnium principum auctoritate; Lutherum aliquem politicum ex ineluctabili necessitate supervenire Luthero cuilibet religioso. Rectissime etiam illa subjungit : Scripturarum auctoritatem, ad quam Protestantes illi provocabant, vanum fuisse nomen ad rem dissimulandam usurpatum; frustra dici Scripturas infallibiles, quando sensus determinandi jus Ecclesiæ denegatur; eas sine certis commentariis multitudini universæ traditas unicuique homini prædam fore, in usum *individualium* cupiditatum a superba uniuscujusque ratione convertendam; Luthero et Calvino audaciam et logicam constantiam defuisse, quum individualem rationem docuerint Romanis decretis præstare, at Scripturis non item; eadem animi imbecillitate ac logica inconstantia eos in ordine politico suisque principiis ad rem socialem applicandis laborasse; ex duplici fuisse populos servitute, animi et corporis, interna et externa, religiosa et politica, eruendos; priore illa sublata, Lutherum non esse ausum ad alteram aggredi, propterea quia rebellis iste monachum adhuc olebat, ait Blancus, sed verius dicemus, quia principum *temporalium* auxilio vel saltem conniventia turpis hæresiarcha egebat, ut *spiritualem* Romani Pontificis principatum posset oppugnare. Lutherum igitur ait Blancus perterritum resiluisse; at humanæ mentis ad rebellionem in cæca multitudine jam concitatæ nequaquam posse impetum frangi aut retardari; *christianorum* libertate vindicata, ad *hominis* ipsius asserendam libertatem esse necessario progrediendum; quas voces Lutherus contra Romanum Pontificem jecerat, ab infinita rebellium multitudine contra reges omnes ac principes necessario retortum iri; ex eodem illo fonte jam tunc debuisse emanare et Germanicum rusticanorum bellum, et Gallicas seditiones turbasque horrendas.

Catholicorum argumenta protestantibus evidenter jampridem

demonstrantium protestantica ista licentia omnem religionem, omnem socialem ordinem everti ac destrui, spernebant pervicaces hæretici. Quid tum altissima Dei providentia? Anabaptistis, sophistis, terroristis, socialistis illud munus commisit, ut factis potius quam verbis palam ostenderent, quo tandem protestantica principia rem privatam et publicam suapte natura deducant.

Coroll. 2. — Prostentantium vitia, ex pessimæ istius hæresis principiis sua sponte pullulantia, enumeravit nuper singillatim ac descripsit pulcherrime Gasparina, nobilis femina, acerrima protestans, in libello superius laudato, in quo multa jam protestanticæ superbiæ, temeritatis ac stultitiæ argumenta indicavimus. Quæ quidem vitia confidenter egregia femina explicat, quippe quæ sibi persuadeat fœdissimas eas labes non ab ipsa protestantismi natura, sed ab hominum imprudentia et improbitate omnes enasci. Nos vero, qui *a priori* demonstravimus has pestes omnes ex protestantismi natura ipsa progigni oportere, dum eorum vitiorum quibus protestantica gens fœdatur et corrumpitur, veritatem a teste gravissimo, quamvis femineo, discimus, hoc semper apud nos firmiter constitutum habebimus, in eos morbos, in eas turpitudines, in eas calamitates ob suum ipsum protestantismum sectas protestanticas omnes devenisse; quumque mali catholici continuo boni fiant, ubi ad principia catholica vitam suam exigant, protestantes contra eo semper deteriores futuros, quo pressius protestanticæ doctrinæ in vitæ suæ ratione componenda inhæreant.

En igitur brevem catalogum triginta vitiorum quibus protestantes, Gasparina quidem auctore ac teste, laborant :

1° *Jactantia pharisaica.* — Singuli peccata sua fatentur ; at de sectis suis loquentes imitari solent pharisæum orantem : « Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum » (*a*).

2° *Contradictiones quibus secum ipsi pugnant.* — Papistas damnant, quod auctoritati Ecclesiæ in fidei doctrinis statuendis innitantur ; at idipsum et ipsi faciunt (*b*).

(*a*) « Nous avons fait souvent au nom de nos Eglises... le métier du pharisien. Homme par homme, nous nous frappons la poitrine ; reunis en corps, nous avons quelque velléité de nous tenir debout, etc. » (*Quelques défauts ; avant-propos*, p. IV).

(*b*) « Un chrétien... disait encore que nous sommes papistes dans l'âme..., et ce disant, il disait vrai. — Nous sommes beaucoup plus catholiques romains que nous ne le croyons, etc. » (*Ib.*, p. 14).

3° *Misanthropia.* — Statim atque ad Christum se per veram fidem rediisse existimant isti boni, seorsum ab omnibus qui non prorsus in omnibus illis assentiantur, recedendum sibi statuunt (*a*).

4° *Imprudens rerum honestarum interdictio.* — Quæ in externa vitæ consuetudine honeste prius a se fieri, hominibus ac rebus utendo, putabant, rejiciunt deinde, ad meliorem frugem reversi, damnantque indiscriminatim, nullo rationis adhibito prudenti judicio (*b*).

5° *Pharisaicus oris et totius corporis habitus.* — Exquisitos nimirum habent vocis, oculorum, cervicis flexus ; nil in sermone sincerum et explicatum ; non audent nisi personati prodire (*c*).

6° *Colloquiorum pietas superstitiosa.* — Existimant sibi nequaquam licere inter se colloqui de ulla re, quamvis honesta, quæ non ad fidei quæstiones, ad facta religiosa, ad *regnum Dei* directe pertineat (*d*).

7° *Sermonis ridicula peregrinitas et vanitas.* — De divinis rebus colloquentes, vacua vocabula, exclamationes, cantilenas adhibent; obscurissimas res, quas nemo intelligat, effutiunt ; linguas quodammodo incognitas usurpant (*e*).

(*a*) « Autrefois... un chrétien ne voulait voir, ne voulait entendre que des chrétiens sortis du monde, il croyait devoir rompre avec les gens qui ne pensaient pas comme lui : c'était un premier, un indispensable acte de foi. Nous n'en sommes plus là, j'entends le gros des frères... En sommes-nous bien loin ? etc. (*Ib.* p. 16).

(*b*) « Tout ce qui formait auparavant notre vie : les rapports avec les hommes, les rapports avec les choses, tout cela subit non-seulement l'examen nécessaire d'une conscience renouvelée, mais tout cela un peu en bloc, sans y regarder de bien près et par le fait seul d'une existence antérieure à notre réveil, tout cela ou presque tout cela subit une sentence d'excommunication, etc. » (*Ibid*).

(*c*) « Nous avions et nous avons encore une figure, j'ai envie de dire un masque, des inflexions de voix, des façons de regards, une pose de tête, un langage, qui sont nos phylactères à nous et nos longues franges » (*Ib.* p. 40).

(*d*) « Le formalisme qui a circonscrit le cercle de nos relations, le bornant aux seuls chrétiens, circonscrit le cercle de nos sujets de conversation, le bornant aux seules questions, aux seuls faits religieux. Pendant longtemps, et pour beaucoup ce temps dure encore, on a cru ne devoir parler que de ce qui regardait directement le règne de Dieu, etc. » (*Ib.* p. 30).

(*e*) « A bien des égards, nous parlons encore des langues inconnues. Nous avons une tendance à employer je ne sais quels idiomes étrangers... qui sont barbares aux gens du monde, et parfois à nos frères... En entrant dans de certaines réunions, composées de chrétiens sincères mais formalistes, un homme simple croit encore entendre *des langues*. Il voit des gens très-sérieux, très-touchés, qui évidemment s'entretiennent de Dieu et avec Dieu, mais il ne saisit rien de perceptible à l'intelligence : beaucoup de mots, beaucoup d'exclamations, une espèce de parler chantant, etc. » (*Ib.* p. 18 et suiv.).

8° *Egoismus* et *sensualismus*. — Nihil et neminem, nisi seipsos suamque delectationem, amant et quærunt. Ne uxorem, ne filios quidem suos permulti diligunt. Omnia pro instrumentis quibusdam habent a Deo concessis ad voluptatem sibi comparandam (*a*).

9° *Idololatria* et *pantheismus*.—Adorant opinionem, sensum et *prædicationem* suam. Sese quodammodo putant æquales Dei, ac Deum in se ipsis gestare se, et quasi in Deum conversos judicant (*b*).

10° *Quietismus*. — Quoniam Deum se in seipsis immutabiliter gestare credunt, atque omnia in illis a Spiritu Sancto fieri persuasum habent, non est cur sibi caveant; peccare nequeunt (*c*).

11° *Effrenata in omnibus licentia*. — Unusquisque sibi lex unica est (*d*).

(*a*) « Le mystique, s'il aime encore, aime pour cette vie seulement; il ne s'en cache pas. Les créatures sont des instruments de bonheur ou d'épreuve que Dieu a mis tout exprès pour lui sur sa route, mais auxquels son cœur ne saurait s'arrêter... Il ferme les yeux d'un père, d'une femme, d'un enfant, sans que son sein se déchire; non parce qu'il a saisi les promesses et que pour lui ces morts sont à jamais vivants à la droite de Jésus vainqueur qui les a rachetés, mais tout simplement parce qu'il ne les aimait que pour un temps, comme on aime la fleur charmante, mais bientôt flétrie, qui borde le chemin; parce que son grand amour, son amour vivace, c'est lui-même; parce qu'il est un égoïste... Egoïsme, c'est toi qui taris les yeux du mystique, c'est toi qui donnes cette sèche, cette claire immobilité à ses traits, etc. » (*Ib*. p. 73.) « On nous montre la règle divine, et nous montrons l'utilité humaine. On nous dit : « Il est écrit, » et nous répliquons : « Je sens! » On s'écrie : « Voilà qui est défendu! » et nous nous écrions : « Cela fait beaucoup de bien! » (*Ib*. p. 60.)

(*b*) « Ils s'adressent (*beaucoup de chrétiens*) le plus souvent à un auditoire peu éclairé, plus contemplatif que raisonnable, disposé, par le vent qui court et par l'orgueil naturel, à l'enflure, à l'égalité jusqu'avec Dieu, et cet auditoire s'en va persuadé qu'il porte Dieu quand même. C'est du panthéisme. Les adeptes n'en sont pas à s'adorer eux-mêmes, enfoncés dans l'abstraction de leur moi, comme je ne sais quel disciple de Hégel qu'un camarade trouva couché en travers de son lit, et qui, aux cris de son compagnon, se releva solennellement, et lui dit : « Je m'adore! » — Non, mais s'ils ne s'adorent pas eux-mêmes en chair et en os, ils adorent leur idée, leur sentiment et leur prédication » (*Ib*. p. 65).

(*c*) « Qui est monté ou descendu à ce mysticisme-là, arrivera nécessairement aux monstruosités abstraites, aux dérèglements effectifs du quiétisme : ce sera plus, ce sera moins, ce sera toujours. — Dès que je porte Dieu en moi, invariablement, dans mes infidélités comme dans mon obéissance, dans mes chutes comme dans mes relèvements; dès que c'est le Saint-Esprit qui fait toute la besogne chez moi, je suis bien tranquille; je ne suis plus pécheur, je n'ai plus besoin de veiller » (*Ib*. p. 66).

(*d*) « Vous me parlez de loi; mais où y a-t-il une loi pour moi, pour l'homme qui possède vivant en lui, toujours, quoi qu'il en soit, le Dieu qui

12° *Bibliorum et publicarum veritatum neglectus.* — Parvi pendunt veritatem in sacris Bibliis traditam. Sacra ipsa Biblia negligenter jampridem et arroganter habebant, quum eorum divinitas a protestantibus non paucis impugnari cœpit (*a*).

13° *Divina Bibliorum inspiratio negata.* — In hanc teterrimam hæresim necessario erat protestantica licentia multos deductura (*b*).

14° *Stupida ad errores quoscunque conniventia.* — Quantumcunque absurdæ et odiosæ opinationes proponantur, nihil admodum illi moventur. Cœnum omne versant tranquille. Errores omnes blande excipiunt, erroribus omnibus securi adrident (*c*).

15° *Incredulitas.* — Christiana fide ex eorum animis sublata, nil jam habent quo se ab incurrentium errorum impetu defendant (*d*).

16° *Ignavia*, – quam incredulitas necessario gignit. Utraque vero illos et a salutaribus veritatis vinculis eximit, et simul in errorum quorumlibet servitutem emancipat (*e*).

17° *Judiciorum futilitas.* — Subtilia, minuta, inania persequuntur ; vanos affectus, cæcasque animi permotiones sectantur, iis se credunt, iis plane acquiescunt. Seriam gravemque rerum disquisitionem fastidiunt, reformidant (*f*).

a fait la loi, le Dieu qui est loi? La loi, mais c'est moi, je n'en reconnais point d'autre » (*Ib.* p. 66).

(*a*) « La vérité de plus ou de moins dans un livre ou dans une œuvre, j'entends la vérité biblique, nous importe peu... La désolante hérésie qui nie l'inspiration de la Bible a beaucoup moins créé un mal nouveau que manifesté un mal existant. On en prenait à son aise avec l'Ancien et le Nouveau Testament, bien avant que des attaques directes eussent battu en brèche les livres du Nouveau et de l'Ancien Testament. Ce n'est pas l'école de tel ou tel professeur qui nous a faits ce que nous sommes, c'est nous qui avons fait cette école » (*Ib.* p. 92, 93).

(*b*) *Loc. ult. cit.*

(*c*) « L'erreur ne nous épouvante point. — On peut nous présenter les idées les plus absurdes, les plus burlesquement odieuses, elles ne nous indigneront pas... Nous trouverons que, malgré les apparences, il y a bien du bon dans cette boue... On accueille tout, on sourit à tout, on laisse passer le moucheron, et après le moucheron le chameau : toute erreur est un chameau » (*Ib.* p. 93, 94).

(*d*) « Notre incrédulité a levé les herses et baissé les ponts-levis ; notre âme n'est plus une forteresse, c'est une place publique où passe et s'arrête à son gré tout venant » (*Ib.* p. 94).

(*e*) Il y a quelque chose qui décidément nous effraye et que nous n'aimons point : ce sont les questions sérieuses. La paresse est un fruit de l'incrédulité : l'une comme l'autre brise nos chaînes du côté de la vérité, les rive du côté de l'erreur » (*Ib.* p. 95).

(*f*) « Du sentiment, des impressions, des subtilités, des cheveux partagés en quatre, des interprétations bizarres à tel texte fort simple, du nouveau et du

18° *Servilis timiditas.* — Omnino sibi esse credendum aut agendum statuunt quidquid frater aut minister quispiam præstantior, aut cœtus quidam hominum fallibilis affirmaverint, vel agere consueverint. Metuunt usque trepidi quid hic tandem vel ille dicturus sit. *Omnipræsentiam* fratrum magis quam Dei verentur (*a*).

19° *Privatorum tyrannis.* — Apud illos alii musicam, alii picturam, alii urbanam hominum consuetudinem vetant; lii tabaci usum, alii quævis itinera non prorsus necessaria condemnant; ille deambulantes die dominico, iste legentes aliud quodcunque præter sacras orationes increpant, alii denique alia infinita pro arbitratu suo prohibent (*b*).

20° *Credulitas ad omnia versatilis.* — *Fluctuant et circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum* (Ephes. IV, 14). Judicio et critice prorsus carent. Omni vel stultissimo errori latissimus semper ad eos aditus patet (*c*).

21° *Christianæ doctrinæ ignorantia.* — Veritatem in sacris Bibliis contentam prorsus ignorant. Inde tot apud illos errorum monstra, tot sectarum myriades (*d*).

22° *Animi agitatio morumque turbulentia.*—Nequeunt animum suum intra se colligere et continere. Externæ operationis quasi

vieux, tant que vous voudrez; nous nous en contenterons, nous nous en charmerons, nous y donnerons le meilleur de notre temps avec le plus clair de nos pensées. Des questions sérieuses, sérieusement traitées; un examen;... oh! cela, jamais » (*Ib.* p. 95, 96).

(*a*) « Un homme, ce pasteur en renom *a dit*; un homme, ce chrétien excellent *a fait*; cette assemblée fidèle mais faillible *a pour habitude*... et nous voilà liés... Auprès, au loin, le que *dira-t-on* des frères, pas des plus fidèles au moins, mais des plus despotes, de ceux qui font le plus de bruit, nous poursuit et nous guette. — La toute-présence de Dieu est beaucoup moins un fait pour nous que la toute-présence des frères. A cause des frères nous agissons, à cause des frères nous nous abstenons, etc. » (*Ib.* p. 128, 129).

(*b*) « Celui-ci proscrira la musique, cet autre la peinture, beaucoup la vie au milieu du monde; un troisième viendra qui condamnera les voyages, un autre la promenade le dimanche, un autre le tabac, un autre la lecture de tout ce qui n'est pas sermon... que sais-je encore?... Nous sommes tyrans incurables » (*Ib.* p. 121, 122).

(*c*) « Notre siècle est le siècle versatile par excellence... *Nous flottons, portés çà et là par tout vent de doctrine, par la tromperie des hommes,* des bons qui errent de bonne foi encore plus que des méchants qui nous enlacent avec perfidie. Nous manquons absolument de discernement et de critique. Je ne sais pas d'erreur assez folle qui ne trouve ouverte à deux battants la porte de notre âme que ne garde plus l'amour de la vérité » (*Ib.* p. 134).

(*d*) « L'ignorance est mère du mensonge. Notre ignorance de la Bible enfante nos erreurs et nos sectes » (*Ib.* p. 137).

turbine quodam acti, ad tranquillam commentationem prorsus inepti fiunt. — Multis externis curis premuntur, anguntur, suffocantur. Eunt, redeunt, cursitant, strepunt; — omnes et omnia curant præter seipsos (*a*).

23° *Pietas morosa et mœstitia perpetua.* — Semper sunt ad querimonias, ad suspiria, ad gemitus parati. Sua ipsorum gaudia, si qua lucescant, lamentantur. Languent, tædio conficiuntur; sæpe alios, multo sæpius se ipsi fastidiunt. Mancipia dixeris miserrima (*b*).

24° *Ingenium adversus publicam auctoritatem seditiosum.* — Non pauci doctrinas eas amplexi sunt, quibus publicus omnis ordo subvertitur; omnes generaliter sunt ad politicas seditiones propensi. Auctoritatem publicam ægre ferunt; eidem reluctari avent. Absurdam quamdam et periculosam renovationem socialem comminiscuntur. Æterna justitiæ principia conculcant, modo præsens sibi illatum damnum possint ulcisci; ac terrarum orbem universum ferro flammaque utique velint vastare, modo adversarios suos perdere utcunque possint (*c*).

25° *Temeraria ad docendum confidentia.* — In eorum conventiculis non raro indocti, imberbes, nullo rerum usu instructi, prodeunt coram doctis viris atque ætate provectis, controversias judicio suo finituri. Doctorem inter eos se præbet qui nunquam fuit discipulus. Feminæ ipsæ ministros arguunt; vitia corrigenda

(*a*) « Le tourbillon de l'activité extérieure combiné avec le tourbillon de la fraternité excessive nous rend à ce point incapables d'activité vraie, de réflexions, de mouvement propre et individuel, qu'une heure passée chez nous, si d'aventure nous l'avons, nous est à charge » (*Ib*. p. 182).

« Il y a beaucoup d'agitation chez nous, il y a de la presse, il y a de l'étouffement. Les aurores nous trouvent souvent debout, les nuits encore... Ces allées et ces venues, ces conversations, ce tumulte au dedans et au dehors, est-ce bien le labeur qui nous est proposé? » (*Ib*. p. 194).

(*b*) « C'est peut-être à ce mécontentement de nous-mêmes, doublé d'impuissance, qu'il faut rattacher la couleur essentiellement morose de notre piété moderne. La plainte habite nos lèvres, la tristesse oppresse notre cœur, les gémissements soufflent dans nos voiles. Plutôt que de ne nous lamenter point, nous pleurons au besoin nos joies. Nous marchons à pas tragiques, battus de l'aile, alanguis, ennuyés, dégoûtés souvent des autres, mille fois plus de nous-mêmes... Nous avons beau parler de notre bonheur, nous en parlons d'un ton lamentable, et le monde ne nous croit pas... Notre attitude est celle d'esclaves à la chaine » (*Ib*. p. 296, 297).

(*c*) « Nous sommes frondeurs... Quelques-uns d'entre nous se sont laissé gagner par des idées subversives de l'ordre public .. L'autorité nous ennuie, et... l'opposition nous amuse.. Nous sacrifions des principes éternels à des ressentiments d'un jour; nous nous vengeons sur le monde tout entier de nos injures particulières » (*Ib*. p. 267, 268).

in religioso cultu docent ; supremum remedium religionis languentis proponunt, Gasparina teste, femina clarissima (*a*).

26° *Domestica filiorum institutio imbecilla et mutila.* — Erga filios suos, non ut patrem et matrem, se parentes gerunt, sed ut æquales, ut servos. Plerique inter eos pueri contubernalem quemdam domi habent, aliquando magistrum ; patrem nullum. Vix precari filios suos, nunquam jubere audent (*b*).

27° *Communismus* et *socialismus.* — Non solum multi apud eos principia communismi aperte sectantur, sed illis nec opinantes adhærent qui videntur ea palam rejicere. *Fraternitatem* dicunt, quod vulgo *Communismus* appellatur : eadem tamen perstat res. — Radicalismus vero apud eos latissime vagatur tum in re theologica, tum in re politica : multi sane socialismum, nil tale cogitantes, colunt : omnes certe ad socialem omnium exæquationem plus minus contendunt (*c*).

28° *Torpor animi ac stupor.* — Trementes pendent ab ore magistrorum, qui aliis vicissim doctoribus trepidi serviunt. Anxii, solliciti, nil affirmare, nil negare audent. Horrent, si ducis jussa fregerint ; pavori pudor accedit, si obtemperent. Mœrorem ac formidinem dedecus ac turpitudo socordiæ servilis comitantur (*d*).

(*a*) « Il y a telle de ces réunions, où... les frères qui sont le moins avancés prennent le plus souvent la parole ; où l'on donne passage à toute idée mal mûre ; où la jeunesse, le manque d'expérience et le manque de savoir enseignent volontiers, tandis que la vieillesse et la science chrétienne se taisent ; où chacun se fait plus maître que disciple ; où l'on est prompt à parler, lent à écouter, etc. » (*Ib.* p. 257, 258).

(*b*) « Je regrette que le père soit le camarade de ses enfants, la mère leur sœur complaisante, leur bonne, faut-il dire, et trop souvent ne soient tous deux que cela... La plupart de nos enfants sont sans pères (je parle de ceux qui en ont). Ils ont un ami, ils ont un compagnon de jeux, ils ont un professeur (rarement)... Nous sommes pour nos enfants d'une faiblesse révoltante. La prière à voix hésitante a remplacé chez plusieurs d'entre nous le commandement net et résolu, etc. » (*Ib.* p. 276, 278, 281).

(*c*) « Le vent qui souffle sur le monde souffle aussi sur nous et souffle très-fort. — Non-seulement on trouve des chrétiens épris de quelques idées communistes, mais ceux même qui les rejettent en subissent l'influence. — Le mot de *fraternité* remplace pour eux celui de *communisme*, la chose reste la même ou à peu près, etc. » (*Ib.* p. 143.)

« Il y a parmi nous des chrétiens radicaux dans le sens politique et absolu du mot. — Il y en a beaucoup qui le sont dans l'application théologique. — Il en est plusieurs qui le sont par le côté social. Nous avons des frères révolutionnaires. Nous avons des frères darbystes. Nous avons des frères, conservateurs passionnés, qui, sans le savoir et sans le vouloir, font du socialisme égalitaire. — Si nous ne sommes pas tous radicaux, nous sommes tous plus ou moins niveleurs, etc. » (*Ib.* p. 217).

(*d*) « Vous, pauvre trembleur asservi aux consciences de tyrans, trembleurs

29° *Desperatio.* — Omnia defessis oculis circumspectant. Terrent futura ; pudet præsentium ; opprimit præteritorum memoria. Ebibunt quodammodo cum spiritu tædium quoddam ac desperationem, quæ ultimas in illis moralium virium reliquias absumunt (*a*).

30° *Patriæ contemptus atque odium.* — Non hic commemorabo tumultus, seditiones, bella intestina, quæ protestantismus intulit in omnes populos, quos aliquando invasit : taceo gallorum protestantium rebelliones contra regiam auctoritatem regiamque personam sæpius olim repetitas ; omitto latrocinia et cædes quibus omnes Galliæ provincias jam pridem impleverunt, extraneosque exercitus et gentes nobis tunc inimicissimas in suum auxilium vocatos : quæ omnia plaudentibus impuris istius hæresis primis auctoribus illi præstitere. Unico sit nobis exemplo Gasparina ipsa, femina clarissima, ut intelligamus quo tandem amore patriam suam hæretici isti prosequantur. Etenim, si quid francica fidelitate ac sinceritate indignum in hac re præseferat talis matrona, genere nobili, ingenio præclaro, animo excelso usque adeo præcellens, id omne profecto uni hæretico veneno, unde illa infecta est, tribui a nobis oportebit.

Jam vero occasionem illa non semel arripit, qua possit francicam suam gentem vituperare, calumniari, aliis gentibus postponere, modo illæ sint hæretica perfidia penitus imbutæ. Itaque libelli jam citati capite quinto, de protestantium suorum *radicalismo* disserens : « Absolutam omnium hominum æqualitatem volumus, ait, quia superbi, quia *Galli*, non quia christiani sumus. Id sacra Biblia, id superiora sæcula, id nostra tempora præsertim et gentes finitimæ testantur. Magnam illam christianorum gentem in Anglia florentem adspicite : nullibi unquam fraterna caritas major exstitit ; nullibi major humanæ dignitatis in quo-

comme vous devant d'autres maîtres ; vous irez, buvant aux fontaines amères, inquiet, le front soucieux, n'osant dire ni oui ni non en homme, travaillé par le remords quand vous aurez désobéi à vos directeurs, travaillé par les révoltes du bon sens et du bon droit quand vous aurez obéi, mal disposé à l'ouvrage, perplexe, effrayé, le cœur tout gonflé de secrètes rancunes : *esclave*, oui *esclave* avec tout ce que ce mot entraîne d'abaissement, d'incapacités, de misères sans nom » (*Ib.* p. 300).

(*a*) Nous promenons d'un horizon à l'autre un regard découragé ; l'avenir nous épouvante, le présent nous humilie, le passé nous accable ; rameaux flétris, nous pendons le long de l'arbre, et le monde, à nous voir si destitués de sève, se sent plus que jamais loin du Christ (*des protestants*) » (*Ib.* p. 297).

« Il y a dans l'air un découragement, une puissance de dégoût que nous subissons et qui achève de nous ôter la santé morale » (*Ib.* p. 313.)

cunque societatis publicæ gradu vigentis existimatio; nullibi major observantia ergа civium honores diversos, majorque in quibuscunque nobilitatis generibus perferendis modestia simul et gravitas. Quare in Anglia, ubi purissima servata sunt evangelica fides et mores, felicissime quoque ordo rectumque in omnibus judicium dominantur. At in Gallia longe aliter res habent. Seditionum venti in nos irruerunt; contremuere apud nos omnia; quæ jam vetustate labant, nos ipsi, facto impetu, evertimus » (*a*).

Atque in eodem capite paulo inferius: « Per sanguinem ipsum, inquit, quem in venis habemus, non sane per fidem quam suscepimus, sumus ad seditiones propensi! Angli minime turbulenti sunt. At Gallus omnis, quantumvis incredulus aut segnis, semper tamen ad turbas movendas paratus fuit, est, perpetuo erit » (*b*).

Vere « stultus homo despicit matrem suam » (*c*), et « os stultorum pascitur imperitia » (*d*)! Vere « excæcavit (Deus) oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde » (*e*)! Vere « os eorum locutum est superbiam » (*f*), et « mentita est iniquitas sibi » (*g*)!

Credo equidem, Gasparina, nobilis femina, te, dum hæc scriberes, plane delirasse, et, protestantico furore turbatam, nihil prorsus eorum quæ garrires, intellexisse. Quid enim! Nullibi major caritas fraterna quam in Anglia! Nullibi purior fides! Nullibi mores magis evangelici? Cur ergo toties fidem suam religiosam mutarunt, sub Henrico, sub Eduardo, sub Maria, sub Elisabetha, impurissima et crudelissima femina? Quo jure intemeratam fidem evangelicam prædicas eorum, quibus rex vel

(*a*) « Ces tendances ont leurs profondes racines... dans le sol de notre patrie. Nous sommes niveleurs, parce que nous sommes orgueilleux; nous sommes niveleurs, parce que nous sommes Français. La Bible et les siècles passés ne le diraient pas que les temps modernes et les pays voisins le prouvent. Regardez le grand peuple des chrétiens en Angleterre : nulle part plus d'amour fraternel, un plus haut sentiment de ce que vaut l'homme sur quelque échelon de la société que Dieu l'ait mis; nulle part un respect plus rigoureux des distinctions, une acceptation plus modeste et en même temps plus digne des supériorités en tout genre. C'est que l'Angleterre, qui est le pays de la foi et de la pratique évangélique, est en même temps, et par cela justement, le pays de l'ordre et du bon sens. — Chez nous, il n'en va pas ainsi. L'haleine des révolutions a passé sur nous; nos édifices en ont tremblé; les voyant décrépits, il nous prend fantaisie de les jeter tous par terre » (*Loc. cit.* p. 218, 219).

(*b*) « Frondeurs! — Nous le sommes par le sang qui coule dans nos veines : nous ne le sommes pas par la foi qui nous a été prêchée. Les chrétiens anglais ne sont pas frondeurs. Tout Français, pour incrédule ou tiède qu'il soit, fronde, a frondé, frondera » (*Ib.* p. 266).

(*c*) *Prov.* XV, 20. — (*d*) *Ib.* 14. — (*e*) *Jos.* 12. — (*f*) *Ps.* 16. — (*g*) *Ib.* 26.

regina est Papa vel Papissa, tu quæ unicum Papam esse unumquemque sibi, ex evangelica doctrina, ubique clamas (a)? tu quæ sacrilegam esse doces eorum audaciam, qui velint aliquid fratribus credendum imponere (b)? tu quæ mones peccare nos toties, quoties humanam aliquam sententiam, præter doctrinam revelatam quam privato et solitario studio nos ipsi in Scripturis invenerimus, audemus accipere (c)? Peccant ergo, tuo judicio, quotidie Angli, qui suam fidem a Rege vel Regina et a Majore Senatu accipiunt : scelesta est et sacrilega, te auctore, tota eorum religio, quæ capitibus illis a Rege et a Senatu impositis nititur : ab evangelica doctrina, si tibi credimus, omnino illi desciverunt. Eosdem vero tu ipsa confirmas in fide evangelica maxime perstitisse, nos autem Gallos nullo pacto ! Quid? A pristina sua fide nunquam Gallia defecit ; irrumpentes hæreticos legibus et armis compescuit ac repulit ; Henricum principem hæreticum a gallico sceptro prohibuit, donec ille ad avitam religionem se reciperet ; acerrima quæque ad ejus quassandam fidem machinamenta vicissim et simul adhibita sunt, Calvinistarum et Jansenistarum fraudes, Sophistarum impiæ diatribæ, Terroristarum patibula, Eclecticorum pantheistarum tyrannis, quin tamen illa unquam potuerit avelli a sanctissima illa religione quam ab Apostolis per primos eorum discipulos accepit : idcircone illa evangelicas doctrinas repudiavit, dum illæ in Anglia intemeratæ vigent ac florent?

Christiana etiam caritate in fratres Gallia catholica nimirum ab Anglia protestante, fœdissimorum quorumvis errorum seminario, longe superatur ! ab Anglia scilicet, ubi post abjectam veterem fidem tot millia civium honestissimorum crudelissimis suppliciis affecti sunt ac trucidati ob eam unam causam quod sacra Biblia vellent catholico more interpretari, nollentque profanæ Papissæ jugum subire ! ubi sacra cœnobiorum bona ad pauperes alendos destinata, quibus infinita reapse pauperum multitudo alebatur, occupata a scelestissimis prædonibus, direpta, retenta impune sunt ! ubi multas statim leges a regia condi auctoritate oportuit, ut publice consuleretur ingenti illi pauperum multitudini, quos privata caritas in viis, in agris tabescentes, ac

(a) Cf. n. 1314, coroll. 3. — (b) *Ib.* coroll. 1, II.

(b) « Toutes les fois qu'en dehors des enseignements de la révélation, qu'en dehors de la conviction, et par le simple mouvement d'une individualité qui s'efface, d'une responsabilité qui abdique, nous recevons une opinion ou une décision humaine, nous commettons un péché » (*Quelques défauts*, p. 113).

miserrime pereuntes plane deserebat! ubi pauperes tributo per vim imposito alendi sunt, hodieque aluntur! ubi maximus virorum ac feminarum numerus, in altissimis fodinarum antris et cryptis a nativitate ipsa consepulti, non solum ægerrime, sed ferarum omnino ritu vivunt, omnibus religiosæ, moralis, civilis institutionis adjumentis destituti! ubi immane scelus abortus de industria procurati nulla pœna dignum jurati judices publica sententia censent! ubi permulti parentes inedia lentisque tormentis infantes suos enecant, ut pecunia ad eorum sepulturam destinata potiantur, eamque sibi attribuant! Habesne in Anglia Vincentios a Paulo, Joannes Franciscos de Regis, Sorores a caritate, Fratres a scholis christianis, Parvas Sorores pauperum? Habesne ullum ex Anglis ministris aut episcopis, qui *sine sacculo et pera*, sine uxore, sola comite paupertate, per infinitos labores et pericula, patrio solo, domui, amicis, propinquis in perpetuum valedicens, ad barbaras gentes viam salutis docendas proficiscatur, pro iisque diris se tormentis objiciat, vitam cum sanguine promptissimo animo effundat, quales ministros et episcopos magno numero Gallia nostra quaquaversus mittit? In hac tu Gallia nullam reperis fraternam caritatem, quam in Anglia uberrimam vides! Heu portentum temeritatis et impudentiæ!

Turbulentos ais esse Gallos, ac seditionum amatores; Anglos vero prædicas ordinis et pacis studiosissimos. Num vero nos priores regi nostro caput truncavimus, an Angli? Num regium principatum nos priores sustulimus, an Angli? Num in democraticos furores corruimus nos priores, an Angli? Undenam erupere, nisi ex Anglia, politicæ illæ stultissimi simul ac scelestissimi *liberalismi* doctrinæ, quibus Gallia per annos sexaginta perturbata est? Numquid earum insaniarum simile unquam in Gallia exstiterat ante exortam protestanticam hæresim, quin imo ante politicos eos errores ex Anglia finitima importatos? Quis enim nescit, omnes eos Sophistas, quos per summam calamitatem plurimos sæculum superius protulit, a quibus pessimæ quæque doctrinæ contra supernaturalem religionem quamcunque, contra regiam majestatem, contra politicam quamlibet auctoritatem per omnem Galliam sparsæ ac propagatæ sunt, *anglomanicos* omnes, tui similes, fuisse, atque ab anglis scriptoribus sua dogmata esse mutuatos? Flaverunt utique in hanc gentem *christianissimam* seditionum venti: at in Gallia minime reperias antra, unde ii venti primum in nos irruerunt.

Sed quid ego immoror iis garritibus comprimendis, quorum insaniam puer quivis catholicus per se facile intelligat? Sunt in manibus omnium Cobetti epistolæ, quæ unæ sufficiunt ad earum calumniarum insolentissimam temeritatem plane ostendendam.

COROLL. 3. — Ex omnibus quæ adversus protestanticam pravitatem disputavimus, hæc duo denique cordatus omnis adolescens colligat :

I. Nulla supernaturalis religio, nulla quoque religio *socialis* ullibi possibilis est sine aliquo hujus religionis judice vivo, cujus sententiæ divinam revelationem interpretanti omnes teneantur acquiescere, ac proinde sine aliquo interprete religionis *vivo* et *infallibili*.

II. Nec protestantes, nec alii hæretici ulli admittendi unquam sunt ad disputandum de peculiari ullo religionis capite; sed in ipso limine arcendi sunt et cogendi, ut demonstrent, unde veniant, qua auctoritate doceant, unde suam doctrinam acceperint, quibus principiis nitantur. Quumque nullam sibi possint divinam originem, divinam auctoritatem, infallibilia principia non absurde vindicare, explodendi continuo sunt, et, nisi boni publici ratio vetet, pro merito suæ rebellionis puniendi.

Aureis ergo verbis Tertulliani hunc articulum absolvemus : « Ex ipso ordine, ait ille (*a*), manifestatur id esse dominicum et verum quod sit prius traditum : id autem extraneum et falsum quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterum, si quæ audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere : Edant ergo origines ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem ». Et inferius (*b*) : « Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit; constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hære-

(*a*) *De præscr. adv. hæret. c.* 31. — (*b*) *Ibid. c.* 37.

tici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non christiani, nullum jus capiunt christianarum litterarum; ad quos merito dicendum est, qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo: vos certe exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos ».

ARTICULUS V.

De Gallicanismo.

1319. Notandum. 1. — Ecclesiæ auctoritatem protestantismus palam oppugnat aperteque negat: eamdem gallicanismus per dolum et quasi per cuniculos subruit, a propria illam sede removens, in qua fuit a Christo Domino collocata, ut eam transferat in illos, quibus nequit ex divina Ecclesiæ constitutione competere,

Est nempe gallicanismus erronea quædam circa Ecclesiæ auctoritatem doctrina, quatuor illis famosæ *declarationis* articulis comprehensa statuentibus:

I. Summo Pontifici et Ecclesiæ nullam esse a Deo traditam potestatem rerum civilium ac temporalium, ac proinde reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici;

II. Generale Episcoporum concilium esse Romano Pontifice superius, ita ut illi Romanus ipse Pontifex, etiam extra schismatis tempus, obsequium et obedientiam debeat;

III. Romanum ipsum Pontificem nihil posse in canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, nihil in regulas, mores et instituta a regno et ecclesia gallicana recepta ac terminos a Patribus præfixos;

IV. Nequaquam esse judicium Romani Pontificis, sive in fidei

quæstionibus, sive in decretis quibuslibet, irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

NOTANDUM 2. — Quinque potissimum causæ fuerunt, unde pestifera gallicanismi doctrina originem traxit :

1a Seditiosa omni tempore malarum passionum indoles;

2a Magni schismatis Occidentalis reliquiæ;

3a Protestantismi contagio;

4a Jansenistarum fraudes;

5a Ludovici XIV regis superbia conjuncta cum virorum quorundam, ejus impotenti arrogantiæ blandientium, temeritate animoque imbecillo.

Et 1° quidem, superiorum temporum memoriam repetendo, tum nonnullos alios clericos, tum duos præsertim invenimus, qui seditiosos gallicanismi errores præformarunt, Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, et Gerbertum, monachum Auriacensem, qui postea fuit Silvester II. Quod ad Hincmarum pertinet, quem *Bossuetum noni sæculi* jure ac merito dixerimus, ingenio illum et doctrina et eloquentia mirabilibus viguisse scripta illius et facta testantur, unde etiam novimus superbum illius et pervicacem animum, insignemque ferociam et perfidiam. Etenim a Leone IV confirmationem synodi Suessionensis in qua Ebbo depositus, ipse electus fuerat, oblatis Sedi Apostolicæ Actis mendaciorum plenis, audet repetitis legationibus postulare (*a*). A Leone repulsus, eamdem a Benedicto III in ipso ejus pontificatus ingressu per dolum surripit; in Benedicti epistola quædam ipse fraudulenter addit, quædam aufert (*b*). Ejusdem synodi et privilegiorum quorumdam iterum post decennium a Nicolao I confirmationem surripit (*c*). Rhotaldum, Suessionensem Episcopum, optimum senem, in Ecclesiæ castris magna semper cum laude versatum (*d*), quantumlibet Sedem Apostolicam appellantem, deponit, in monasterium detrudit (*e*). Adversus Hincmarum, Laudunensem Episcopum, sororis filium, quem ipse consecra-

(*a*) Baron. *Annal.*, ann. 853, nn. 13 et 14, et ann. 866, nn. 56, 57.

(*b*) *Ibid.*

(*c*) *Ibid.*, ann. 863, n. 64 ; et ann. 866, nn. 57, 58. « Frater vero Hincmarus, ait Nicolaus Papa, quædam addens, plura subtrahens vel commutans, aliter persecutus est. — Sed adhuc et in alio mira fratris Hincmari rursus acredit astutia, et soli proprio voto favens se immiscet prudentia. » Et paulo inferius : « Sed ille quæ horum suo libitui favere conspexit, omnium notitiæ patefecit : quæ autem Sedi sunt Apostolicæ reservata jura, cunctorum notioni subduxit. » (*Loc. ult. cit.*)

(*d*) *Ibid.*, ann. 863, n. 81. — (*e*) *Ibid.*, ann. 863, n. 69.

verat, accusatorem publice agit in latrocinali conventu habito in Attiniaco villa; Carolum Regem in eumdem Episcopum sororis filium per immanes calumnias ira et furore inflammat; eumdem cognatum suum in itinere captum, jam spoliatum nec auditum, ad Sedem Apostolicam frustra multis cum lacrymis provocantem, a synodo minis perterrita et gemente damnari jubet, atque episcopatu privatum ejici in exsilium, ubi, ferreis vinculis custoditus, denique oculis evulsis excæcatus est (*a*).

Quanta vero in his omnibus superbia Hincmari senioris et fastus esset, graphice Rhotaldus, Suessionensis Episcopus, ad Nicolaum scribens demonstrat, dum illum narrat in concilio *tamquam Imperatorem triumphare* solitum fuisse, et *tamquam summum Ecclesiæ Pontificem decernere* (*b*). Superbiæ par contumacia. Quum de Rhotaldo restituendo epistolam ad eum Nicolaus Papa dedisset, « hanc, ait sanctissimus Pontifex (*c*), frater Hincmarus quid dicam audire, quum videre illam, *more Dioscori* velatus, neglexerit? » Neque prima ille tantum Pontificis monita in hac Rhotaldi causa sprevit, sed ter et quater a Nicolao præceptis ac censuris pertentatus, a nefaria pertinacia numquam omnino destitit (*d*). In hac refractaria pervicacia toto triennio perseverans, majus aliud scelus addebat dum in eumdem secum trahebat errorem Carolum regem, et cæteros, si licuisset, Episcopos.

Jam talis hic homo quale erga pontificiam supremam auctoritatem obsequium suis etiam verbis profiteatur, breviter ostendamus. Quum a multis reprehenderetur, eo « quod nollet auc-

(*a*) *Ibid.*, ann. 870, n. 36.

(*b*) « Denique sæpe fatus Archiepiscopus meus in concilio eodem tamquam Imperator triumphans, et tamquam summus Ecclesiæ Pontifex decernens, subjugata suo potentatui et oppressa fratrum humilitate, jam mihi intrepide, et, ut reor, impie judicium depositionis emisit, etc. » (*Libell. Rhotaldi ad Sed. Apost.* apud Baron., ann. 863, n. 77).

(*c*) Baron., ann. 863. n. 87.

(*d*) « Denuo frater Hincmarus in contumelia nostra versatus, non solum non obedire nobis delegit, verum etiam epistolam nostram, quam ad eum et ad episcopos qui in depositione Rhotaldi sibi consenserant, miseramus, apud se per quatuor menses retinens, quæ de Rhotaldo decrevimus, etiam inter hæc diversis aliis pro eadem hac causa nostris epistolis per nonnullos directis crebro contemptis, recusavit » (Nicol. Papa, apud Baron. *ibid.*). Quæ ratio compendiosa eludendi præcepta et reprehensiones *a Romano Pontifice vel Romanis Congregationibus nomine Pontificis scribentibus* emanantia, nequaquam est nostris hisce temporibus plane obsoleta, ut recentia quædam facta testantur: eam tamen a Dioscoro, Alexandrino episcopo, celebri latrone, acceptam appellat Nicolaus, Pontifex sanctissimus.

toritatem recipere decretorum Pontificum Sedis Romanæ (a), » confirmat ille vehementer epistolas decretales Romanorum Pontificum a se prorsus recipi, sed, turpi versutia usus, hæc statim subdit : « Eas suscipiendas dico et scribo, et sacros sanctorum conciliorum canones cum decretis Apostolicæ Sedis ex eisdem canonibus promulgatis, et recipiendos et custodiendos et servandos, sicut supra ostendi, profiteor » (b).

Neque solum statuit pervicax homo Romanorum Pontificum decreta sic tantummodo esse accipienda, si ex canonibus sibi vindicent auctoritatem, sed ea tunc solum valere affirmat, si privilegiis quæ fuerint ecclesiis particularibus collata, non adversentur. « Hincmarus, quod est in argumento epistolæ ab eodem scriptæ ad Episcopos Rhemensis provinciæ (c), ut Episcopus Metropolitanus indicat suffraganeis Episcopis se suosque capitula ex sacris canonibus collecta a Joanne VIII Papa ad Episcopos Franciæ missa reverenter suscipere, sed ea conditione, ut Metropolitanis sua antiqua jura, ut ecclesiis vetera privilegia salva et inconcussa permaneant. »

Quum autem Carolus Calvus, Hincmaro connivente, regnum Lotharii, Ludovico hujus filio spoliato, per apertam injuriam occupasset, scripsissetque Hadrianus papa II ad Hincmarum cæterosque Episcopos in regno Caroli constitutos illud inculcans, ut, si Carolus obtemperare Sedi Apostolicæ recusaret, ipsi se ab ejus communione sejungerent, et ipsi alioquin a Sede Apostolica respuendi, nedum præcepto pareret Apostolico, audacissimam rescripsit Pontifici epistolam, iis erroribus refertam, quos pseudo-politici consequentibus sæculis et gallicani summo studio ad pontificiam declinandam auctoritatem excepere. Quæ quidem versutus Hincmarus (d) ex ore alieno depromere se simulat, ea tamen approbans, dum ea tamquam sapientium dicta refert, neque ullo pacto redarguit. En unam et alteram ex iis litteris sententiam : « Omne regnum, ait ille (e), bellis quæritur, victoriis propagatur, et non Apostolicis vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur. » Et iterum (f) : « Et petite Dominum Apostolicum, et quia Rex et Episcopus simul esse non potest, et sui antecessores ecclesiasticum ordinem, quod suum est, et non rempublicam, quod regum est, disposuerunt. » Quibus verbis

(a) *Ibid.*, ann. 878, n. 26.
(b) *Ibid.* — (c) *Ibid.* n. 30. — (d) *Ibid.*, ann. 870, n. 21. — (e) *Ibid.* n. 19. — (f) *Ibid.*

profecto fœdum illum machiavelismum, quem Bossuetus articulo I suæ declarationis sancivit, arrogantissime jam tum adstruit.

Quod vero ad Gerbertum attinet, ad istum scilicet *Ecclesiæ Romanæ perduellem* (a), habemus illius imaginem a Ven. Cardinali Baronio fideliter expressam paucis quidem et gravissimis iis verbis (b) : « Qui monachus quondam Auriacensis cœnobii, liberalibus potius quam theologicis litteris excultus, sub specie instituendi filium Hugonis regis, Robertum, cum monasterio monasticam quoque verecundiam missam fecit, curialis inter curiales (secundum illud propheticum : *Conversati sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum*), sic profiteri cœpit, ut garrulitate, dicacitate, oblocutione, detractione, adulatione, animi duplicitate, ad simulandum atque fallendum summa dexteritate compositus omnes facile antecelleret, prout quæ inferius non aliunde quam ex ejus scriptis intelliges, fidem sicut apertissimam ita et certissimam faciunt; quum alioqui ab hujus temporis scriptoribus non ab his diversis coloribus repræsentetur, quum hominem ingenio acerrimum, in suis ad altiora progressibus valde providum, ut docuerunt eventa, fuisse demonstrarent, dum homo ignobilis, ut Glaber testatur, primo ad regiam aulam, inde ad Rhemensem Archiepiscopatum sibi aditum præparavit, postea ad Ravennatis ecclesiæ præsulatum aperuit viam; atque demum ut imperatoria manu ad Apostolicam Sedem, cæteris eminentiorem Petri thronum, extolleretur, præparavit tamquam summus summæ gloriæ suæ artifex et architectus, idonea ad id perficiendum instrumenta composita inventione dædalica, quamvis plerique dixerint diabolica, nempe vetita magia, quæ per dæmonum invocationem perfici consuevit. »

Quum igitur Hugo rex omnem Lotharii regis domum perdere, ac propterea Arnulphum Lotharii ex concubina fratrem, Archiepiscopum Rhemensem legitimum, de medio tollere statuisset, conciliabulum Rhemis celebratur; Arnulphus dolo captus illuc pertrahitur; a sede nobilissima per summam injuriam deponitur; Gerbertus in ejus locum, urgente Hugone rege, sufficitur. At Arnulphi depositionem atque electionem Gerberti Sedes Apostolica improbat; ac tertio post anno in altero Rhemensi concilio a cathedra per fraudem occupata inverecundus monachus ignominiose dejicitur. Tum vero cœpit ille, incredibili furore percitus in Apostolicam Sedem, cujus præceptis Episcopi adacti, Anulpho restituto,

(a) Ibid., ann. 991, n. 7. — (b) *Ibid.*

Gerbertum damnaverant, eas blasphemias evomere, quas protestantes hæretici ac deinde gallicani, cum his hac in re consentientes, ad suggillandam Romanam Ecclesiam « e latebris eruentes tamquam e sepulcro cadaver graveolens » (*a*), in suos usus adhibuerunt. Et primum quidem, Acta conciliabuli a quo ipse fuerat electus, fœde corrumpit, Pontificem fallere se posse hac arte sperans (*b*). Deinde, quum Joannes Papa, auditis quæ in Rhemensi conventiculo gesta fuerant, interdixisset sacris et excommunicasset omnes eos Episcopos qui adversus Arnulphum sententiam tulerant, nihili faciendam ab iis Episcopis hanc pontificiam excommunicationem, ad Seguinum Archiepiscopum Senonensem scribens, inculcat, multis additis aliis quæ schismaticam et hæreticam nequitiam pariter sapiunt (*c*). Nec referre illa hic singillatim licet, si breves esse volumus. Attamen pauca sunt aliqua degustanda.

« Romæ dicitur esse (ait furore insanus monachus impudentissimus) qui ea quæ damnatis, justificet, et ea quæ justa putatis, damnet. Et nos dicimus, quia Dei tantum et non hominis est, ea quæ videntur justa, damnare et quæ mala putantur, justificare » (*d*). Quid blaterat perduellis iste? Num Dei est damnare justa et justificare mala? Quod si de iis tantum quæ justa vel mala *videantur*, id affirmat, qui potest christianus aliquis denegare Pontifici Romæ sedenti jus damnandi quod aliis justum *videatur*?

« Quod si propterea sua communione nos indignos ducit, quia contra Evangelium sentiendi nullus nostrum consentit, non ideo a communione Christi nos separare poterit » (*e*). Petrus igitur, evangelicæ doctrinæ fundamentum, Episcopos excommunicatione plectit, Gerberto auctore, quia hi nolunt contra Evangelium sentire! Et Pontificis, ac proinde multo magis Episcopi cujuslibet, reprehensiones et censuras spernere confidenter possumus, quoties illæ nobis superbia et furore insanientibus injustæ videantur; neque illæ nos a Christi communione possunt separare!

« Constanter dico, pergit ille, quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus, Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus Episcopus præcepto Dei est habendus sicut ethnicus et publicanus » (*f*). Ita nempe unus Gerbertus, intrusus Episcopus, in Romanos Pontifices, solum admonitos,

(*a*) *Ibid.*, ann. 992, n. 3. — (*b*) *Ibid.* nn. 1 et 2. — (*c*) *Ibid.* nn. 43, seqq. — (*d*) *Ibid.* n. 43. — (*e*) *Ibid.* n. 46. — (*f*) *Ibid.* n. 44.

non convictos nec damnatos, audacissimam sententiam fert, quum tamen eos, quantumvis criminis convictos, a nemine judicari posse Ecclesia semper conclamarit! « O sententiam homine tantum sive magno hæretico, sive impudenti valde schismatico dignam, qua sacra simul concilia abrogantur, canones jugulantur, traditiones suffocantur, et cuncta denique jura ecclesiastica pessumdantur (a)! »

« Non est ergo danda occasio nostris æmulis, pergit monachus, ut sacerdotium, quod ubicunque unum est, sicut Ecclesia catholica una est, ita uni subjici videatur... Sit lex communis Ecclesiæ catholicæ Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei conditi et totius mundi reverentia observati, decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia. Et qui per contemptum ab his defecerit, per hæc judicetur » (b). En igitur communem scopum, in quem omnium perduellium, quocunque illi nomine vocentur, omni ætate studia et vota omnia collimant, ut nullus sit Evangelii et canonum custos, interpres et vindex *vivus*, a quo possint singuli et omnes rebelles in singulis casibus ineluctabili sententia judicari! Volunt illi quidem Evangelium, Apostolos, Prophetas, canones, *litteram* scilicet *mortuam*, quæ nequit se ipsam a perversis eorum interpretationibus vindicare : volunt etiam decreta Sedis Apostolicæ *ab his non discordantia*, modo tamen nullus sit qui jure supremo judicet, quænam decreta vel facta *discordent* ab iis mortuis et mutis legibus. Est enim una eademque ingenii vel hæretici, vel schismatici, vel gallicani primigenia natura, scilicet monstrosa superbia, legitimæ auctoritatis contemptus, individualis sententiæ idololatria.

Sunt autem diligenter notanda illa Gerberti verba : *Canones spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia observati* ; quæ verba ipsa habemus in seditiosa Bossueti declaratione : ut inde etiam constet, ex quibus fontibus errores suos hauserint Bossuetus et Fleurius, hincmarianæ et gerbertianæ audaciæ in hac re imitatores duo præcipui.

2° Prima illa errorum gallicanorum semina, quæ nonnullorum temeritas et pervicacia identidem in francicas ecclesias sparserant, foverunt deinceps lateque explicuerunt tum Philippi Pulchri, hominis nefarii, effrenata impietas ; tum Pontificum Avenione per annos septuaginta commoratorum calamitas, quæ solet sep

(a) *Ibid.* n. 45. — (b) *Ibid* n. 48.

tuaginta annis captivitatis babylonicæ comparari; tum maxime Occidentale quadraginta annorum schisma, et Constantiensis conventus ante electum Martinum V tumultuariæ declamationes, et Basileensis conciliabuli decreta schismatica et hæretica.

Etenim quum christiani populi studia conatusque suos omnes convertissent ad teterrimum illud schisma aliquando tollendum, quod Galli Cardinales induxerant, Clemente VII antipapa adversus Urbanum VI legitimum Pontificem creato; quumque nulla ejus tollendi ratio superesse videretur, nisi tres Papæ qui eodem tempore tunc in diversis regionibus regnabant, cogerentur sese omnes pariter pontificia quavis potestate abdicare; insanas furiosasque orationes crebro coram Patribus habuere doctores præsertim Universitatis Parisiensis illud inculcantes, generale concilium esse utique Romano Pontifice superius, ut concilii decretis teneatur hic prorsus obtemperare. Inter quos audacia magis quam ingenio vel doctrina eminēbat Joannes Charlerius, cognomento Gerson, cujus hominis levissimi secumque ipso non raro pugnantis errores multos et graves videsis apud catholicos historiographos, præsertim apud Rohrbacrum (*a*).

Quum autem synodus Constantiensis decrevisset, sibi generale concilium facienti « pro exstirpatione schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite et membris, » christianos omnes, quacunque illi dignitate, etiam papali fulgerent, obedire oportere; quod decretum catholici omnes de solo schismatis tempore semper intellexerunt (*b*), sicut jam probavimus de hoc uno tempore posse illud intelligi (1302, coroll. 2); paucis post annis conciliabulum Basileense, ab Eugenio IV, Summo Pontifice, et ab Ecclesia universa reprobatum, arrepto Constantiensi decreto, statuit per impudentiam plane ridiculam ac pertinacissime confirmat concilium Episcoporum quocunque tempore esse Romano Pontifice superius; atque adeo Eugenium IV, tunc regnantem, in judicium coram se advocat; Ecclesiæ gubernationem sibi vindi-

(*a*) *Hist. univ. Eccl. cathol.* lib. 81.

(*b*) Præter hanc rationem qua decretum illud a schismatico sensu purgatur, aliæ multæ rationes adsunt, quibus illi decreto vis omnis aufertur. Nam 1° concilium generale nullum est sine Pontifice consentiente, ac proinde absurde fingitur concilium ejusmodi contra Pontificem pugnans. 2° Conventus Constantiensis in primis sessionibus, in quibus decretum illud fuit editum, nequaquam fuit generale. 3° Martinus V, a quo decreta Constantiensis synodi sunt confirmata, declarat illa tantum a se approbari quæ contra Vicleffum et Joannem Hus, et quæ *conciliariter* fuerant constituta. Sed consule in his omnibus clarissimum Rohrbacrum, lib. 81.

cat; stultissimum denique, vanissimum et sacrilegum decretum edit, quo Eugenium, Christi Vicarium, septem vel octo Episcopi audent a pontificio solio deponere (*a*).

Schismatico atque hæretico (*b*) isto basileensis conventiculi furore factum est, ut, quoniam colluvies illa clericorum *copistarum et pædagogorum* (*c*), qui Episcoporum loco in eo conventu sedebant, a Gallia pene omnis et a Parisiensi Universitate illuc confluxerat, magna semper in clericis nostris non paucis atque in doctoribus Parisiensibus viguerit propensio ad excusanda, imo ad defendenda, quæ conciliabulum illud non solum absurde et ridicule, sed impie quoque et sacrilege fecit ac decrevit. Perdifficile namque homini cordato cujuslibet gentis, sed maxime Gallo, est eam culpam fateri, ex qua dedecus aliquod non leve in totam possit gentem redundare.

3° Accedit tertia causa, hæreticorum protestantium ingenium, quam quod maxime, seditiosum. Hanc enim hæresim jam retro ostendimus idcirco esse omnium maxime hæreticam, quod mentis atque animi rebellionem adversus omnem auctoritatem ad fidei quæstiones finiendas hominibus quibusdam a Deo collatam, non *practice* solum et *exercite* amplectatur, sed *signate* et *formaliter*, tamquam præcipuum suæ doctrinæ caput, affirmet ac tueatur. Jam vero ita sumus omnes natura comparati, ut a quibus erroribus primum abhorreamus vehementer, iis paulatim assuescamus, si sæpius aures nostras personent; ad eosque excipiendos, fovendos, propugnandos sensim feramur, quum illi acrioribus humanæ naturæ cupiditatibus aperte favent. Quum igitur protestantium Germanorum, Helvetiorum, Batavorum, Britannorum, et ipsorum etiam Gallorum complurium obstreperent circum undique a multis jam annis clamores insani adversus romanam tyranni-

(*a*) Cf. Rohrbacri jam cit. tom. 21, p. 506, et seqq.

(*b*) Septem illi vel octo Episcopi qui se concilium œcumenicum Basileense appellabant, tres istos articulos publico decreto confirmarunt: 1° Est veritas de fide catholica, concilio generali esse auctoritatem Romano Pontifice superiorem; 2° Est veritas de fide catholica, non posse generale concilium a Pontifice dissolvi, transferri, prorogari, sine illius consensu; 3° Hæreticus habendus est quicunque memoratas duas veritates inficiatur.—Jam, si hæc vera sunt, hæretica est Ecclesia catholica universa, ne gallicanis quidem exceptis. Nam gallicani, dum affirmant concilium esse Pontifice superius, negant tamen id esse veritatem de fide catholica, ut hæreticus habendus sit qui aliter sentiat: eos autem articulos ab Ecclesia universa cum horrore animi et indignatione respui, nemo nescit. Atqui hæreticum est Ecclesiam universam hæresis accusare. Ergo, etc.

(*c*) Rohrb. *loc. cit.* p. 508, 509.

dem, romanos errores, romanum *antichristum;* auribus et animis jam longo usu ad horrendas blasphemias assuefactis, quicunque vel petulantiore audacia ad res novas allicerentur, vel pervicaci superbia frenum auctoritatis ecclesiasticæ moleste ferrent, vel ambitione turpique animi imbecillitate vesanæ principum arrogantiæ adularentur, in eam curam incubuerunt, ut, Ecclesiæ universim sumptæ auctoritate retenta, sese tamen auctoritati supremæ et ineluctabili Romani Pontificis subducerent. Hac etenim arte, qua Hincmarum et Gerbertum usos vidimus, et in catholica fide se permansuros putarunt, et liberam sibi suisque ad quæcunque audenda facultatem futuram. Nam simul atque Romano Pontifici summa potestas jubendi, vetandi, corrigendi, puniendi, utcunque illi in Domino visum fuerit, denegatur, atque hoc supremum jus Episcopis, vel dispersis vel in concilium coactis, traditur, jam nullum amplius impedimentum audaciæ, fraudibus, sceleri improborum quorumcunque in rebus ecclesiasticis obstabit. Quid enim timeas ab Episcopis dispersis, quorum consensio cognosci nequit, quorum decreta communia nulla esse possunt? Quid vero a concilio Episcoporum formides, quod nullum adest, nec profecto ad quotidiana ejusmodi negotia finienda quotidie vel quotannis cogetur? Unus ergo est Romanus Pontifex, qui temerarios, superbos, contumaces clericos et laicos possit commonere, ad suum judicium in singulis causis vocare, congruis demum pœnis afficere. Quapropter, sicut protestantes supernaturalem omnem auctoritatem everterunt per liberum examen individuale, ne possent erroris unquam convinci ; ita gallicani divinam Ecclesiæ auctoritatem, verbis admissam, reipsa sustulerunt ad invisibiles et indeterminatas formas eam redigendo, ne ab ea possint castigari.

4° E protestantica peste jansenianum venenum defluxit. Quo quum multi jam de gallicano clero essent imbuti, novæque huic hæresi magna consensione Episcopi nostri simul et regia auctoritas et Sedes Apostolica bellum strenue constanterque inferrent, pessima quæque sibi ex hac omnium potestatum felicissima concordia portendentes callidissimi novatores in illud maxime artes suas intenderunt, ut inter Episcopos et Romanam Sedem, inter regios senatus et Episcopos dissidia et simultates inducerent, mutuisque virium collisionibus impeditas ac debilitatas singulas eas potestates ab sese oppugnandis arcerent. Prospere ea res ultra quam sperare licebat, Jansenistis ob miserandam

per ea tempora Episcoporum complurium imprudentiam cessit.

Illud vero fuisse Jansenistarum consilium, certissima historiarum monumenta fidem faciunt. Duos ejusdem rei testes sane gravissimos hic referre sufficiet, Clementem XI et Clementem XIII, Romanos Pontifices. Quorum prior ad Episcopos conventus vectigalis anno 1705 habiti scribens : « Verum uberem adeo, inquit (a), gaudii nostri materiam turbavit admodum nonnullarum epistolarum aliarumque scriptionum palam editarum delata ad Apostolatum nostrum notitia, quibus nihil magis obtendi atque adstrui videtur, quam ut summa dictæ Sedis auctoritas multifariam impetatur, perinde ac si nullum hodie episcopali zelo argumentum dignius occurrat, quam B. Petri Sedis potestatem attenuare; *unde ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit* (b)... Agnovimus in hoc sane consuetas nequissimorum quorumdam hominum molitiones, qui dum jansenianum virus, quod corde retinent, pœnarum metu proferre non audent, Romanæ Sedi, a qua comprimi se maxime sentiunt, occultum veluti bellum indicere conantur, ac per importunas quæstiones in catholicæ unitatis perniciem, dissensionum semina spargere. Vos autem, venerabiles Fratres, quorum muneris erat inquietos corripere, nimis dolendum est eorumdem potius suggestionibus cedere, ecclesiarumque turbatoribus non satis advertentes manus præstare. » Hactenus Clemens XI.

Ad Episcopum vero Biterrensem Clemens XIII hæc inter alia scribit (c) : « His malis si efficacia remedia, culpa temporum, adhibere non possumus, illuc tamen omnia Nostra vestraque studia conferamus oportet, ut Jansenianorum hæresis, quæ dudum pene videbatur exstincta, quo atrocior nec opinato novissime quasi revixit et in Ecclesiam formidolosior coorta est, eo conjunctionis nostræ vincula diligentius caveamus ne relaxentur. Illius enim sectæ auctores, ac subinde duorum fere sæculorum spatio qui principem in ea tenuere locum, id maxime studuerunt, ut Episcoporum animos voluntatesque ab hac sacra B. Petri Sede primum abalienarent, quo facilius sibi esset eamdem Sedem, si fieri posset, evertere, ejusque auctoritate sublata, deinde Episcopos aggredi, ac demum omnem eorum delere potestatem, at-

(a) *Breve Clem. XI* ad Episc. et alios eccles. viros comitior. anni 1705, datum die 15 jan. 1706. — (b) Innoc. I, *epist.* ad Patres Concil. Carthag. II, anno 417. — (c) *Epist.* data 9 nov. 1763.

que ita dolorem suum ulcisci, quod gloriosissimi prædecessores nostri perniciosam Baii, Jansenii et Quesnelli doctrinam constitutionibus suis proscripserint, et Apostolicis decretis Gallicanorum Episcoporum religiosissimus cœtus obtemperaverit ». — Et ad Episcopum Ucetiensem scribens idem Pontifex (*a*) : « Interea, inquit, janseniana hæresis gaudio triumphat, quod laicos magistratus adversus Apostolicam Sedem, atque adeo in universam Ecclesiam incenderit, etc. »

5° Denique, quum tot simul tamque periculosis incitamentis ad christianum erga Summi Pontificis protarchicam auctoritatem obsequium excutiendum Francica gens undique impelleretur, ultima causa ad rem maturandam accessit, regis Ludovici XIV superbia, multorumque assentatorum regiæ arrogantiæ blandientium vel temeritas vel ignavia. Quamvis pio penitus et religioso animo præditus, quamvis ingenio recto celsoque ornatus, incredibili tamen mentis animique tumore ac futilitate laboravit princeps iste alienis magnis facinoribus *Magnus*. Hac ingenita superbia deceptus, fœdis quoque adulationibus illis faventibus, falsam sibi nobilitatis et gloriæ imaginem apud animum confinxit (*b*); nil clarum, nil magnum nisi se auctore fieri a quoquam posse (*c*); pleno atque immutabili dominio pollere se in civium omnium fortunas, personas, bona omnia (*d*); neque minus *suas* esse res omnes ac personas ecclesiasticas (*e*) ; nihil divino cultui dicatum, nihil datum Ecclesiæ, regio posse pleno absolutoque dominio subduci (*f*) ; nullis se humanitatis, promissionis, juramenti legibus erga alios, seu privatos homines seu populos, seu reges, seu Pontifices, teneri (*g*); in regia denique sua potestate exercenda nullis se posse unquam præceptis aut vetitis impediri ab Ecclesia, a Romano Pontifice, Ecclesiæ Protarcha, quibus tamen, ut christianus, serviebat, persuasum habuit (*h*).

Talis hic rex, tanta amens superbia, nullum, si Fenelonem excipias, regi invisum, inter suos clericos nactus est virum christiana fortitudine satis instructum, qui petulantem ejus animum per ejusdem sinceram pietatem ac religionem cohibere conaretur.

Quum lampades, candelabra, aliaque sacra ornamenta aurea

(*a*) Epist. data die 19 nov. 1763. — (*b*) Cf. Rohrbacri clarissimi *Hist. eccl.* tom. 26, p. 204, seqq.— (*c*) *Ibid.* p. 206.— (*d*) *Ibid.* p. 209.— (*e*) *Ibid.* p. 210. — (*f*) *Ibid.* — (*g*) *Ibid.* p. 212 et seqq. — (*h*) *Ibid.* p. 255 et seqq.

et argentea permulta Ludovicus e christianis templis per sacrilegam rapinam jam sustulisset, annuos etiam redditus complurium per Gallias ecclesiarum sibi statuit vindicare eo jure quod *regalia* dicebatur; quod tamen regio ærario nunquam fuerat in eas ecclesias concessum.

Regalia ne ad alias ecclesias ab illa immunes protenderetur, cautum fuerat a secundo Lugdunensi concilio œcumenico, a quo etiam fuerant in canone duodecimo *excommunicatione ipso facto incurrenda* confixi quicunque hoc latrocinii genus in bona ecclesiastica suscepturi essent, et clerici ipsi qui latronibus ejusmodi utcunque essent in id opus auxiliaturi (*a*). Omnes præterea Episcopi in sua consecratione promiserant publico juramento, sicut hodieque promittunt, nunquam se commissuros ut ecclesiarum suarum jura contra canones ecclesiasticos, se consentientibus aut non invitis, a quocunque læderentur (*b*). Attamen, ubi Ludovicus, intolerabili illa superbia inflatus qua Summum Pontificem in urbe ipsa Roma multis contumeliis jam affecerat et porro erat affecturus (*c*), decrevit jus regaliæ sibi in omnes prorsus Galliarum ecclesias competere, atque hoc jus per impiam tyrannidem sic confictum exercere continuo in plures ecclesias cœpit; e centum ac triginta Episcopis duo tantum regiæ impietati restitere, Alethensis et Apameensis præsules, jansenianæ hæresi faventes (*d*). Quin imo, quum Parisiis Episcopi quatuor et triginta anno 1681 convenissent, paganam regis audaciam hi præsules unanimi consensu approbant; ecclesiarum suarum jura, quæ in illorum minime erant potestate, canone Lugdunensi, decretis Sedis Apostolicæ, juramenti religione prætermissis, in regem transferunt (*e*).

Re ab ipsis Episcopis Innocentio XI, S. P., per litteras nuntiata, eorum miserrimam defectionem sanctissimus Pontifex apostolica gravitate constantiaque lamentatur et condemnat. « Adversus vos ipsos potius pugnatis, ait ille præter alia pulcherrima in admirabili epistola ad illos data (*f*), dum Nobis in ea causa resistitis, in qua vestrarum ecclesiarum salus et libertas agitur... Nihil sane lætum et vestris nominibus dignum eas litteras continere, in ipso earum limine intelleximus. Nam... animadvertimus ea ordiri a metu vestro, quo suasore nunquam sacerdotes Dei

(*a*) Cf. Rohrbacri clarissimi *Hist. eccl.* tom. 26. p. 367.— (*b*) *Ibid.* p. 368.— (*c*) *Ibid.* p. 246 et seqq.; p. 255 et seqq.—(*d*) *Ibid.* p. 367 et seqq. — (*e*) *Ibid.* p. 368. — (*f*) *Breve Innoc. XI, P. M.*, datum 11 april. 1682.

esse solent in ardua et excelsa pro religione et ecclesiastica libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes : quem quidem metum falso judicavistis posse vos *in sinum nostrum effundere*... Timuistis ergo ubi non erat timor... Nunc, quum muneris vestri et regiæ æquitatis quodammodo obliti, in tanti momenti negotio silentium tenueritis, non videmus quo probabili fundamento significetis vos ad ita agendum adductos, quod in controversia victi sitis, quod causa cecideritis. Quomodo cecidit, qui non stetit? Quomodo victus est, qui non pugnavit? Ecquis vestrum tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam oravit apud regem?... Mittimus hic memorare, quæ significatis de appellato a vobis seculari magistratu, a quo victi discesseritis : cupimus enim ejus facti memoriam aboleri, et volumus ea vos verba in litteris expungere, ne in Actis Cleri Gallicani resideant ad dedecus vestri nominis sempiternum... Illam vero partem litterarum vestrarum non sine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos jure vestro decedentes, illud in regem contulisse : quasi ecclesiarum, quæ curæ vestræ creditæ fuere, essetis arbitri, non custodes; et quasi ecclesiæ ipsæ et spiritualia earum jura possent sub potestatis secularis jugum mitti ab Episcopis, qui se, pro earum libertate, in servitutem dare debent... Quamobrem per præsentes litteras, tradita Nobis ab omnipotente Deo auctoritate, improbamus, rescindimus, et cassamus quæ in istis vestris comitiis acta sunt in negotio regaliæ, » etc.

Nulla re acrius pungitur superbus ac petulans animus, quam justa sui criminis reprehensione. Itaque his nondum litteris acceptis, quoniam certis nihilominus indiciis afferebatur eas res vehementer a Pontifice improbari, ira incredibili omnes ii præsules inflammantur. Conclamatur undique, gallicana privilegia contemni, gallicani episcopatus decus integerrimum conculcari : romanam audaciam compescendam; romanæ potentiæ certos limites definiendos; gallicanos episcopos a quoquam reprehendi impune non posse (a). Seditiosæ de ecclesiastica potestate opinationes quarum semina jam nono et decimo seculo in Hincmaro et Gerberto, ira similiter insanientibus, vidimus, quæque seculis insequentibus paulatim evolutæ, in Richero nuper fuerant damnatæ, proferuntur. Ira Ludovicus nihilo minore exæstuans, a pluribus etiam laicis et clericis incitatus, congregatis præsulibus

(a) Rohrb. *loc. cit.* p. 371 et seqq.

præcipit, ut quatuor illos de ecclesiastica potestate articulos retro indicatos (1319, not. 1) suo decreto confirment. Tunc demum a quatuor illis et triginta episcopis, regio jussu, edita est ea *Declaratio*, quæ gallicanismi summa quædam est, ab hujus erroris fautoribus summo semper studio propugnata.

Hæc de gallicanismi origine fuerunt breviter attingenda.

In qua luctuosa historia duo viri præsertim occurrunt, quos singulari sempiternaque objurgatione dignos sincerus quilibet christianus existimabit : Bossuetus, episcopus Meldensis, et Lachesius jesuita, regis confessarius.

Etenim, quum jesuitarum societas peculiare prorsus erga Sedem Apostolicam obsequium, amorem ac devotionem semper fuerit professa, quis non vehementi commoveatur indignatione, quando presbyterum jesuitam cernit (*a*) adulantem superbiæ Ludovici, quem proprio gravissimoque munere suo debuerat christianam modestiam, perfectamque erga Christi Domini Vicarium observantiam et obedientiam docere; scientiam rerum christiano principi maxime necessariarum ei denegantem; impiis faventem machinamentis eorum qui regis animum abalienare a summo christianorum omnium Patre student, quin imo iis præbentem se ducem ac patronum ad regem decipiendum ac misere perdendum (*b*)?

(*a*) En qua ratione ingenium moresque Lachesii depingit Fenelon, Archiepiscopus Cameracensis : « Pour votre confesseur, » scribit ille ad regem ipsum Ludovicum, « il n'est pas vicieux; mais il craint la solide vertu, et il n'aime que les gens profanes et relâchés; il est jaloux de son autorité, que vous avez poussée au delà de toutes les bornes. Jamais confesseurs des rois n'avaient fait seuls les évêques, et décidé de toutes les affaires de conscience. Vous êtes seul en France, sire, à ignorer qu'il ne sait rien, que son esprit est court et grossier, et qu'il ne laisse pas d'avoir son artifice avec cette grossièreté d'esprit. Les Jésuites mêmes le méprisent, et sont indignés de le voir si facile à l'ambition ridicule de sa famille. Vous avez fait d'un religieux un ministre d'Etat. Il ne se connait point en hommes, non plus qu'en autre chose. Il est la dupe de tous ceux qui le flattent et lui font de petits présents. Il ne doute ni n'hésite sur aucune question difficile. Un autre très-droit et très-éclairé n'oserait décider seul. Pour lui, il ne craint que d'avoir à délibérer avec des gens qui sachent les règles. Il va toujours hardiment sans craindre de vous égarer; il penchera toujours au relâchement, et à vous entretenir dans l'ignorance. Du moins il ne penchera aux partis conformes aux règles que quand il craindra de vous scandaliser. Ainsi, c'est un aveugle qui en conduit un autre, et, comme dit Jésus-Christ, *ils tomberont tous deux dans la fosse.* — Votre archevêque et votre confesseur vous ont jeté dans les difficultés de l'affaire de la régale, dans les mauvaises affaires de Rome. » (Apud Rohrb. *ibid.* p. 219).

(*b*) Rohrb. *loc. cit.* p. 467.

De Bossueto autem quid dicemus? cujus tam clara est ac semper fuit ubique gentium gloria, tantis ingenii, doctrinæ, eloquentiæ laudibus comparata, ut ejus unum nomen pro quantacunque sit apud omnes hujus viri commendatione. At eo minus illi ignoscendum est, quum tantus Episcopus christiana dogmata nonnulla fundamentalia, optime a se cognita, non solum non audet coram rege et adversus regem asserere, sed ea rejicit, saltem exterius, ac pertinaciter oppugnat. Jansenianam hæresin, regisque superbiam, quibus duobus divina et humana omnia permiscebantur, et ad horrendam illam rei civilis pariter ac religionis cladem, quæ paulo post subsecuta est, gallicum regnum erat omnino deducendum, poterat Bossuetus unus doctrina, eloquentia, auctoritate sua initio statim frangere et conterere. At jansenianum errorem ille agnoscit quidem ac repudiat; nunquam tamen aperte ac fortiter eumdem sibi esse refutandum statuit; molliter ubique cum hac peste agit; parcit jansenianæ pertinaciæ, quamvis jansenianam hæresim non probet (*a*).

Erga regem vero, qui cogitet quanta idem socordia, in tota hac controversia, semper fuerit, gravissimam statuet fuisse culpam hujus hominis, quantiscunque aliis virtutibus ornati. Caroli Calvi alienum regnum occupantis scelus conniventia sua Hincmarus approbat; adversus Pontificem principi per injuriam spoliato opem ferentem jurgia superbus jacit, sophismata ad pontificiam infirmandam auctoritatem conquirit; litteras Pontificis ad suos decipiendos corrumpit (1319, not. 2, 1°). Ludovici regis, superbia intolerabili in externas gentes, in suos populos, in Christi Ecclesiam lascivientis, audaciam Bossuetus non silentio solum, sed machiavellicis ac protestanticis documentis confirmat; eidem asseverat, nulli ecclesiasticæ potestati, ac proinde nullis divinis legibus, quibus proponendis, interpretandis ac vindicandis ecclesiastica potestas est a Deo constituta, reges in publica re gerenda esse obnoxios; qui tetrior est machiavellismus quam qui a Machiavello ipso describitur; in historia antiquorum temporum regio suo discipulo, Ludovici filio, enarranda, atque in politicis principiis e Scriptura sacra depromptis eidem explicandis facta omnia sententiasque circumcidit, quæ regiam potestatem ecclesiasticæ subditam demonstrent (*b*); Ecclesiæ canones gravissimos a rege in

(*a*) Rohrb. jam cit. p. 342 et seqq.
(*b*) Idem, *ibid.* p. 344 et seqq. Et p. 353 ita rem concludit : « Or, ces choses

regaliæ negotio violari, ne hiscens quidem, patitur, ipse qui uno verbo regem, cæteroquin ad religionem pietatemque propensum, poterat absterrere (*a*) ; Summum Pontificem Ecclesiæ jura libertatemque francicarum ecclesiarum ex officio suo et summa cum modestia tuentem accusat violentiæ, temeritatis, calumniæ (*b*); in tantum impudentiæ venit, ut decretum Pontificis irritum et cassum per se ipsum esse affirmet, contraque legitimi summique sui judicis sententiam uno privatæ suæ conscientiæ testimonio se communiat (*c*); quatuor articulos illos, quibus fœdus *machiavellismus* in politicum regimen, absolutaque *anarchia* in Ecclesiam inducuntur, quosque ipse *odiosos* sæpius appellaverat (*d*), non solum cum aliis præsulibus, regiæ superbiæ assentatoribus, *jubente rege*, suscipit judicioque suo comprobat, sed ipse capita illa quatuor perniciosi erroris disponit ac scripto digerit; eamdem denique pestilentem *Declarationem*, quam ab omnibus catholicis populis, doctoribus, Episcopis summa vi et consensione explosam, a Sede Apostolica improbatam videbat, ipse, catholicus Episcopus, ut regi obtemperet, defendendam assumit, totoque viginti annorum spatio vitam viresque suas in hoc opus, *rege jubente*, insumit, protestantium ac præcipue Magdeburgensium centuriatorum mendacia nugasque corradens ac varie compingens, ut ostendat, Petri Apostoli fidem, quæ totius Ecclesiæ fundamentum est, nequaquam esse tam firmam, ut non possint adversus eam aliquando infernæ potestates prævalere, quod fieri nunquam posse ex Christi Domini promissione alibi jam apertissime fuerat confessus (*e*) !

Jam hic homo, erga jansenistas hæreticos tam misericors, erga superbum ac temerarium regem tam mitis, tam imbecillus, quanta ferocia pertinaciaque fratrem venerabilem, imo filium suum, Fenelonem, Archiepiscopum Cameracensem, quem suis ipse manibus voluit consecrare, cui æternam spoponderat suavissimamque amicitiam, paucis post annis vexaverit ac plane contriverit, quis ignorat? Omitto igitur crudelem hominis obstinationem in ejus sanctissimi Episcopi damnatione postulanda,

si importantes, si capitales, sont entièrement dissimulées, soit dans la *Politique* de Bossuet, soit dans l'histoire de France rédigée sous ses yeux pour le dauphin. N'est-ce pas là trahir la vérité et tromper les princes? »

(*a*) « Tout le clergé, généralement parlant, fut entraîné par l'avis de Bossuet, et crut qu'il ne fallait pas résister au roi. » *Ibid.* p. 370. — (*b*) *Ibid.* p. 372. — (*c*) *Ibid.* — (*d*) *Ibid.* p. 373. — (*e*) *Ibid.* p. 355 et seqq.

quum facillime poterat res tota per simplices locutionum aliquarum explicationes componi : taceo turpissimas artes ab illo adhibitas ad consilia Fenelonis furtim cognoscenda, ad regem fallendum, ad terrendum Pontificem : nil dico de audacissimis calumniis ab eodem in virum castissimum ac mitissimum publice conjectis, Montani etiam et Priscillæ nominibus, ad invidiam et suspiciones augendas, appellatis (*a*). Quæ quoties in mentem redeunt, non possumus nobis temperare quin ad Bossuetum referamus illam venerabilis Cardinalis Baronii querimoniam de casu Hincmari, quem sane iterum in Bossueto Fenelonem tam crudeliter exagitante recognoscimus : « O livor (*atque o superbia*), omnium virtutum exitium, atque vitiorum cunctorum auctor atque nutritor! Hincmarus iste, qui hactenus ab adolescentia sua visus est florere scientia et sapientia in omnibus conciliis, præ cæteris spectatus ab omnibus, cultus a regibus, super omnes hujus seculi viros existimatione præcellens ; ubi semel sui oblitus, fraterno infectus est odio (*ubi semel regis gratiam prætulit Ecclesiæ saluti*), omnis in eo mox pulchritudo ex virtutibus florens emarcuit, et exsiccata penitus excidit, atque omnem simul deformitatem superinduxit, adeo ut nihil eo turpius excogitari potuerit. Quid enim adeo monstrosum atque portentosum esse possit in mundo, quam contra præpositum sibi a Deo caput intumescere, erigere male et ad malum extorta superbiæ cornua, ac ventilare contemptu, quem summopere multiplici nomine colere atque venerari debuisset, summum in Ecclesiæ catholicæ positum verticem ac sacræ religionis Antistitem (*b*)? »

Notandum 3. — Duæ pestes in quatuor articulis supra (not. 1) memoratis continentur, ut jam innuimus, scilicet *machiavellismus* in articulo primo, et *anarchia* religiosa in tribus reliquis. Jam vero gallicanum machiavellismum refellunt tum quæ libro IV diximus, probantes omne institutum et omnem actionem societatis cujuslibet esse honestati essentialiter *subordinata* (484; 485, coroll. 1), tum quæ in IIIª hujus libri parte dicemus, capite I, ad probandam essentialem ordinis et auctoritatis civilium et politicorum *subordinationem* sub ecclesiasticis ordine et auctoritate. Adversus gallicanam vero anarchiam religiosam faciunt quæ supra disseruimus, ostendentes Romanum Pontificem solum

(*a*) Rohrbach., *ibid.* p. 370. — (*b*) Baron. *Annal.*, ann. 863, n. 72.

esse universalem Ecclesiæ Protarcham; ipsi soli fuisse a Deo traditam potestatem interpretandæ ac proponendæ *infallibili* judicio christianæ fidei, Episcoposque omnes, seu dispersos seu congregatos, gubernandi et corrigendi sententia *irreformabili* (1296, 1297, 1298, 1299, 1304). Quare quatuor illi bossueticæ declarationis articuli jam sunt falsitatis et erroris in re gravissima convicti. Restat ut eorum communiter pessimam naturam demonstremus.

Ac primo illud statuemus, quatuor eos articulos fuisse jam pridem ab Ecclesia catholica damnatos, ac nemini catholico licere doctrinam in iis contentam sectari. Sunt enim adhuc in Gallia permulti, qui, tametsi declarationem illam rejiciant, romanæque, id est catholicæ, doctrinæ toto animo adhæreant, existimant tamen ac docent eam a Sede Apostolica nunquam fuisse damnatam, neque ulla censura notatam, ac proinde posse adhuc tuta conscientia doctrinam istam a viro catholico, tamquam opinionem quamdam probabilem, sustineri: quam sane multorum Gallorum sententiam judicamus omnino falsam, communi Ecclesiæ universalis sensui apertisque Sedis Apostolicæ decretis repugnantem.

1320. Pos. 651ª. — Quatuor articuli declarationis gallicanæ a Sede Apostolica et ab Ecclesia universali sunt vere ac proprie quoad ipsam eorum doctrinam improbati, ita ut nemini liceat eam doctrinam tamquam probabilem retinere.

Prob. 1ª pars. — 1º Alexander VIII, Summus Pontifex, in Constitutione Apostolica, quæ incipit per ea verba: *Inter multiplices*, præmittit, « præ cæteris negotiis quæ pontificiæ sollicitudini sese obtulerant, imprimis gravissima et ipsi Pontifici permolesta et plane acerba accidisse illa quæ sive adversus gallicanarum ecclesiarum jura, sive adversus Romani Pontificis et Ecclesiæ universæ auctoritatem conventus ille peregerat, tum præstito assensu extensioni juris regaliæ, tum edita declaratione continente quatuor propositiones de potestate ecclesiastica, et quæ inde subsecuta fuerunt, mandata, epistolas, decreta, et ejusmodi alia. »

Deinde Pontifex narrat se, ista omnia « dies noctesque in amaritudine animæ suæ cogitantem, manus suas cum lacrymis et suspiriis levasse ad Dominum, eumque rogasse ut ardua hac in re salubriter valeret muneris sui partes exsequi; et se nihil

prætermisisse, quo præjudicialia præfata retractarentur ex animo ab iismet qui ea peregerant. »

Denique, « ut efficacius Sanctæ Sedis, Ecclesiæ universæ, et jurisdictionis ac immunitatis ecclesiasticæ indemnitati consultum sit, de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, declarat fuisse ab initio et perpetuo fore ipso jure nulla, irrita, inania, effectu vacua omnia et singula, quæ tam quoad extensionem juris regaliæ, quam quoad Declarationem de potestate ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones, in eo conventu acta et gesta fuerant, et neminem ad illorum observantiam teneri : et nihilominus ad abundantiorem cautelam improbat, cassat, irritat et annullat acta, gesta præfata, aliaque præmissa omnia, et contra ista deque eorum nullitate coram Deo protestatur. »

En in summa totam Apostolicam Constitutionem, ejus ipsis verbis retentis.

Unde sic eruitur 1um argumentum : Hæc Constitutio, quæ, quum sit ab omnibus ecclesiis reverenter *acceptata*, est etiam in gallicana sententia judicium Ecclesiæ Catholicæ infallibile, *improbat* acta et gesta quoad Declarationem de potestate ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones. Atqui hæc improbatio cadit in doctrinam ipsam in iis articulis contentam. Etenim ea vel afficit doctrinam ipsam, vel modum solummodo quo declaratio facta est, et articuli conditi atque editi. At manifestum est, eam improbationem non afficere solummodo modum quo declaratio facta est, sed ad ejus doctrinam directe ac præcipue spectare. Nam, ubi factum aliquod quis improbat, nisi aperte denuntiet, non ipsam rem factam, sed modum quo illa facta est, a se spectari, ejus improbatio sic *simpliciter* expressa censetur cadere in ipsam rem factam ; et significat eam rem vel injustam esse vel falsam pro diversa illius natura, vel mere practica vel dogmatica. Itaque improbatio illa qua Pontifex confligit et extensionem juris regaliæ, et declarationem cum quatuor articulis, affirmat simul et illam extensionem, quæ ordinis est mere practici, esse pravam et iniquam, et hanc declarationem, quæ est in ordine dogmatico, esse falsam et erroneam. Quod si quis velit solum modum rei factæ improbare, tenetur id signanter docere ; quia facti improbatio simplex per se refertur, non ad modum faciendi, sed ad rem factam. Factum vero illius declarationis et quatuor articulorum est doctrinæ cujusdam positio et

affirmatio; et doctrinæ cujusdam positionem simpliciter improbare, est profecto doctrinam ipsam condemnare tamquam falsam et erroneam.

2° Eodem modo hæc Constitutio improbat acta et gesta quoad extensionem regaliæ, et acta et gesta quoad declarationem et quatuor articulos. Atqui acta et gesta quoad regaliam non improbantur profecto solum quoad formam illegitimam ejus concessionis, sed quoad concessionem ipsam, tamquam iniquam et sacris canonibus contrariam, ut constat ex Brevi citato in Constitutione *Inter multiplices :* « Vestigiis inhærentes felicis recordationis Innocentii, Papæ XI, prædecessoris nostri, qui » etc., et a nobis supra memorato (1319, not. 2, 5°). Ergo etiam acta et gesta quoad declarationem improbantur quoad rem ipsam falsam et erroneam.

3° Summus Pontifex hac Bulla improbat illud quod initio dicit *præ cæteris negotiis* quæ pontificiæ sollicitudini se obtulerant, *imprimis gravissimum*, et ipsi Pontifici *permolestum ac plane acerbum acciderat*. Ergo illud quod hac Bulla improbatur, est aliquid gravius ipsa rebellione jansenistica quæ tunc fervebat. Atqui violatio formarum canonicarum in aliqua doctrina non improbabili declaranda, non est profecto ejusmodi negotium tam grave; declaratio vero illa quoad ipsam doctrinam in ea contentam est utique negotium gravius ipsa hæresi janseniana; quia impetit fundamentum ipsum Ecclesiæ et omnis ecclesiasticæ auctoritatis, quod est Petri fides et summa potestas. Ergo, etc.

4° Hæc Bulla respicit in eo negotio præsertim illud quod est *res ardua*, et ob quam Summus Pontifex judicat sibi esse levandas manus ad Dominum *cum lacrymis et suspiriis*. Eamdem Bullam jam a pluribus mensibus paratam promulgat Pontifex *moribundus* coram duodecim Cardinalibus, non audens ex hac vita excedere et Christi Domini tribunal adire non damnatis ea declaratione et quatuor ejus articulis. Atqui improbatio gestorum quæ in simplici consistant violatione formarum canonicarum, nullo pacto est *res ardua*, neque ullam peculiarem causam præbet Pontifici levandi manus ad Dominum *cum lacrymis et suspiriis :* declaratio autem illa facit utique rem maxime arduam, et causam lacrymis et suspiriis Pontifici eam improbare cogitanti gravissimam præbet. Nam, quum ea declaratio neget Pontificis decreta esse ex se solis firma et irreformabilia, et Episcopis jus resistendi pontificiis decretis asserat, timendum magnopere erat Pontifici, ne Episcopi illi reluctarentur aperte decreto quatuor eos

articulos improbanti, atque ita in manifestum schisma prolaberentur. Ergo, etc.

5° Pontifex ait idcirco a se improbari acta et gesta quoad regaliam et quoad declarationem, *ut efficacius consultum sit indemnitati Sedis Apostolicæ*, Ecclesiæ universæ, et jurisdictionis ac libertatis ecclesiasticæ. Ergo improbat ea quæ in iis factis adversantur indemnitati Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ universæ, atque ea quidem quæ damnum, idque gravissimum (ut constat ex 3° et 4° argumento), inferebant Sedi Apostolicæ et Ecclesiæ universæ. Atqui violatio formarum canonicarum in tali declaratione facienda nullum grave damnum per se sola inferebat Sedi Apostolicæ; et gravissimum utique inferebat doctrina ipsa declarationis, ut nuper vidimus; quemadmodum gravi etiam damno afficiebat jurisdictionem, immunitatem et libertatem ecclesiasticam iniqua extensio regaliæ. Ergo, etc.

6° Apostolica illa Constitutio expresse affirmat eam declarationem de potestate ecclesiastica quatuor propositiones continentem fuisse editam *adversus Romani Pontificis et Ecclesiæ universæ auctoritatem*. Ergo, quum illam improbat, doctrinam ipsam declarationis damnat, tamquam repugnantem auctoritati Romani Pontificis et Ecclesiæ universæ.

7° Ea Bulla distincte improbat « omnia et singula quæ acta et gesta fuerunt quoad declarationem ac quatuor in ea contentas propositiones. » Atqui, si solum improbaret illegitimum agendi modum illic servatum, hæc distincta notatio declarationis et quatuor articulorum esset inutilis et frivola. Nam modus agendi illegitimus est quid generale, æquali prorsus ratione afficiens omnia illa gesta et acta; et idcirco in illo improbando non est cur determinentur adeo subtiliter rerum gestarum partes singulæ. At, ubi doctrina ipsa improbatur, tunc congruentissime distinguuntur quatuor articuli a declaratione illos continente; ut quisquis intelligat, non solum generalem ejus declarationis naturam, sed singulos etiam et omnes eos articulos quatuor in eo contentos condemnari. Ergo, etc.

8° Apostolica Constitutio Pii VI, quæ sic incipit: *Auctorem fidei*, paragrapho LXI, expresse dicit *Conventus Gallicani declarationem anni* 1682 *pridem improbatam ab Apostolica Sede*. Atqui declarationem fuisse pridem improbatam a Sede Apostolica, nequaquam significat, in communi loquendi modo, fuisse tantum illegitimam ejus formam improbatam; sed omnino significat ipsam doctri-

nam in ea contentam fuisse confixam. Sic, quum dicimus : Improbo et damno quinque Jansenii propositiones, non formam tantum vel modum rejicimus, quo illæ sunt expressæ vel editæ, sed earum doctrinam, ut superius animadvertimus argum. 1°. Quod si nobis liceat sensum eorum verborum obvium et naturalem detorquere ita ut *declarationem improbari* nobis sit non ejus doctrinam improbari, sed modum tantum quo declaratio facta est, æque licebit Sacramentariis obvium sensum verborum Christi : *Hoc est corpus meum*, corrumpere, ut illa solum significent : *Hoc est figura corporis mei*. Ergo, etc.

9° Pius VI synodum Pistoriensem arguit temeritatis, eo quod ausa fuerit includere in decretum inscriptum : *De fide*, eam declarationem *pridem improbatam ab Apostolica Sede*. Atqui, si ea declaratio fuerat pridem improbata non quoad ipsam doctrinam, sed solum quoad modum agendi, hæc reprehensio careret prorsus fundamento. Nam, si doctrina ipsa declarationis nondum erat improbata, non erat temerarium eam laudibus exornare, quamvis illa fortasse falsa esset. Neque, si ea solum ob illegitimas formas fuit improbata, eamdem includere in decretum *De fide* erat temerarium; quia vetus illa improbatio, in hac hypothesi, cecidisset tota in solum agendi modum a conventu gallicano servatum; quem quidem modum synodus Pistoriensis, legitime congregata et legitime deliberans, plane vitabat. Poterat ergo illa gallicanæ declarationis insertio, in eadem hypothesi, erronea dici, sed non temeraria. Ergo, hoc ipso quod temeritatis damnet Apostolica Constitutio insertionem ejus declarationis, manifeste affirmat doctrinam in ea contineri jam damnatam.

10° De eadem prorsus improbatione loquens ea Bulla *Auctorem fidei*, paragrapho LXI dicit *declarationem* fuisse a Sede Apostolica pridem improbatam, et paragrapho LXII dicit *acta illa* conventus gallicani improbata fuisse. Adeo verum est, quod superius inculcavimus (1320, argum. 1°), acta illa quoaddeclara tionem simpliciter improbari, idem omnino esse ac improbari declarationem ipsam, scilicet doctrinam in ea contentam.

11° Innocentius XII, S. P., in allocutione ad sacrum collegium Cardinalium habita, protestatur a se nunquam ad episcopatum admissum iri ullum eorum qui « satis notis cleri gallicani comitiis interfuere, et *ibi gestis merito a Sancta Sede reprobatis* ullatenus assensere, et qui non sint *ab ea labe* immunes; nihil se ab ecclesiasticæ libertatis ac Sanctæ Sedis auctoritatis tuendæ

proposito deflectere; litteris editis ab Innocentio XI et Alexandro VIII super præmissis se constanter inhærere et ad extremum usque spiritum adhæsurum, ut pontificiæ potestatis plenitudinam illibatam servet ». Ergo, ex Innocentii XII, S. P., verbis, omnes ii qui *satis notis* comitiis interfuerant, et ibi gestis merito a Sancta Sede *reprobatis* ullatenus assenserant, indigni prorsus episcopatu evaserant et publica *labe* maculabantur. Atqui violatio formarum canonicarum non poterat profecto talem iis hominibus labem inurere, ut episcopatu indigni ob eam unam causam a Sancta Sede haberentur; maxime vero id poterat doctrina ipsa declarationis, ut quæ manifestæ rebellionis principia continet. Ergo, quum Innocentius eos viros damnat tamquam episcopatu indignos ob ea gesta jam merito *reprobata*, doctrinam ipsam declarationis fuisse reprobatam significat, atque iterum ipse in his clericis reprobat.

12° Innocentio XII in eadem allocutione idem est inhærere improbationi latæ ab Innocentio XI et Alexandro VIII contra gesta conventus gallicani, et pontificiæ potestatis plenitudinem illibatam servare. Atqui hoc manifeste indicat, duos eos Pontifices idcirco improbasse illa gesta, quia plenitudini potestatis pontificiæ adversabantur; violatio autem sola formarum canonicarum nihil sane plenitudini hujus potestatis detrahit, et sola doctrina declarationis eam plenitudinem potestatis omnino aufert. Ergo ex Innocentio XII, S. P., improbatio illorum gestorum fuit potissimum improbatio doctrinæ in declaratione contentæ.

13° Anno 1692 idem Innocentius XII, precibus duorum Francorum Cardinalium, Ludovici regis nomine rem agentium, motus, indulsit tandem, ut clerici ad episcopatum a rege designati, qui *satis noto* conventui interfuerant, canonicam institutionem obtinerent retractando expresse et humiliter, juxta formulam iis præscribendam, quæ in eo conventu gesta fuerant. In qua formula ii clerici « profitentur et declarant se vehementer et supra omne id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in eo conventu, quæ Innocentio XII, ut ejus Prædecessoribus, summopere displicuerant; ac proinde declarant, *quidquid in eo conventu contra ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit*, se habere et habendum esse pro non decreto ». — Unde sic eruitur argumentum: Illud ab Alexandro VIII improbatum est, quod isti clerici pœnitentes agnoscunt summopere displicuisse Innocentio XII ejusque Prædecessoribus,

et quod ipsi nunc retractant. Atqui illud quod iis Pontificibus summopere displicuerat, et cujus retractatio ab iis exigitur, non est solum formarum violatio aliqua, sed *quidquid potuit censeri decretum in eo conventu contra ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem*, nimirum quatuor articuli declarationis quoad ipsam eorum doctrinam : hi enim erroneæ doctrinæ articuli sunt illud quod in eo conventu decretum censeri poterat. Ergo, etc.

14° Clemens XI, in Brevi ad Ludovicum XIV dato die 31 augusti 1706, dicit declarationem illam factam fuisse *in Sedis Apostolicæ offensionem*, et fuisse *rem odiosam et parum excusabilem*. Atqui mera formarum violatio non potest dici in offensionem Sedis Apostolicæ facta, et res odiosa. Nam ut res sit odiosa et facta in offensionem Sanctæ Sedis, necesse est illa inferri gravem injuriam vel damnum potestati pontificiæ; quod facit quidem doctrina declarationis, sed mera formarum violatio non item. Ergo, etc.

15° Eadem ratiocinatio aptanda est verbis Clementis XIII dicentis, opiniones in declaratione contentas *dudum ad Sedem Apostolicam insultandum fuisse prolatas* (*a*), easdemque esse *opiniones Sedis Apostolicæ auctoritati parum faventes* (*b*).

16° Quum regii commissarii, partim Episcopi, partim laici, sub Ludovico XV coegissent Ordines Regulares in Gallia, ut suis constitutionibus decretum adjicerent, quo singuli Regulares obligarentur quatuor eos articulos propugnare (quod jesuitæ galli authenticis litteris, nemine cogente, promiserunt se, quidquid contra Generalis eorum Præpositus præciperet, privatim ac publice facturos, ut supra innuimus), Clemens XIV, Pontifex sanctissimus, monitionem *ex officio* mitti jussit a Cardinali Secretario Status ad Episcopos illos commissarios, in qua præter alia hoc legimus : *Opiniones illæ et propositiones doctrinales, etsi in Gallia admissæ, reprobantur tamen, nedum approbentur, a Sede Apostolica et ab Ecclesia universali* (*c*). Atqui decretum per quod

(*a*) *Epist.* ad Episc. Lodev., 17 sept. 1763. — (*b*) *Epist.* ad Episc. Vivar., 7 dec. 1763.

(*c*) « Des opinions et des propositions doctrinales, qui, quoiqu'elles soient admises en France, sont cependant reprouvées, bien loin d'être autorisées par le Saint-Siége et par l'Eglise universelle. » Refert id. Theinerus, vir clarissimus, in recenti sua Historia pontificatus Clementis XIV. (*Histoire du pontificat de Clément XIV d'après des documents inédits des archives secrètes du Vatican*, par Augustin Theiner, prêtre de l'Oratoire, consulteur des SS. Congregations de l'Index, etc. — Paris ; Firmin Didot ; 1852. — t. I, p. 326.)

Sedes Apostolica et Ecclesia Universalis manifestarunt quid de iis propositionibus doctrinalibus sentirent, fuit Bulla Alexandri VIII superius memorata. Ergo a Sede Apostolica et ab Ecclesia Universali sunt quatuor illi articuli quoad ipsam doctrinam improbati.

PROB. 2ª PARS. — Nemini profecto licet opiniones a Sede Apostolica et ab Ecclesia Universali expresse et absolute *improbatas* retinere tamquam *probabiles*. Qui enim id faceret, hoc ipso affirmaret Ecclesiam Catholicam universam errare posse et revera errasse, eas opiniones absolute improbando, ac proinde absolute improbabiles et falsas declarando, quæ tamen probabiles sunt nec absolute falsæ. Atqui opiniones in quatuor iis articulis contentæ a Sede Apostolica sunt et ab Ecclesia Universali expresse et absolute improbatæ, ut ex 1ª parte constat. Ergo, etc.

1321. COROLL. 1. — Gravissime igitur in re gravissima errant quicunque asserunt gallicanas doctrinas esse opiniones quasdam *probabiles, toleratas, ab Ecclesia nunquam damnatas, nulla unquam censura notatas*. Quid? Alexander VIII et cum eo Catholica Ecclesia universa opiniones hasce minime damnarunt! Pius VI et cum eo Catholica Ecclesia universa has opiniones appellant *pridem improbatas ab Apostolica Sede;* tu vero eas *probabiles* dicere audes! Potest ergo, tuo judicio, esse probabile quod est ab Ecclesia Universali improbatum! Quumque Ecclesia nequeat improbare quod improbum et falsum non est, improbitatis et falsitatis notam certissime Ecclesia his opinionibus inussit: tu vero negas ulla eas censura notatas! Dolenda sane maxime est tanta nostrorum hominum levitas et inconsiderantia in ea re, in qua de ipso Ecclesiæ fundamento agitur.

Diligenter ergo hæc tria notentur:

1um Est per se *peccatum grave* gallicanas eas opiniones, etiam ut mere probabiles, retinere: attamen potest *per accidens* omnis abesse culpa, eo quod error sit *involuntarius*. Prima hujus conclusionis pars est plane ex dictis manifesta. Qui enim eas opiniones affirmat esse probabiles, hoc ipso et asserit Ecclesiam Universalem quæ illas improbat, in fidei doctrina errare posse; et fundamentum Ecclesiæ, quod in Petro Dominus constituit, penitus labefactat; et tyrannidis atque erroris accusat Petrum Ecclesiamque universam, qui potestatem rerum civilium ac tem-

Quod utilissimum Theineri opus christiano cuivis adolescenti, sed clericis præsertim, est sedulo perlegendum, imo diu multumque meditandum.

poralium sibi semper, tamquam a Domino acceptam, vindicarunt, quoad moralem earum gubernationem : quæ omnia et singula sunt profecto gravissima.

2um Qui opiniones illas nunquam damnatas, nulla unquam censura notatas ab Ecclesia fuisse dictitant, turpe illud committunt sophisma, quod dialectici vocant: *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Statuunt enim eas opiniones *nullo pacto* fuisse damnatas, quia non sunt damnatæ *cum notis peculiaribus*. At profecto illas esse *simpliciter* improbatas, seu, quod idem est, damnatas, apertissima testimonia ostendunt. Ab eorum tamen errorum clarius designanda *qualitate* abstinuit Ecclesia ob causas gravissimas, ut mox dicemus.

Itaque idem in hac re isti boni admittunt sophisma, quod jam in illis arguimus (1309), quum dicebant Episcopos, nisi ad eos pertineat ultimum fidei judicium, non esse amplius in Ecclesia veros judices. Negant enim Episcopos esse christianæ doctrinæ judices *simpliciter*, si non sint ejusdem judices *irreformabiles*.

3um Quum manifestum Ecclesiæ judicium de aliqua re habemus, nil prorsus refert, quid de eadem re hic aut ille vir, doctrina vel etiam ecclesiastica dignitate quantumcunque præcellens, doceat. Perperam ergo solent hoc loco nobis præclara quædam obtrudi nomina auctorum negantium eas opiniones fuisse unquam ab Ecclesia damnatas. Neque enim quid hic aut ille auctor, præjudicatis opinionibus deceptus, docuerit, sed quænam sit Sedis Apostolicæ atque Ecclesiæ Universalis doctrina, quærendum christiano est.

Atqui ipsa in istiusmodi auctoribus disputationis levitas cauto lectori facile plerumque inconsiderantiæ suspicionem ingerit. Videas, *v. g.*, doctos etiam gravesque auctores de gallicana declaratione sic ad summam statuere : a Summis Pontificibus eam fuisse *cassatam*, *annullatam*, *in nihilum redactam ;* eam igitur nobis perinde esse ac si nunquam exstitisset. At, *ne quid exaggeremus*, aiunt, animadvertamus quatuor ejus declarationis articulos nunquam fuisse damnatos, nulla unquam censura notatos. Fatemur, pergunt illi, sub Clemente XII vehementer fuisse deliberatum de *Defensione* doctrinæ in ea declaratione contentæ a Bossueto conscripta condemnanda, ut refert Benedictus XIV in epistola ad Episcopum Compostellanum. Vix enim reperias, scribit Pontifex, alium librum æque repugnantem doctrinæ in Ecclesia universa, præter unam Galliam, acceptæ, quoad Summi

Pontificis ex cathedra docentis infallibilitatem. Attamen, subdit idem Pontifex, noluit Clemens XII eam damnare tum ob honorem Bossueto aliunde debitum, tum ne novæ turbæ in Gallia excitarentur. Ex quibus omnibus illi hoc colligunt, quamquam gallicana illa quatuor articulorum doctrina Sanctæ Sedi magnam doloris causam attulerit, quamquam illa ingenio (*à l'esprit*) sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ plus aut minus repugnet, nequaquam tamen illam dici posse a Summis Pontificibus improbatam (*censurée*). Hæc auctores illi docti cæteroquin et graves.

In qua oratione duplex vitium est adeo manifestum, ut sua sponte in oculos vel invitos incurrat. Nam 1° Alexandri VIII Bullam commemorantes, per quam ab Ecclesia declarationem illam aiunt fuisse *cassatam*, *annullatam*, *in nihilum redactam*, reticent aliud verbum, ordine primum in ea Bulla, gravitate in hac causa præcipuum, scilicet *improbatam*. — 2° Ut probent *declarationem* minime fuisse damnatam, narrant noluisse Clementem XII damnare *Defensionem* declarationis a Bossueto conscriptam. Quis autem non videt, potuisse utique damnari declarationem, non damnata ob peculiares gravesque causas defensione illius a Bossueto conficta ? — Qua fronte igitur audebimus eam declarationem dicere nunquam ab Ecclesia damnatam, quam Alexandri VIII Constitutio Apostolica *improbat*, quam Pii VII Constitutio Apostolica memorat *pridem ab Apostolica Sede improbatam*, quam Innocentius XII testatur *merito a Sancta Sede reprobatam*, quam Clemens XIV confirmat *reprobari*, *nedum approbetur, a Sede Apostolica et ab Ecclesia Universali ?*

Cæterum mirabitur certe quisque prudentiam ac dexteritatem quorundam hominum, qui, dum gallicanos errores convellere nituntur, monent tamen eos nunquam fuisse damnatos, ac proinde posse tranquille retineri.

Coroll. 2. — Accurate distinguenda est natura gallicani erroris a vitio illorum qui huic erroneæ doctrinæ adhæserunt, atque etiamnum adhærent. Gallicana enim doctrina *per se* quidem et *absolute* considerata, hæretica est : at plerique eorum qui hanc sectati sunt vel sectantur, sinceri fuere catholici ac porro sunt. Neque enim, ut hæreticus quis haberi possit, doctrinæ per se hæreticæ professio quæcunque sufficit ; sed mens hæretica in pertinaci potissimum consistit animi obstinatione, quæ veritatem a Deo revelatam sibique sufficienter propositam respuat. Atqui ab hujusmodi pertinacia summopere semper abhorruerunt ple-

rique gallicani erroris sectatores, paratique semper fuerunt ad hanc prorsus doctrinam abjiciendam, statim atque intelligerent ab Ecclesia Catholica et ab ipsa Sede Apostolica illam esse damnatam. Cujus animi plane catholici luculentum præbuere testimonium ii clerici, qui ad episcopatum a rege designati, res in conventu illo a se cum aliquot iis Episcopis gestas cum maximis pœnitentiæ significationibus, Pontifice postulante, retractarunt (1320, 13°). At catholicus iste animus naturam doctrinæ, quam ille per inconsiderantiam fuerit amplexus, mutare nequaquam potest. Itaque, quantumcunque gallicani erroris sectatores voluerint esse et fuerint sinceri catholici, eam tamen doctrinam *per se* hæreticam esse hæc satis ostendunt :

1° Hæreticum est illud affirmare, quo posito Ecclesia Catholica immediate et evidenter convincitur erroris et tyrannidis constantis et universalis. Atqui articulo declarationis primo admisso, Ecclesiam Catholicam universam immediate et evidenter necesse est erroris et tyrannidis constantis et universalis damnare. Nam primus ille articulus statuit Summo Pontifici et Ecclesiæ nullam esse a Deo traditam potestatem rerum civilium ac temporalium : Summus vero Pontifex et Ecclesia semper et ubique hanc sibi rerum civilium ac temporalium potestatem, tamquam sibi a Deo traditam, vindicarunt, eamque semper et ubique, etiam in reges et principes, quoad morales ac religiosas rerum earum relationes, exercuerunt. Ergo, etc.

2° Hæreticum est affirmare, ab omnibus moraliter orbis terrarum ecclesiis, eorumque Episcopis, erroneam doctrinam circa fidei articulum maxime fundamentalem constanter retineri, approbante constanter, saltem tacite, Romano Pontifice : id enim perinde est atque affirmare totam Catholicam Ecclesiam in fidei dogmate maxime præcipuo prorsus errare. Atqui doctrina tribus posterioribus declarationis articulis contenta hoc affirmat, omnes scilicet moraliter ecclesias, omnes Episcopos cum Summo Pontifice perpetuo errare in fidei dogmate maxime præcipuo. Nam omnibus id notum est, quod Benedictus XIV et Clemens item XIV supra memorabant, Pontificem ex cathedra docentem infallibilem prorsus haberi ab omnibus ecclesiis, ab omnibus Episcopis, Pontifice ipso, tacite saltem, approbante, exceptis unis gallicanis, ac proinde hanc Pontificis infallibilitatem ab Ecclesia Catholica universa constanter credi. Nam gallicanorum aliquot Episcoporum vel etiam omnium in hac re dissensio minime impedit, quin

fides a cæteris cum Romano Pontifice retenta dicatur vere ac sit fides Ecclesiæ Universalis. Ergo, etc.

3° Nemo in Ecclesia dici potest ob suam doctrinam *profanus, perjurus, hostis, Ecclesiæ extraneus, ab Ecclesiæ fundamento revulsus, divini mysterii exsors*, nisi ejus doctrina sit plane hæretica. Atqui sancti Patres, fidei catholicæ testes, his nominibus appellant eum qui Sedis Apostolicæ judicum tamquam per se fallibile, detrectet vel detrectari posse asserat; quod gallicana tamen declaratio statuit licere. Patrum dicta referunt theologi, quos adi. Nonnulla hic brevissime indicare ex Melchiore Cano sufficiat (*a*). « Hieronymus profanum esse et perjurum dicit, qui Cathedræ Petri et Romanæ Sedis fidem non fuerit secutus. Cyprianus alienum ait esse, profanum esse, hostem esse, qui Universalis Ecclesiæ non tenet unitatem, hoc est lumen unum, unde multi radii; radicem unam, unde multi rami; fontem unum, unde multi rivi; petram unam, supra quam Ecclesia ædificata est; unum Pontificem, qui cæteros omnes sua vi et auctoritate contineat. A quo si radium tollas, exstinguatur; si frangas ramum, intereat; si præscindas rivum, arescat.... Ambrosius pro eodem penitus habet, Catholicum esse, et cum Romana Ecclesia sentire. Gregorius sic Sedis Romanæ auctoritatem in religionis fideique causa existimat esse amplectendam, ut qui noluerint, ab ejus petræ supra quam Christus Universalem fundavit Ecclesiam, soliditate convellantur. Leo exsortem divini mysterii eum esse affirmat, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere, etc. » Ergo, etc.

4° « Nicolaus (*Nicolaus I, S. P.*) finit quod qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. Nam fidem, inquit, violat, qui adversus illam agit, quæ est mater fidei. Hanc vero Nicolai sententiam noli, quæso, lector, contemnere. Quæ scilicet actione 1 et VII synodi octavæ confirfirmata est, ubi et condemnati sunt Photius et Michael, qui hoc Sedis Romanæ privilegium quatefacere nitebantur.... At enim doctrina sana oves pascere, fratres in fide confirmare,... non Petro ut privato homini, sed ut reipublicæ christianæ præfecto congruebant. Quocirca ambigi inter Catholicos nec debet, nec vero potest, quin Romanæ Sedis de fide et religione judicia certa sint. Præterea, qui negaret, in ligando atque solvendo eamdem

(*a*) *De loc. theolog.* lib. VI, cap. 7.

potestatem in Romano nunc Episcopo inesse quam Petro Christus contulisse creditur, is jure ac merito haberetur hæreticus : qui ergo firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos, his qui Petro succedunt, denegaverit, hic hæreticus judicandus erit » (*a*).

5° « In concilio Complutensi confirmato a Sixto IV condemnatus est Petrus Oxomensis nomine etiam hæresis, in eo quod asseruit, Ecclesiam urbis Romæ errare posse. Quem item errorem eodem quoque hæresis nomine damnavit Sixtus idem in extravaganti adversus Petrum Oxomensem edita.... Coactus est igitur ille sententiam recantare in hanc formam : Consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ et Sedi Apostolicæ, et ore ac corde confiteor illam me fidem tenere quam Dominus Sixtus Papa auctoritate apostolica et evangelica tenet. Et omnes qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio » (*b*). Contra quas res Ecclesia nunquam reclamavit. Ergo, etc.

6° « Martinus V in fine concilii Constantiensis : Sacro, inquit, approbante concilio, mandamus Archiepiscopis, Episcopis, etc., ut qui sacramento Corporis et Sanguinis Domini, vel de baptismate, seu peccatorum confessione, pœnitentiæ pro peccatis injunctione, vel reliquis Ecclesiæ sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentit ac docet, quam sacrosancta Romana Ecclesia docet et observat, eum tamquam hæreticum judicetis. Concilium ergo Constantiense illos hæreticos judicavit, qui Romanæ Ecclesiæ fidei et doctrinæ refragarentur » (*c*). Atqui declaratio gallicana statuit Episcopis utique licere doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, id est Romani Pontificis, refragari. Ergo, etc.

7° Eugenius IV, S. P., concilio Florentino œcumenico approbante, doctrinam trium posteriorum articulorum declarationis in Basileensibus damnavit Apostolica Constitutione data die 4 septembris 1439, in qua, præter alia, hæc habemus : « Ipsasque propositiones superius descriptas, juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum... tamquam impias et scandalosas,... ipso sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus » (*d*) : nempe decreta conventus Constantiensis statuentia Concilium esse Pontifice superius, eique a Pontifice ipso obedientiam deberi. Atqui hæreticum est asserere, quod solemni Bulla Pontificis, approbante etiam concilio œcumenico, damnatum est. Ergo, etc.

(*a*) *De loc. theolog.*, *ibid.* — (*b*) Idem, *ibid.* — (*c*) Idem, *ibid.* — (*d*) Cf. Rohrbacrum, virum clarissimum, tom. XXI, p. 558.

8° Hæreticum est affirmare, vel etiam ut mere probabile proponere, quod Apostolica Constitutione a concilio œcumenico approbata fuerit jam damnatum. Atqui errores gallicani sunt jam pridem in Pragmatica Sanctione Bituricensi damnati per Apostolicam Constitutionem Leonis X approbatam a concilio V Lateranensi œcumenico (*a*). Ergo, etc.

9° Denique huc pertinent quæ superius (1297, prob. IV) attulimus, probantes Romanum Pontificem unum esse in Ecclesia magistrum fidei morumque infallibilem; ac præcipue illud est considerandum, quod scilicet Romanus Pontifex, quum Apostolicum de fidei quæstione aliqua decretum edit, nullis prorsus permittit Episcopis ut de doctrinæ eo decreto sancitæ veritate dubitent, illamque ipsi examinent, de illa ipsi iterum judicent; sed et Pontifex solet decreti sui simplicem exsecutionem Episcopis omnibus præcipere, et Episcopi singuli et omnes in sua consecratione promittunt juramento, se *totis viribus* observaturos *decreta, ordinationes, sententias* Sedis Apostolicæ et effecturos ut ab aliis observentur. Quam rem gravissimis verbis Clemens XI, S. P., Episcopis quibusdam nostris, qui anno 1705 voluerant de Apostolico judicio judicare, sic in mentem revocat (*b*) : « Profecto si vel ipsam Apostolicæ nostræ Constitutionis formam, et quidem non a Nobis recens inventam, sed a Prædecessoribus nostris longa seculorum serie usurpatam, observare placuisset, qua omnibus Archiepiscopis et Episcopis Constitutionis ejusdem exsecutionem et observantiam integram, auctoritate Apostolica, præcipimus, committimus et mandamus, edoceri vel ea satis poteratis, Nos, in hac eadem causa, non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non exspectare sententiam, sed obedientiam injungere; obedientiam scilicet illam, quam Beato Petro, Apostolorum Principi, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, ac Nobis nostrisque Apostolicis decretis atque mandatis, in ipso sacræ vestræ inaugurationis limine, solemni juramento polliciti estis ». Ergo, si declarationi gallicanæ credimus, errant in fidei doctrina jam multis seculis omnes Romani Pontifices, errant omnes Episcopi, errat Ecclesia universa : nam declaratio illa negat decreta Sedis Apostolicæ esse per se sola, ante consensum Episcoporum, irreformabilia. Atqui hæreticum est talem errorem in Ecclesia sus-

(*a*) Cf. eumdem Rohrb. tom. XXII, p. 462 et seqq.
(*b*) *Breve* Clem. XI ad Episc. Comitior. anni 1705.

picari. Ergo declaratio illa, in se ipsa et absolute spectata, hæretica est.

COROLL. 4. — Nonnulla sunt quæ negotium multis post hæc omnia probata facessunt. Nempe 1° si doctrina declarationis tam prava est, cur ergo non clarius eam Alexander VIII damnavit? — 2° Si doctrina declarationis est damnata, cur ad episcopatum admittebantur olim a Pontificibus ii qui gallicanas opiniones palam profitebantur? — 3° Pontifex ait *irritare* se, *cassare, privare omni effectu* acta illa et gesta, ita ut *nemo teneatur illa observare*. Ergo voluit solummodo eam declarationem esse nullam et irritam habendam, quasi nunquam fuisset facta.

Verum levia profecto et futilia hæc sunt. Ad 1um respondeo, mitissime utique Pontificem in ea declaratione improbanda egisse, idcirco quia non ex animi pertinacia, sed solum ex imbecillitate ii præsules errabant. Divina enim hæc est Sedis Apostolicæ sapientia et caritas, ut errorem damnans errantibus tamen parcat quantum fieri potest, semper cavens ne *lignum fumigans exstinguat*. Et vero decretis Sedis Apostolicæ eos errores improbantibus nullus ex iis præsulibus pertinaciter ac *directe* restitit. Quum ergo mitior agendi ratio sufficeret, non fuit catholicis iis Episcopis ulla infamiæ nota inurenda. — Ad 2um : Revera Pontifices tres Innocentius XI, Alexander VIII et Innocentius XII, toto decem annorum spatio neminem ad episcopatum admiserunt ex iis qui famoso illi conventui interfuerant; nec fuerunt denique aliqui eorum admissi, nisi post retractationem expressam et publicam Pontifici suppliciter oblatam. Quod si qui deinde iis opinionibus improbatis addicti ad episcopatum perveniebant, ii profecto in ipsa episcopatus acceptatione et in episcopali consecratione jure censebantur ab iis opinionibus plane recedere, quum deberent solemni juramento promittere et reipsa promitterent plenam absolutamque obedientiam Romano Pontifici ejusque omnibus *decretis, sententiis, ordinationibus, dispositionibus, mandatis*, etc. — Ad 3um : In duplici erant genere acta illa et gesta conventus gallicani, alia *practica*, quæ ad extensionem regaliæ potissimum pertinebant, alia *theoretica*, quæ in declaratione continebantur. Quæ practica sunt, non solum improbantur, sed etiam cassantur, omni effectu privantur. Quæ vero sunt theoretica, improbantur præcipue, sed simul cassantur etiam, ne quis unquam audeat illa ad *praxim* applicare.

1322. Pos. 653ª. — Erronea declarationis gallicanæ doctrina

suapte natura necessario ad christianæ totius religionis subversionem tendit.

PROB. — Hoc præsertim argumento gravissimo: — Gallicanus error *anarchiam religiosam* necessario inducit, 1° efficiendo ut nulla sit amplius inter christianos suprema auctoritas religiosa *visibilis;* 2° Episcoporum auctoritatem labefactando; 3° totam religionis rem subjiciendo tum laicæ potestatis tyrannidi, tum protestantico sensui cujusque individuali.

Nam I. ex gallicana declaratione auctoritas Romani Pontificis nequaquam est suprema : subest enim ille concilio Episcoporum, ejusque decreta, ut sint irreformabilia, quod est supremæ auctoritatis proprium, egent Episcoporum assensione. Atqui, sublata Romani Pontificis suprema potestate, nulla esse potest inter christianos alia suprema potestas religiosa *visibilis,* ut jam superius evidenter probatum est (1296). Nam præter Romanum Pontificem, tres tantum personæ aliæ restant in Ecclesia : multitudo fidelium, Episcopi in concilium coacti, Episcopi dispersi. Jam de fidelium multitudine nihil hic ambigitur. — Episcoporum vero concilium neque est persona *ordinaria, permanens, perpetua;* neque est *independens;* neque est aliter *visibile* quam per sententiam Romani Pontificis *infallibilem*, ac proinde per potestatem supremam jam in Pontifice Romano agnitam, ut evidentissime retro demonstravimus (1296, *prob.* 3ª *pars*). — Episcopi denique dispersi nullo pacto possunt esse collectiva persona *visibilis* et *authentica;* neque sunt in judicando *independentes :* quæ omnia certissimis ac luculentissimis rationibus fuerunt superius comprobata (1296, *prob.* 2ª *pars ;* 1297 ; 1304). Ergo, etc.

II. Si Episcopis licet resistere decretis Romani Pontificis, a fortiori parochis aliisque presbyteris licebit Episcoporum præceptis resistere. Neque enim majorem presbyteri honorem et obedientiam debent Episcoporum præceptis, quàm Episcopi Apostolicis decretis debeant. Ergo gallicanus ille error, pontificiam protarchiam oppugnando, episcopalem simul auctoritatem labefactat.

III. Gallicana declaratio, ut jam sæpe monuimus, duas pestes infert : 1° Res omnes civiles ac temporales solvit quibuscunque legibus Ecclesiæ; 2° Supremam omnem auctoritatem in Ecclesia delet.

Jam vero prima hujus erroris parte fit necessario, ut ipsa etiam religio, quatenus exterius se prodit, omnino laicæ potestatis arbi-

trio subdatur. Nam externi omnes actus religionis ac res omnes ac personæ divino cultui destinatæ civilem etiam ac temporalem quamdam naturam habent, ac proinde, sub hac ratione, potestati laicæ sunt obnoxiæ. Ergo, si potestas laica in hoc jure exercendo in res civiles ac temporales, nullis Ecclesiæ legibus obstringi potest, tum omnes religionis actus externi, tum res omnes ac personæ divino cultui dicatæ permittuntur arbitrio laicæ potestatis, quæ ob illam absolutam independentiam sibi a gallicanismo in rebus civilibus ac temporalibus concessam, jure poterit de iis actibus, rebus et personis ad divinas religiones pertinentibus, statuere utcunque voluerit, nulla legum evangelicarum et apostolicarum habita ratione, et eorum quæ statuerit, exsecutionem per vim urgere. Ergo bossueticæ declarationis prima pars teterrimam totius religionis et rerum ac personarum ecclesiasticarum servitutem sub laicæ potestatis *legali* tyrannide inducit.

Altera vero ejusdem erroris pars tribus posterioribus articulis contenta in protestanticum sensum individualem prorsus nos perducat necesse est. Etenim, si auctoritas viva et infallibilis nulla inter Christianos est *visibilis*, nulla restat alia ratio revelatæ doctrinæ discernendæ atque interpretandæ quam privata cujusque industria. Atqui per tres illos posteriores articulos aufertur omnis ejusmodi *visibilis* auctoritas infallibilis. Nam Romani Pontificis negatur esse judicium irreformabile; concilium vero Episcoporum nullum adest; etiamsi adesset, errare potest, atque erravit aliquando; quodnam sit legitimum, nequit certo constare, quia Pontifex in illo designando errare, ex illa sententia, potest. Episcopi demum dispersi quid de unaquaque re sentiant, cognosci *authentice* nequit. Ergo, etc.

1323. Coroll. 1. — Singula et omnia hæc quæ *a priori* evidenter demonstramus, manifestissimo iterum experientiæ luctuosæ testimonio confirmantur.

1° In causa Jansenistarum appellantium a Constitutione *Unigenitus* ad futurum Concilium seculo superiore apertissime fuit patefacta veritas ejus rei quam secundo loco affirmavimus, sublato scilicet Romani Pontificis infallibili judicio, nullam esse amplius in Ecclesia supremam auctoritatem *visibilem*. En ex Billuartio, tunc temporis florente, quæ Jansenistæ reponebant Catholicis eos arguentibus quod, Constitutioni *Unigenitus* reluctantes, judicium Ecclesiæ universæ respuerent: negabant illi scilicet ullo modo constare, quod Episcopi dispersi ei Constitutioni

assentirentur (*a*). Ex Episcoporum silentio, aiebant, nequit eorum tacitus consensus colligi, quia possunt aliæ multæ silendi causæ adesse, *v. g.*, timor, cupiditas, ambitio, etc. — Deinde, soli Episcopi Europæ acceptarunt. — Neque hi quidem ipsi acceptarunt libere, sed aliqui metu Inquisitionis, omnes metu excommunicationis latæ in non acceptantes. — Præterea, extra Galliam Episcopi acceptarunt, qui credunt Papam infallibilem, quod vos ipsi negatis. — Quid quod Pontifex vetat suam Bullam ab Episcopis examinari? — Saltem exigit illa omnimodam ob Episcopis obedientiam.— Neque Episcopi sunt in hac acceptatione unanimes; alii acceptarunt simpliciter, alii relative ad suas explicationes, etc. Hactenus ex Billuartio.

2° Ex quo gallicanus error late vagari cœpit, Episcoporum auctoritatem et libertatem plurimum fuisse in Gallia imminutam, notissimum omnibus est. Quo etiam factum est, ut, presbyteris et laicis episcopalia præcepta spernentibus, sicut Episcopi pontificias leges parvi aliquando pendebant, vires Episcopis nunquam amplius ex eo tempore usque ad horrendam rerum omnium perniciem, sub exitum ejus seculi, sufficientes fuerint ad errores in suis diœcesibus comprimendos, ad dissidia compescenda, ad pacem restituendam. Quod animadvertit, ad eorum aliquos scribens, Clemens XI, S. P. (*b*). « Et quidem, ait ille, quum, ut magnus fidenter aiebat Leo, *præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis esse nequeat ulla constructio*, videte, venerabiles Fratres, ne ista porro causa sit, cur post tot annorum curricula nunquam in ecclesiis vestris pax vera fuerit, nec unquam futura sit, nisi, ut vos ipsi non ita pridem loquebamini, profligandis erroribus Romanæ Sedis invalescat auctoritas et clara firmaque de rebus ad catholicam fidem pertinentibus prolata sententia caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque restituat. Tum demum *unanimes, idipsum sentientes*, et non erunt in vobis schismata, quum primæ Sedi, unde sacerdotalis unitas exorta est, humili adhæsione consentietis : tunc a subditis vobis ovibus integram obedientiam exigetis, quum eam Romanæ Ecclesiæ, cui vos subjectos esse cognoscitis, pleno animo præstiteritis».

3° Quam fœda vero laicæ potestatis tyrannis seculo eodem

(*a*) *De reg. fidei*, dissert. 3, art. 7.— (*b*) *Breve* jam cit. Clem. XI ad Episcopos comitior. anni 1705.

superiore gallicanis ecclesiis incumberet, quis ignorat? « Gravissimas ærumnas, scribit Clemens XIII Episcopo Biterrensi (*a*), quibus in vestra Gallia premitur jamdudum Ecclesia, et, quæ impendere videntur, atrociora mala, non solum tuæ, sed complurium etiam aliorum venerabilium Fratrum Gallicanorum Episcoporum ad Nos litteræ pertulerunt. Verbum Dei adulteratum, funditus eversam Ecclesiæ disciplinam; seculares magistratus in augustissima quæque religionis nostræ sacra irrupisse; pro eorum lubitu administrari sacramenta; eos potestatem fere omnem discernendi quos a sanctissima Eucharistia prohiberi oporteat, ereptam Episcopis sibi arroganter tribuere; inde fieri (quod horrendum dictu est) ut sanctum canibus detur; proculcatam denique sanctitatem Ecclesiæ, ejusque imminutam sublimem potestatem, majestatemque divinam, seu potius Christi sponsæ per summam injuriam compedes injectos, durissimumque jugum impositum servitutis ».

Turpe hoc laicæ tyrannidis jugum inter primos subiit Bossuetus ipse, qui suis manibus illud confecerat, gallicanam declarationem conscribens. Itaque, qui tanta in Christi Vicarium, cui plenam obedientiam juramento promiserat, arrogantia superbiebat, Mentenoniam, regis uxorem occultam, supplex adibat, ejus patrocinium rogans, ne episcopales suas litteras cogeretur laicæ regii magistratus censuræ subjicere (*b*).

Coroll. 2. — Duplicem gallicanismum boni quidam distinguunt, *laicum* seu *curialem* (*gallicanisme parlementaire*), et *theologicum* seu *clericalem*. Posteriorem hunc ad insaniam usque tuentur; priorem detestantur. Curialis autem ille gallicanismus hoc differt a clericali, quod, primo bossueticæ declarationis articulo fretus, velit omnino actiones, res ac personas ecclesiasticas laicæ potestati subditas; quod profecto nequit ullo pacto illi denegari ab iis qui bossueticæ declarationi adhæreant. Hoc enim ipsum illi conceditur per primum declarationis articulum, ut nuper ostendimus. Quare gallicanismus curialis nequit a

(*a*) *Epist.* data die 9 nov. 1763.

(*b*) « Quoi, s'écrie l'évêque de la Rochelle, le grand Bossuet implore Mme de Maintenon! Qu'il serait bien mieux aux pieds du Souverain Pontife, qui accueillerait son repentir, et le recevrait entre ses bras! » (Apud Rohrbacrum jam cit. tom. 26, p. 276). Adeo verum est, quod nostrorum maxime temporum experientia testatur, eum qui a legitima sui *superioris* potestate se subducit, in turpem ac duram domini illegitimi servitutem necessario decidere.

clericali separari : et boni isti qui, declaratione retenta, curialem gallicanismum redarguunt, ridiculi sunt, secum ipsi pugnant, errori amentiam addunt.

Coroll. 3. — Longe ante exortam declarationem theologi nonnulli, quos Melchior Canus *non satis acutos* vocat (a), Romanam Ecclesiam a Romano Pontifice discernebant, aiebantque hunc in fide errare posse, illam non posse. Hac distinctione utuntur etiam nonnulli e gallicanis auctoribus, Ecclesiamque Romanam infallibilem dicunt, modo ne idem de Romano Pontifice affirmare cogantur. Et distinctionem quidem in Pontificis persona ipsi superius fecimus, sed valde dissimilem (1298, coroll. 2, II); nam, Romanum ipsum Pontificem semper considerando, eum in privata persona loquentem distinximus ab eodem docente in publica persona Pontificis, nempe *ex cathedra*, sive ex officio apostolici muneris. Quæ distinctio et sana et necessaria est, ut loco memorato explicavimus. At illa alia distinctio Ecclesiæ Romanæ et Romani Pontificis, quum de publico fidei judicio agitur, insulsa et absurda est. Nam, ut Canus animadvertit (b), 1° « quum ad Sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, non singulos Romanæ Ecclesiæ fideles interrogamus, nec Ecclesiam ipsam Romanam in concilium cogimus, sed Pontificis Maximi judicium quærimus, ejusque sententiam exspectamus ». 2° « Non Romanus populus est, qui Ecclesiam Universalem docet ea quæ ad fidem attinent, sed Romanus Episcopus. Nec potestas judicandi de causis fidei, ligandi, solvendi, pascendi, in populo Romano est, sed in Romano Pastore, Vicario Jesu Christi. Concilia quoque non exigunt confirmationem et robur ab ipsa Romana plebe, sed a plebis Romanæ Antistite ». — 3° « Privilegium firmitatis, ut ante probatum est, Petro fuit peculiariter datum ». — 4° « Si Pastor Ecclesiæ Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oves quoque, errante pastore, dispergerentur ». — 5° Quæcunque supra de Romanæ Sedis infallibili judicio docuimus (1297, IV), de uno Pontifice sedente vera sunt, non de sede quæ sit aliquid aliud a Pontifice.

Perperam ergo, quum de fidei decreto loquimur, discrimen istiusmodi confingitur inter Apostolicam Sedem et Apostolicæ Sedi insidentem.

1324. Pos. 654ª. — Erronea declarationis bossueticæ doctrina

(a) *De loc. theol.* lib. 6, cap. 8. — (b) *Ibid.*

est regibus et civili ac politico rei publicæ ordini vehementer periculosa.

PROB. — 1° Quæcunque auctoritatis impugnatio periculum creat omnibus qui particulari aliqua sint auctoritate instructi. At ubi auctoritas omnium maxima, omnium maxime sacra, omnium maximo in honore maximaque reverentia apud homines habita impetitur, *actum est*, ut ipse ait Blancus socialista (*a*), *de ipso auctoritatis principio* : neque auctoritatem in regibus reverebitur ille, qui auctoritatem in Christi Vicario spernit. Atqui bossuetica declaratio plenitudinem auctoritatis impugnat in Christi Vicario, quem populi omnes christiani, tamquam infallibilem fidei magistrum, longeque supra omnes Episcopos, seu dispersos sive in concilium coactos, per monarchicam potestatem, eminentem, venerati semper sunt. Ergo, etc.

2° Declaratio illa per primum articulum liberat reges a quibuscunque legibus moralibus, quarum interpres et magistra est jure divino Ecclesia, ac proinde illos sensim inducit ad despoticum ac tyrannicum regimen exercendum. Atqui effrena hæc ratio regiminis, ut infinita populis damna, ita maxima etiam regibus pericula, et certam quoque, serius ocius, perniciem affert. Ergo, etc.

3° Per eumdem articulum ea declaratio reges incitat ad Ecclesiæ jura violanda, Ecclesiæ leges spernendas, Ecclesiæ bona rapienda, ecclesiasticam rempublicam omnem iniqua servitute opprimendam. Hoc autem scelus gravissimis semper publicisque pœnis, serius ocius, a Christo Domino, Ecclesiæ Auctore, Sponso, Pontifice, Custode, Vindice, castigatur. Ergo, etc.

4° Bossueticæ declarationis doctrina monarchicum Ecclesiæ principatum a Christo constitutum evertit, et polyarchicam ei formam (*forme républicaine*) inducit, summam Ecclesiæ auctoritatem in Episcoporum consensu collocans : atque hac ratione, favente maxime protestantico nostrorum temporum latissime diffuso ingenio, sensim populos perducit ad formas regiminis *repræsentativi neoterici*, de quo libro IV disputatum est. Atqui protestantica hæc forma regiminis, summam auctoritatem in omnium civium assensu, id est in *publica opinione*, statuens, et po-

(*a*) « C'en est fait du principe d'autorité, pour peu qu'on l'atteigne dans sa forme la plus respectée, dans son représentant le plus auguste. » (Cf. n. 1318).

pulis et regibus infinitas calamitates genuit, ut retro probatum est. Ergo, etc.

1325. COROLL. 1. — Bossuetus ergo cæterique Episcopi ejus declarationis auctores summam regiæ familiæ perniciem, dum Ludovici temeritati ac superbiæ turpiter serviunt, nolentes utique nec cogitantes, præpararunt. Et Ludovicus ipse, qui molestias Pontifici solum aliquas ea declaratione creare in animo habebat, foveam suis effodit, in quam non multis post annis totum ejus genus miserrime prolapsum est. Neque enim impune potest Christi Vicario injuria publice inferri; et lacrymæ, quas forte principes viri per sua in Sedem Apostolicam scelera eliciant ex oculis Romani Pontificis, in ignem quemdam convertuntur acerrimum et ineluctabilem, quo deinde florentissima etiam regna consumuntur (*a*).

COROLL. 2. — Ex omnibus in hoc articulo expositis quisque intelliget quantopere sit nobis formidanda illa Innocentii XI, Pontificis Maximi, querimonia : « Episcopi Clerusque Galliæ, qui corona olim et gaudium erant Apostolicæ Sedis, ita se erga illam in præsens gerunt, ut cogamur multis cum lacrymis usurpare propheticum illud : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* » (*b*).

Quapropter maximæ debentur gratiæ nostris iis Episcopis, qui prudentia pari et solertia ad christianissimam hanc gentem a fœda gallicanismi peste purgandam feliciter incumbunt.

CAPUT III.

De summis Ecclesiæ Juribus.

ARTICULUS I.

De ecclesiasticis potestatibus constituente, deliberativa et legislativa.

1326. NOTANDUM. — Ecclesia Christiana est amplissima quædam societas a Deo ipso immediate in terris constituta, ut supra

(*a*) Cf. de his omnibus Rohrbach *Histor. eccles.* tom. XXVI, a p. 467 ad 476, et alibi passim.

(*b*) *Breve* Innoc. XI ad Episcop. Comitior. anni 1682, jam cit.

vidimus (1260, 1266); eadem est *obligatoria*, ita ut nullus homo possit ultimum suum finem assequi, nisi huic divinæ societati fideliter constanterque adhæreat (1277); ea demum est prorsus *independens* in iis omnibus quæ ad ejus proprium finem et ad mediorum illi propriorum usum pertinent (1276). Ergo Ecclesiæ Christianæ competunt omnia jura, quæ societas quælibet *completa, legitima, independens,* potest juxta legitimam suam constitutionem possidere. Jam vero politicæ cuilibet societati independenti insunt essentialiter quatuor illæ potestates supremæ, quas libro X consideravimus, *constituens, deliberativa, legislativa* et *exsecutiva;* quæ postrema, ut ibidem docuimus, quatuor partes continet, *gubernationem, administrationem, judicia* et *vim publicam.* Hæ igitur potestates, quoniam dubitari nequit ab homine sano quin christianæ societati competant, qua ratione singulæ in eadem insint, breviter primum expediemus; tum de potestate administrativa et de vi publica paulo fusior disputatio instituenda est.

1327. Pos. 655ᵃ. — Jurium Ecclesiæ politicorum plenitudinem habet solus Pontifex Romanus, qui ea pro arbitrio suo distribuit jure divino inferioribus præsulibus, salva tamen in omnibus divina ordinatione.

Explic. — In monarchico rei publicæ statu plenitudinem jurium omnium politicorum habet solus monarcha. Principatum autem in Ecclesia monarchicum fuisse a Christo Domino in Romani Pontificis persona constitutum supra demonstravimus (1297). Ille igitur unus plene ac perfecte hæc jura omnia possidet. At vero Episcoporum deutarchia fuit a Christo Domino ipso immediate sub Romano Protarcha instituta. Tenetur ergo Romanus Pontifex hæc jura cum inferioribus præsulibus communicare. Attamen in iis omnibus quæ nullo sunt divino præcepto determinata, potest semper Pontifex quæ sibi meliora videantur, pro summo suo jure utcunque constituere. Hæc de potestate constituente universim notasse hoc loco sufficiat.

1328. Pos. 656ᵃ. — Ecclesiasticæ potestatis deliberativæ, quæ plene ac perfecte in solo Romano Pontifice residet, Episcopi utique sunt jure divino participes per duplicem monitionis viam, tum ad suos subditos, tum ad ipsum Protarcham dirigendæ.

Explic. — I. Hoc ipso quod solus Romanus Pontifex divino privilegio est omnium christianorum *pater* et *doctor* (1262, 1297), et solus est in Ecclesia docenda per se ipse divino munere *in-*

fallibilis (1297, IV), manifestum est in illo solo inesse potestatis deliberativæ ecclesiasticæ plenitudinem.

II. At, quoniam auctoritas ecclesiastica jure divino in Episcopos propagatur, etiam potestas deliberativa debet illis jure divino competere, cum essentiali tamen illius ad supremum Protarchæ judicium subjectione. Sunt igitur Episcopi omnes et singuli jure divino in Ecclesia patres et doctores fidei christianæ. Quare certissimum illi ex divina ordinatione jus habent tum examinandæ in suis subditis christianæ doctrinæ, ejusdemque tradendæ; tum judicandi cum potestate in quacunque fidei controversia; tum etiam veræ doctrinæ Summo Pontifici ex officio proponendæ, illiusque commonefaciendi, si quid videatur minus recte statuere. Attamen et magisterium illud Episcoporum est semper jure divino obnoxium correctioni a Romano Pontifice, si opus sit, faciendæ; et eorum judicium de fidei quæstionibus nunquam est per se ultimum et infallibile; et in Pontifice commonefaciendo, postquam ea quæ ad rem facere videbantur, illi reverenter proposuerint, ejus denique judicio rem totam debent permittere.

Qua ratione autem sit ab Episcopis magisterium illud exercendum, quo pacto etiam eæ monitiones inferiorum præsulum ad Pontificem deferendæ sint, certis est definitum legibus, quæ a canonistis explicantur.

1329. Pos. 657ª. — Solus Romanus Pontifex habet potestatem legislativam in Ecclesiam universam; singuli vero Episcopi sunt hujus potestatis legislativæ participes pro sua quisque diœcesi, ita tamen ut hæc eorum facultas optimo jure possit a Romano Pontifice, prout satius ille duxerit, limitari.

Explic. 1ª pars. — Legislativa potestas est omnium maxime auctoritatis socialis propria; ac proinde eodem modo legislativam potestatem possident Romanus Pontifex et singuli Episcopi, quo tenent jure divino ecclesiasticam auctoritatem. Atqui, ut jam vidimus (1262, 1297, 1304), in Romano Pontifice inest plena et absoluta auctoritas in Ecclesiam universam; in Episcopis vero inest ad propriam cujusque diœcesim determinata, et supremæ Pontificis auctoritati subdita. Ergo etiam potestas legislativa, etc.

Explic. 2ª pars. — Absolute loquendo, semper potest monarcha potestates omnes magistratuum sibi subditorum limitibus magis vel minus arctis, utcunque sibi videbitur, circumscribere. Hoc autem summum jus a monarcha eo magis est exercendum,

quo latius societas ab ipso gubernanda protenditur. Etenim quum suprema auctoritas sit socialis unitatis essentiale principium (452), quumque ex legibus ordinis hypotactici *fundamentalibus* suprema auctoritas debeat in particularem consortiorum gubernationem intervenire, quotiescunque particularis eorum auctoritas non amplius ad ordinem in iis tutandum sufficit (725); hinc plane consequitur, quo latius excrescit societas, eo magis debere supremam auctoritatem intervenire ad particularia consortia per se ipsam gubernanda : 1° Quia quo amplior fit societas, eo plura et validiora in eadem pullulant dissidiorum et divisionis principia. Ergo tanto majore vi occurrere iis debet principium unitatis socialis, quod est suprema auctoritas. — 2° Quia quanto amplius protenditur et invalescit societas, auctis eadem ratione passionum irritamentis, tanto sæpius ac facilius particulares consortiorum præsides auctoritate sua tum contra suos subditos, tum contra Protarcham ipsum abutentur. Ergo pluribus erit a Protarcha vinculis illiganda particularis singulorum et omnium eorum præsidum auctoritas, tum ut societatis universæ unitatem illi omnes per communem sub uno Protarcha obedientiam servent, tum ut consortia singula et omnia adversus particulares eas auctoritates insolentius luxuriantes præmuniantur. Ergo, etc.

1330. Coroll. — Jam quisque intelligit quanta esset Jansenistarum et Gallicanorum impudentia, quum leges apostolicas ad Episcoporum singulorum ministerium dirigendum et in recta via continendum a Romanis Pontificibus conditas appellare audebant *injustas invasiones in jura episcopalia;* quasi nimirum Episcopi non essent ex divina ordinatione oves Petri, ac proinde a Petro pascendæ, regendæ, gubernandæ. Igitur quod injustas invasiones illi per singularem temeritatem dicebant, nihil aliud reipsa est quam particularis applicatio juris illius hypotactici, per quod auctoritati domesticæ, *v. g.*, jus capitalis pœnæ ablatum est, aliæque permultæ sunt impositæ leges eam multis modis limitantes.

Desipiunt ergo boni quidam, qui legum pontificiarum vim effugere se posse sperant objecta illa insulsa quæstiuncula : *Num Romam scribemus, ut veniam aquæ benedictæ faciendæ accipiamus?* Nequit profecto jocularibus verbis Evangelium infirmari : nec nugatoriæ ratiunculæ, ad superbiam ac temeritatem velandam conquisitæ, poterunt unquam obedientiæ Petro, Christi Vicario, legitime præcipienti negatæ scelus excusare.

ARTICULUS II.

De duplici Ecclesiæ potestate exsecutiva, et de ecclesiasticis potestatibus gubernativa et judiciaria.

1331. Pos. 658ª. — Ecclesiastica potestas exsecutiva est in duplici ordine, altera interna, altera externa : hanc hierarchia visibilis cum plena libertate gerit; illa, omnino jam divinis institutis determinata, a sacris ministris exercetur; sunt tamen hæ duæ potestates vario modo in variis christianæ hierarchiæ gradibus vel conjunctæ vel separatæ.

Explic. 1ª pars. — Ecclesiæ duplex est proprius finis essentialis, alter internus, alter externus : animæ scilicet per Christum sanctificatio et salus, et socialis conspiratio ad illa profitenda et facienda omnia quæ Christus docuit ac præcepit (1264, 1273). Itaque duplex etiam est in Ecclesia *motus* : internus alter singulorum fidelium in Deum; alter externus aliorum fidelium in alios, ad priorem illum conducens. Quod præcipuum discrimen est christianam societatem inter ac societates mere materiales. Ergo duplex esse in Ecclesia debet principium motus. Atqui potestas exsecutiva est quæ per auctoritatem concrete in quibusdam personis agentem imprimit singulis et omnibus sociis motum jam generaliter et abstracte ab aliis potestatibus decretum ac determinatum. Ergo duplex Ecclesiæ est potestas exsecutiva, interna et externa.

Explic. 2ª pars. — Internum animorum motum Deus ipse immediate gubernat. Quare media per quæ directe sacri ministri in animos hominum operantur, quippe quæ sunt actiones divinam virtutem ad internos in animis motus producendos directe applicantes, sunt jam a Deo immediate et undequaque determinata. At externum eorumdem motum mediate Deus per virtutem hominibus datam gignit et dirigit.

Explic. 3ª pars. — Sicuti inter duplicem illum finem, atque inter duplicem illum motum est essentialis connexio in eo posita quod finis et motus interni per finem et motum externos obtineantur, et hi posteriores essentialiter ad priores subordinentur; ita etiam inter duplicem eam potestatem exsecutivam est perpetua connexio, non solum quia altera est ad alteram ordinata, sed quia utraque in eadem una ecclesiastica auctoritate residet. Neque enim potest hæc auctoritas, cujus certe proprium est internum animo-

rum motum in Deum procurare, externa media a Christo Domino instituta ad hunc internum motum producendum adhibere, quin externas quasdam ponat actiones, quæ, hoc ipso quod externæ sunt, ad externam etiam potestatem exsecutivam pertinent.

Sunt igitur hæ duæ potestates exsecutivæ inter se ita connexæ, ut in eadem ecclesiastica auctoritate necessario insint. Hæc tamen connexio non sane impedit quin diversis plane modis hanc et illam diversi personarum ecclesiasticarum gradus possideant. Qui gradus diversi secundum quos hujus supernaturalis societatis auctoritatem diversæ personæ possident, sunt profecto ad socialem unitatem constituendam et conservandam absolute necessarii, ut retro monstratum est, et generaliter de quacunque societate est evidens. Itaque utramque potestatem exsecutivam plene et absolute unus Romanus Pontifex jure divino habet. Episcopi vero plenam habent potestatem internam; at externam non item, sed *incompletam* et supremæ subditam. Presbyteri denique internam habent *incompletam;* publicam vero potestatem exsecutivam ex officio suo nullam habent.

1332. Coroll. 1. — Externa hominum per externarum legum applicationem gubernatio multo minus assiduas et individuas curas requirit, quia publicæ tantum eorum actiones dirigendæ sunt. At internum animorum regimen, quo illi apte ad Deum perducendi sunt, quotidianam et perpetuam operam et singula quæque minutatim curantem omnino postulat; quia quisque Deo cultum debet perpetuum et quotidianum, et quotidianis ac maxime variis urgentur plerique necessitatibus solatii, doctrinæ, monitionis, correptionis, ac proinde illorum etiam subsidiorum quæ ad hæc omnia curanda ab Ecclesia salubriter suppeditantur.

Exsecutiva igitur potestas interna multo magis fuit subdividenda in alios gradus, quam externa : neque ex eo quod presbyteri interna polleant ea potestate, colligere licet externa etiam et publica potestate exsecutiva esse illos ex proprio munere instructos; quod plures per varia tempora hæretici voluere.

Quapropter idem plane sunt in christiana Ecclesia Presbyteri quod patresfamilias in laica societate publica. Neque minus absurdum est Presbyteros cum Episcopis, quam patresfamilias singulos et omnes cum præfectis seu gubernatoribus provinciarum coæquatos velle. Sunt enim hi tres præcipui gradus christianæ hierarchiæ, similibus plane gradibus laicæ societatis respondentes : Romanus Pontifex, hujus amplissimæ societatis monarcha per-

petuus, immutabilis ; *Episcopi*, singularum diœcesium gubernatores jure divino constituti ; *Presbyteri*, singulis parœciis *interna* potestate exsecutiva gubernandis præpositi. *Parœcias* enim christiani appellamus particularia consortia, in quibus singulis minister unus *internam* potestatem exercet ad quotidianum fidelium regimen spirituale.

Coroll. 2. — Jam facile quisque videt quænam personæ sint quasi organa sive instrumenta functionum illarum quatuor quas potestas exsecutiva interna, non secus atque externa, complectitur. Scilicet, 1° quum mentes ac voluntates illa gubernare debeat, per varios id præstat *veritatis* et *officii* præcones, *concionatores* videlicet, *confessarios*, animarum *directores*. — 2° Divitiarum spiritualium *administratio* geritur a ministris *sacramentorum*, quæ illarum sunt fontes præcipui. — 3° *Potestas judiciaria* interna ab iisdem his ministris exercetur in *foro interno*. — 4° In hoc foro interno reus ipse *vim* judici præbet ; cujus sententiam si pertinaciter detrectet, tum vero in manus incidit Dei omnipotentis.

1333. Pos. 659ª. — Ecclesiasticam potestatem gubernativam externam Romanus Pontifex et Episcopi soli habent jure divino ; ille plenam et absolutam, hi *partialem* et *subordinatam*.

Triplici parte hæc positio constat : 1ª Romanus Pontifex plenam habet absolutamque ecclesiasticam potestatem gubernativam jure divino ; 2ª Episcopi eamdem habent eodem jure *partialem* et *subordinatam* ; 3ª Nulli alii ministri habent ex officio suo potestatem externam. Jam vero prima pars consequitur necessario ex iis quæ supra jam de monarchico Romani Pontificis in Ecclesiam universam principatu disputata sunt. Altera pars, quatenus negat Episcopis æqualem cum Pontifice Romano potestatem, ex prima evidenter sequitur. Eamdem vero secundam partem, quatenus affirmat Episcopos jure divino ea potestate pollere, et tertiam partem quæ aliis ullis ministris eam potestatem competere negat, certissimis argumentis theologi et canonistæ comprobant, ab iisque has veritates, tamquam factum quoddam, accipimus.

1334. Pos. 660ª. — Ecclesiastica auctoritas habet ex immediata Dei ordinatione jus sententia irreformabili judicandi tum de fidei morumque doctrinis, tum etiam de rebus civilibus ac temporalibus cum ordine spirituali connexis.

Prob. — Ecclesiasticæ auctoritatis officium est christianæ societati applicare omnes Christi Domini *ordinationes* ad ultimum humani generis finem pertinentes. Debet autem id præstare sub-

ditorum suorum mentes, voluntates et actiones dirigendo secundum illas ordinationes : qui subditi possunt eidem sese vel obedientes vel reluctantes, sicut in alia qualibet societate, exhibere.

Ergo 1° ecclesiasticæ auctoritatis jus et officium est inspicere ac definire utrum doctrinæ cum Christi ordinationibus congruant et ad ultimum illum finem conducant, quocunque tandem modo hæ doctrinæ manifestentur, seu verbis, seu scripto, seu per imagines aut alia signa quælibet. Ecclesiæ namque a Deo creditum est mentium regimen etiam quoad verum mere internum : proinde jus illi et officium est *practica* seu *physiologica* subsidia adhibendi, ut impediat ne verum interne in mentibus insitum oblatis ad errores invitamentis corrumpatur.

Ergo 2° jus illi et officium est judicandi sententia irreformabili de rebus etiam civilibus ac temporalibus, quatenus voluntas vel actio, quæ circa illas versentur, possunt cum Christi ordinationibus et ultimo fine hominis vel congruere vel pugnare. Neque enim solummodo mentes ad verum, sed voluntates quoque et actiones ad bonum dirigere Ecclesia ex divino præcepto debet. Atqui civiles etiam res ac temporales possunt profecto cum vero et bono congruere vel pugnare (179, 199), quatenus objectum eæ sint voluntatis et actionis. Ergo, quidquid machiavellicus Pseudo-Politicorum et Gallicanorum error jam pridem in contrarium deblateret, ad ecclesiasticam auctoritatem pertinet inspicere utrum lex quæpiam civilis aut alia res vel actio quælibet temporalis consentiat necne cum legibus veri et boni in utroque ordine, naturali et supernaturali, idque sententia prorsus obligatoria definire.

1335. Coroll. 1. — Quo pacto hæc potestas judiciaria in ecclesiasticis magistratibus resideat, satis constat ex iis quæ nuper de potestate gubernativa externa docuimus. Est enim eadem hujus et illius ratio. Nimirum *plene* et *absolute* in Romano Pontifice, *subordinate* et *relative* in Episcopis, nullo modo in Presbyteris potestas judiciaria, sicut gubernativa, jure divino inest.

Coroll. 2. — Ex hac ultima positione intelligitur illud quod Pseudo-Politicis et Gallicanis minime arridet, at certissimum tamen, quantumvis illi reluctentur, est, soli nempe Ecclesiæ christianæ, id est catholicæ, e quibuscunque hominum societatibus, suppetere medium authenticum quo ostendat probetque per se ipsa auctoritatis suæ *veritatem*, et suarum legum *honestatem*, ac proinde etiam *validitatem* ; cæterasque societates

hominum ac potestates non aliter quam per Ecclesiæ judicium posse auctoritatis suæ veritatem monstrare ac stabilire. Sola videlicet Ecclesia habet in se ipsa et præ se fert authentica documenta (*titres*) jurium suorum; auctoritates vero civiles ac temporales nulla in se ipsis ejusmodi habent documenta, sed ab Ecclesia hæc accipiant necesse est. Soli namque Ecclesiæ commissa est rerum spiritualium potestas. Atqui judicium de *juribus*, de *veritate*, de *honestate*, de *juridica validitate* pertinet evidenter ad judicem rerum spiritualium : sunt enim hæ res omnes et singulæ plane spirituales. Ergo, etc. Cf. quæ inferius de essentiali subordinatione potestatis secularis sub spirituali a nobis disputantur (part. 3, cap. I, art. 2).

Quibus omnibus illud etiam fit manifestum, quanta sit stultitia Politicorum, quando hi temporalia Gubernia impellunt ad Ecclesiam vexandam, a qua una possunt *auctoritatis* et *validitatis* authentica his Guberniis eorumque legibus testimonia tradi.

ARTICULUS III.

De ecclesiastica potestate administrativa.

1336. Notandum 1. — Potestatis administrativæ universim est materiales divitias vero aliquo dominio possidere, ac proinde posse de illis pro arbitratu suo, salvis legum ordinationibus, statuere (715, 1803). Quærendum ergo hic est, utrum christianæ Ecclesiæ jus insit materiales divitias vero dominio possidendi, easque per se ipsam administrandi. In qua quæstione debet profecto dubitatio ipsa videri perabsurda et perridicula, quum nulla possit nisi per summam insaniam causa dubitandi confingi. Attamen quod ratio evidentissimum judicat, non facile concedit auri *cupiditas* illa, quæ a Paulo Apostolo *radix omnium malorum* appellatur (*a*). Hac enim potissimum cupiditate multi principes viri ad Ecclesiam vexandam incitati sunt, ut ejus opes materiales ad Dei cultum et ad clericos ac pauperes alendos destinatas possent sibi sacrilego latrocinio vindicare.

Est autem hic in memoriam revocandum quod superius jam explicatum est (1155), duplicis ordinis dominium esse distinguendum, *civile* nimirum et *politicum*. Prius illud consistit in jure utendi opibus materialibus easque in proprios usus consumendi

(*a*) 1 Tim. ad VI, 10.

vel alienandi. Alterum dominium est jus ordinandi congruenter ad publicam utilitatem dominium civile a subditis in res quascunque possessum. Dominium civile ad privatos potissimum et ad particularia consortia pertinet; politicum vero proprium est supremæ socialis auctoritatis.

NOTANDUM 2. — Discernendum est etiam diligenter jus dominii et civilis et politici Ecclesiæ competens ab hujus dominii abusu, quem omnes pariter in clericis non secus atque in laicis hominibus, quotiescunque exstiterit, toto animo damnamus. At pessima tyrannis est in ordine practico, sicut in ordine logico est pessimum sophisma, rem ipsam damnare ac delere ob ejusmodi abusum, quem aliqui forte illius fecerint. Quum enim nulla res sit, qua non aliquando complures homines abutantur, omnia pariter jura laicorum etiam et dominia et proprietates erunt abolenda, si propter abusum rei censemus rem ipsam perire oportere. Jus ergo ipsum agitur ab æterna lege dimanans, non hujus vel illius clerici imprudentia vel cupiditas, quum de ecclesiastico dominio disputatur : neque vel inæqualis earum fortunarum distributio, vel miserrima aliquorum luxuries obtrudenda est, quando ullum esse posse ecclesiasticum rerum temporalium dominium independens negatur.

1337. Pos. 661ª. — Christiana Ecclesia jure divino potest ac debet verum dominium habere, et civile et politicum, divitiarum aliquarum materialium, independenter a quacunque laicæ potestatis concessione.

PROB. 1°—Jus dominii generaliter oritur a duplici jure propriæ *conservationis* et *independentiæ*, ut explicatum et probatum est libro VII (780). Ergo quo validius alicui jus est sui ipsius libere conservandi et perficiendi, eo firmius eidem etiam jus dominii competit divitiarum materialium, si hæ sint illi ad se conservandum et perficiendum necessariæ.

Atqui societas religiosa inter homines, etiam in ordine mere naturali, habet ad sese conservandam et perficiendam jus multo validius quocunque civilis societatis jure, et jus independens ab omni laica potestate; et ad sese conservandam ac perficiendam est illi necessaria proprietas divitiarum materialium.

Nam 1. religionis cultus omni homini est multo magis necessarius quacunque re ad præsentem vitam spectante. At omnis etiam homo, quum sociali vitæ sit per triplicem illam necessitatem, metaphysicam,, physicam et moralem, quam libro IV

explicavimus (cap. II). plane affixus, ad religionem etiam socialiter colendam est naturali necessitate alligatus, ut constat ex iis quæ de cultu Dei externo demonstravimus libro V (559). — 2. Socialiter religio exerceri nequit sine templis, sacrificiis, ministris socialibus, seu publicis. Hæc autem habere societas ulla nequit sine socialibus divitiis ad Dei cultum destinatis.

Ergo, sicut omnis humana societas habet a natura jus, ab omni laica potestate independens, sese in religiosam societatem congregandi Deique socialiter colendi, templis, sacrificiis, ministris in hunc finem communiter utendo; ita etiam independenter a quacunque laica potestate habet a natura ipsa jus possidendi omnia subsidia ad hunc Dei cultum socialem necessaria. Ergo, si talis societas hominum religiosa divitias materiales divino cultui destinatas acquirat via quacunque legitima, potest jure naturali ac debet has divitias possidere independenter a quacunque laica potestate; quæ, si quam earum partem sibi per vim attribuat, *sacrilegum* committit *latrocinium*.

2° Necessariam illam naturæ humanæ *tendentiam* ad Dei cultum socialiter exercendum Christus, Homo-Deus, certis legibus definivit, novis præceptis ad omne humanum genus pertinentibus confirmavit, independenter ab omni laica potestate, quin imo humanis omnibus potestatibus quæ tunc temporis in toto terrarum orbe vigerent, quam maxime obsistentibus. In hac autem religiosa societate universali a se creata publicos ritus, sacramenta communia, festos dies publicos, conventus populi universi in loca determinata, precum piorumque operum communionem Christus Dominus instituit, ac perpetuo servari jussit. Super hæc omnia selectos viros ingenti huic societati gubernandæ præposuit, pulcherrima constituta hierarchia, quæ, ut articulo superiore vidimus, triplici ordine constat, Romano Pontifice religiosi hujus imperii monarcha, Episcopis singularum diœcesium gubernatoribus, Presbyteris denique singularum parœciarum pastoribus.

Atqui evidens est 1. huic universali societati religiosæ, quæ Ecclesia dicitur, et jus optimum esse et officium strictum sui ipsius conservandæ et perficiendæ, independenter ab humana qualibet potestate, quin imo humana quacunque potestate invita etiam et reluctante. Nam Dei cultus et animæ salus sunt duo maxime omnium humano generi necessaria, habentque omnes homines plenissimum jus et officium gravissimum his duobus

super omnia consulendi, invitis etiam et reluctantibus utcunque humanis omnibus potestatibus. At nullus esse potest legitimus Dei cultus, nulla æternæ salutis via præter christianam religionem sub Romano Pontifice et Episcopis ab eo contitutis observatam ac fideliter custoditam (1258, 1267). — 2. Evidens est templis exstruendis, sacris ritibus celebrandis, sacramentis decenter administrandis, clericis alendis, pietatis ac misericordiæ operibus erga pauperes, erga orphanos, erga viduas, erga miseros quoslibet ex Christi præcepto exercendis necessarias prorsus esse materiales divitias.

Ergo, quacunque via legitima tales divitias hæc religiosa societas a Christo Domino instituta acquisierit, eas optimo jure possidet prorsus independenter ab humana quavis potestate, atque hoc jus illa immutabiliter retinet, quodcunque audeat humana quævis potestas contra illud attentare; neque his opibus ea spoliari potest nisi per *sacrilegum latrocinium*.

3° Christus, Homo-Deus, positiva sua ordinatione divina jussit Ecclesiæ ministros ab ecclesiasticis suis muneribus omnia trahere quæ ad victum cultumque honestum necessaria sunt. Id enim aperte Paulus Apostolus testatur. « Si nos vobis spiritualia seminavimus, ait ille (*a*), magnum est si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. » Ergo, jure etiam positivo divino habet Ecclesia facultatem, a quacunque prorsus humana potestate independentem, possidendi omnia quæ illi ad sacros ministros sustentandos et ad cæteras divinæ religionis necessitates a fidelibus fuerint quocunque modo honesto data et concessa, sive mobilia, sive immobilia hæc bona sint. Nam, sicuti ex jure quod unusquisque privatus habet certam stabilemque sibi vitæ sustentandæ rationem comparandi, oritur illi jus pleno et inviolabili dominio possidendi bona etiam immobilia quæ honeste acquisierit (775, 780); ita, ob eamdem plane causam, ex jure quod Ecclesia divinitus habet certum ac stabilem suis ministris ac pauperibus victum cultumque parandi, oritur independenter a quacunque humanæ cujuslibet potestatis concessione jus possidendi pleno, sacro et inviolabili dominio bona etiam immobilia, quæ honeste utcunque acquisierit.

(*a*) I Cor. IX, 11, 13, 14.

4° Apud omnes populos, per omnes ætates, sacerdotes, quarumcunque religionum ministri, tranquille exercuerunt hoc idem jus possidendi pleno dominio bona etiam immobilia, iis alendis et divino cultui procurando destinata; quæ idcirco semper fuere habita sacra et omnium maxime inviolabilia. Ægyptii, Herodoto et Diodoro Siculo testibus, trifariam terris suis omnibus divisis, primam partem esse in sacerdotum pleno dominio, ad religionis cultum eorumque alimoniam, voluerunt. Quæ sacrorum bonorum proprietas adeo fuit inter illos inviolabilis, ut quum, fame ingruente, Josephus omnes Ægyptios coëgit agros suos Pharaoni vendere, quod Scriptura in Genesi narrat, unos sacerdotum agros exceperit, «quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas» (a). Eadem vero Chaldæorum et Persarum fuit religio in sacerdotes eorumque bona, quæ nullis apud eas gentes fuerunt tributis aut vectigalibus obnoxia. Eadem etiam Druidarum bonis immunitas ab omni tributo fuit, Cæsare id referente, in Galliis. De Græcis autem si quæratur, unum Apollinis Delphici templum sufficiat meminisse, cujus ingentes divitiæ sub communi Amphictyonum tutela erant collocatæ; atque hi juramento pollicebantur, si qui homines impii auderent bona Apollinis invadere, sese contra illos voce, manibus, pedibus pugnaturos. Apud Romanos parricidii supplicio plectebatur rerum sacrarum raptor ac direptor. Sic enim in XII Tabulis lege statutum erat : *Sacrum sacroque commendatum qui direpserit rapueritque, parricida esto.* Apud Hebræam denique gentem sacerdotes ac Levitæ, præter urbes iis ad incolendum traditas, camposque suburbanos ad eorum pecora pascenda ab iis pleno dominio possessos, decimam omnium fructuum partem a cæteris omnibus agrorum dominis percipiebant : itaque, Philone referente, omnium erant illi in ea gente ditissimi (b).

Jam vero, quoniam « omni in re consensus omnium gentium lex naturæ dicenda est, » factum hoc generale et constans, apud omnes populos quantumcunque barbaros aut cultos omni ætate vigens, manifeste ostendit jure ipso naturali hoc postulari, ut sacerdotali ordini sit proprium et inviolabile materialium opum dominium, a quacunque humana potestate independens.

5° Christiana Ecclesia, viventibus ac videntibus Apostolis, ac

(a) *Gen.* XLVII. — (b) Cf. christianos historiographos et juris ecclesiastic doctores, apologistas.

proxima deinceps ætate, quum maxima inter christianos ubique vigebat Apostolicorum præceptorum atque institutorum reverentia, materiales divitias divino cultui et clericis ac pauperibus alendis destinatas et voluit constanter possidere et reipsa possedit, humanis etiam omnibus potestatibus maxime invitis. Etenim Christus Dominus *ærarium apostolicum* habebat, ut ex Evangeliis constat. Apostoli vero utique accipiebant pretium agrorum a primis christianis venditorum in communem nascentis Ecclesiæ utilitatem. Ac primis sane illis temporibus, quum non solum sacerdotes sed ipsi laici fideles in perpetuo vitæ discrimine versabantur, stabiles nihilominus sibi aliquas fortunas Ecclesia jam tunc, utcunque et ubicunque poterat, sibi, contra ipsa imperatorum edicta, comparabat. Quam rem satis testatur pia largitio sanctæ Lucinæ, romanæ matronæ nobilissimæ ac perdivitis, quæ, sancto Marcello Papa suadente, Ecclesiam instituit suorum bonorum hæredem ex asse (*a*).

Multa vero et magna prædia in toto romano Imperio fuisse a christiana Ecclesia sub paganis imperatoribus possessa, nihil obstantibus iniquis eorum vetitis, probant apertissime decreta Constantini, primi christiani imperatoris. En verba ipsa decreti, quo religiosus princeps anno 313° jussit christianis bona erepta restitui : « In persona christianorum statuendum censuimus, quod si loca ad quæ antea venire consueverant... priore tempore aliqui vel a fisco nostro vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem christianis sine pecunia et sine ulla pretii petitione, postposita frustratione atque ambiguitate *restituantur*..... Et quoniam iidem christiani non ea loca tantum ad quæ convenire consueverant, sed *alia etiam* habuisse noscuntur, *ad jus corporis eorum, id est ecclesiarum non hominum singulorum pertinentia,* ea omnia, lege qua superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel controversiam iisdem christianis, id est corpori et conventiculis eorum *reddi* jubebis » (*b*).

Ad Anulinum Africæ proconsulem porro scribens idem imperator sic urget ejus decreti executionem : « Est hic mos bonitatis nostræ, ut ea quæ ad jus alienum pertinent, non modo nulla inquietudine affici, sed etiam restitui velimus. Quapropter jubemus,... si quæ ex illis quæ ad catholicam christianorum Ecclesiam per singulas civitates aut in aliis locis pertinebant, et nunc

(*a*) Cf. Baronii *Annal.*, tom. I. — (*b*) *Ibid.* tom. II et III.

a Decurionibus aut quibuslibet aliis detinentur, ea confestim restitui ipsorum ecclesiis. Quandoquidem volumus, ut quæ ipsæ ecclesiæ antea possederant, juri earum restituantur. Quum ergo perspiciat devotio tua hujus nostræ jussionis manifestissimum esse præscriptum, operam dabis, ut, sive horti, sive quodcunque aliud ad jus ipsarum ecclesiarum pertinuerint, cuncta illis quantocius restituantur » (*a*).

Ergo, etc.

6° Patres unanimi consensu, Pontifices, Concilia hoc jus liberi plenique dominii in materiales divitias semper Ecclesiæ vindicarunt; sacrilegi latronis loco semper habuerunt eum qui ecclesiasticas fortunas per vim invaderet, eumque divino etiam maledicto atque excommunicationis pœna percutere consueverunt. Est autem Ecclesia in fidei morumque doctrina tradenda infallibilis. Satis erit hoc loco decretum a Tridentino Concilio in hanc rem editum referre : « Si quem clericorum vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis secularis vel regularis beneficii, montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacunque arte aut quocunque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori seu beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit » (*b*).

Ergo evidens est ecclesiasticis consortiis plenissimum jus esse bona materialia quæcunque possidendi dominio *civili* prorsus independenti ab omni laica potestate.

Atqui Ecclesiæ suprema auctoritas habet *politicum* dominium prorsus independens in omnia quæ civili dominio consortia illius

(*a*) Baron. *Annal.*, tom. III; Euseb. *Hist. eccles.* — (*b*) Sess. XXII, cap. I, de Reform.

particularia ex titulo ecclesiastico possideant, juxta ea quæ superius docuimus lib. XI (1155). Ergo, etc.

1338. Coroll. 1. — Sunt igitur sacrilegi latrones, Ecclesiæ hostes atque excommunicationi obnoxii :

1° Reges ac principes, sive *absoluti* sive *constitutionales*, eorumque ministri qui bona ecclesiastica usurpent, vel usurpari sinant, vel sanciant aut exsequantur aliquod *Deputatorum* decretum usurpationem hujusmodi jubens ;

2° Deputati omnes et singuli similem aliquam legem de bonis aliquibus ecclesiasticis usurpandis condentes aut approbantes ;

3° Senatores, qui talem aliquam legem a Deputatis latam approbent ;

4° Omnes qui ad talis alicujus legis aut decreti exsecutionem cooperentur, sive laici sint sive clerici.

Et clerici quidem hi miserrimi, qui operam suam forte præbeant ad Ecclesiam spoliandam, quam defendere ac tueri, ex peculiari erga illam officio, cum summo etiam fortunarum suarum ac vitæ ipsius discrimine debent, non solum sacrilegi latrones, non solum Ecclesiæ hostes, sed turpissimi etiam proditores et quodammodo apostatæ dicendi sunt. Quare summum hi clerici habentur ecclesiastici ordinis probrum, quin imo in humano genere universo monstrum horrendum ; qui Ecclesiam, cujus sanctissimo sacerdotio sunt insigniti, crudeliter deprædantes ne munus suum nummosque exinde provenientes amittant, Christum quodammodo cum Juda Iscariote hostibus vendunt.

Coroll. 2. — Ex dictis facillime quisque intelliget vanitatem eorum quæ tum principum turpes assentatores tum socialis anarchiæ satellites solent contra ecclesiasticum bonorum materialium dominium effutire. Dicunt enim 1° Ecclesiam esse societatem spiritualem, ac proinde nullum habere jus ad res materiales ; — 2° Ecclesiam esse ens morale ; enti autem morali nullum dominium posse competere præter illud quod ei lex civilis concesserit, quia tota illius existentia nititur legis civilis ordinatione ; — 3° Nullam esse dominii ecclesiastici institutionem divinam, ac proinde illam esse humanam et civilem ; — 4° Christus Dominus præcepit ne *aurum neque argentum* Ecclesia *possideat* (a).

At nullius hæc momenti sunt. Nam ad 1um quisque facile respondebit, finem Ecclesiæ propositum utique spiritualem esse ; at

(a) Matth. x, 9.

sacerdotes et pauperes alendos, templa construenda et conservanda, sacras vestes, sacramentorum materiam aliaque hujusmodi esse profecto corporea, ut jam supra notatum est (1337). — Ad 2um, Ecclesiam quidem esse ens morale quoad suam unitatem, sed hoc *esse* illius morale nullo pacto a civili ulla potestate pendere. Habet enim Ecclesia jus existendi, sui ipsius conservandæ ac perficiendæ independenter ab omni humana potestate, quin imo humanis omnibus potestatibus vel maxime invitis. Quod si a natura ipsa entis moralis colligat quis Ecclesiæ nullum esse posse dominium rerum materialium, fœde hic et manifeste errabit, et familiæ, civitati, provinciæ, regno quibuscunque adimet jus possidendi res materiales : hæc enim omnia, si Deo placet, sunt, non secus atque Ecclesia, entia moralia. At cujuscunque generis, aut physici aut moralis, quoad suam unitatem sit ens quodpiam, modo illi certum et independens jus sit existendi, certum quoque et independens eidem erit jus possidendi quæ illi sunt necessaria. A jure namque existendi oritur immediate hoc jus dominii.—Ad 3um, institutionem divinam dominii ecclesiastici duplicem adesse; alteram naturalem, alteram positivam, ut probant argumenta 2um et 3um.—Ad 4um, stultissime id ab istis hominibus objici, qui affirmant Ecclesiæ utique jus dominii competere, at solum a laica potestate concessum. Nam, si Christus id vetuit, a nulla potest humana auctoritate concedi. Cæterum quum Christus Apostolis ea præcipit : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam » (*a*), nequaquam Ecclesiæ jus possidendi denegat, sed eos tantummodo hortatur ne plures ejusmodi res apud se in suos usus retineant quam necesse habeant, et ne de suo victu ac vestitu sint solliciti, quia necessaria omnia erant illis ab eorum auditoribus suppeditanda; idcirco statim subdit : « Dignus est enim operarius cibo suo. » Neque putandus est Christus vetuisse duas tunicas, *v. g.*, ab Apostolis possideri, quum illæ sunt necessariæ : sed in his omnibus paupertatem evangelicam suis operariis Dominus commendat, minime autem rerum temporalium dominium in sacrorum ministrorum et pauperum alimoniam, in sacrarum ædium ac cæremoniarum usus convertendum prohibet. Hoc denique se-

(*a*) Matth., x, 9.

dulo est animadvertendum, exempla Christi et præcepta non ad clericos solos pertinere, sed ad fideles omnes, sive clerici sive laici sint. Quare, si Christus rerum materialium dominium vetuisset, nulli ex fidelibus, sive clerico sive laico, liceret quidquam temporale possidere, ut olim *Fraticelli* docuerunt.

Coroll. 3. — Est etiam illud diligenter notandum, principiis quæ in hac re a Pseudo-Politicis ponuntur, purum ac putum *socialismum* induci. Etenim sic illi ratiocinantur : Ecclesiam Christus sine ullo rerum temporalium dominio constituit; ergo quidquid ea possidet, a principum concessione accepit; principes autem dum hæc concederent, nec voluerunt nec potuerunt regiis in eas res juribus quidquam derogare; ergo, quum regiæ potestati omnia temporalia sint essentialiter subdita, plenum jus regibus ac principibus est bona ecclesiastica sibi vindicandi, quotiescunque id publica necessitate postulari judicent.

Atqui hæc omnia æque de privatis ac civilibus uniuscujusque hominis ac de ecclesiasticis fortunis vera sunt, si quam habent veritatem. Nam unumquemque etiam hominem individuum natura eduxit sine ullo rerum temporalium dominio. Ergo privatas etiam uniuscujusque civis opes poterit princeps, quandocunque illi ad publicum bonum pertinere id videbitur, invadere ac per vim occupare.

Coroll. 4. — Quoniam jus possidendi bona mobilia et immobilia oritur immediate a jure existendi suique conservandi, eique ex æquo respondet, familiæ Religiosorum seu Regularium, sicut habent jus existendi in quocunque loco, non secus ac aliæ familiæ quælibet, independenter a quacunque laicæ potestatis venia vel concessione, ita etiam independenter ab omni hujus potestatis concessione habent plenum perfectumque jus bona mobilia et immobilia possidendi. Quapropter laica potestas, sicuti nequit nisi per tyrannicam iniquitatem impedire ne Regularis aliqua familia in terris illi subditis consistat ac tranquille, nemini utcunque nocens, commoretur, ita nequit nisi per sacrilegum latrocinium Regularem ullam familiam spoliare ulla parte bonorum ab ea legitime acquisitorum. Quod si per tyrannicam licentiam velit omnino laica potestas religiosam aliquam familiam in suis regionibus jam consistentem a suis finibus educere, bona tamen illius familiæ vel mobilia vel immobilia, sicut alius familiæ civilis cujuslibet innoxiæ, nequit ullo jure sibi vindicare; eique familiæ religiosæ sic tyrannice e suis sedibus expulsæ, vel auctoritat

religiosæ in illam jus habenti, plenum debet relinquere dominium et liberam dispositionem bonorum vel mobilium vel immobilium quæ forte in ea regione possideret. Igitur scelestissimi fures, sacrilegi latrones, civilis proprietatis et libertatis hostes, anarchiæ, socialismi, communismi et barbariei fautores habendi ac dicendi sunt reges, principes, eorum ministri, deputati, senatores, syndici, atque exsecutores et socii quilibet, quotiescunque domum religiosæ alicujus familiæ audent invadere, usu libero vel omnino vel partim illam invitam privare, ejus bona vel mobilia vel immobilia usurpare.

1349. Pos. 662ª. — Ecclesia jure divino habet plenam facultatem temporalia sua bona libere administrandi a quacunque humana potestate independentem.

Prob. — Libera suorum bonorum administratio est ipse usus dominii, quod quis in bona eadem habeat. Ergo quicunque habet verum in quædam bona dominium, habet etiam plenam facultatem de illis statuendi utcunque sibi utilius esse judicaverit, nisi forte ille sit, ob accidentalem aliquam mentis impotentiam, ad eam rem ineptus. Atqui Ecclesia, quæ ad genus hominum universum docendum ac regendum a Deo constituta est, nequit sine summa stultitia dici inepta, ob mentis impotentiam, ad sua bona administranda. Ergo, etc.

1350. Coroll. — Ex iis quæ supra perspicue sunt demonstrata, hæc duo facile colliguntur :

I. *Politicum* bonorum temporalium ecclesiasticorum dominium in suprema Ecclesiæ auctoritate, nimirum in Romano Pontifice residet (1156) ; at eorumdem dominium *civile* totum est in variis diœcesibus, parœciis, collegiis, piisque aliis institutis, a quibus illa fuerint ad pios usus acquisita. Romani ergo Pontificis est, de bonis ecclesiasticis universim ea decernere quæ ad eorum possessionem et usum accommodate ad publicum rei christianæ commodum recte ordinandum pertinere censuerit. At hæc bona consumere ad proprios usus possunt optimo jure ac debent in singulis locis illa individua vel consortia, quibus ea fuere a *donatoribus* destinata. Ad politicum autem hoc dominium Romano Pontifici competens pertinet manifeste jus tributorum ab eodem exigendorum. Neque enim gubernatio nationum omnium possibilis est sine certis redditibus in eam rem adhibendis. Quare hanc potestatem habet Romanus Pontifex tum ex jure naturali tum ex jure positivo divino.

II. Unaquæque diœcesis, quum sit consortium *homogeneum* (1278) Ecclesiæ *totius*, est simul consortium *heterogeneum* Status politici vel nationis, qui Status vel natio est consortium etiam heterogeneum in *tota* Ecclesia (1278). Poterit ergo politicum gubernium decernere circa bona temporalia diœcesium sibi subditarum quidquid politicum rei publicæ bonum postulet, modo tamen id communi bono minime repugnet totius Ecclesiæ, cujus ille Status est consortium, seu pars. At singulis semper diœcesibus, aliisque religiosis consortiis, manebit integrum et plenum jus ea bona in suos usus consumendi, quod est civile dominium.

ARTICULUS IV.

De ecclesiasticis immunitatibus.

1341. Notandum. — Quæ ultimo loco explicavimus, planam viam sternunt ad jus ecclesiasticarum immunitatum clare ac firmiter statuendum earumque discernendam originem. Quare statim hic breviter de illis disseremus.

Immunitas autem ecclesiastica est jus quo ecclesiasticæ personæ aut res a civilibus quibusdam oneribus eximuntur. Unde quisque intelligit duplicis eam generis esse, *personalem* ac *realem*. De utraque plurimum disputatum est a canonistis ac jurisconsultis, utrum a jure naturali an solum a jure civili orta esse illa sit dicenda : quod statim paucis definiemus.

Quamquam vero immunitas personalis ad *gubernativam* potestatem spectet, in hunc locum fuit ejus tractatio rejicienda ob illius cum immunitate reali conjunctionem.

1342. Pos. 663ª. — Ecclesiasticæ immunitates, quatenus ad bonum Ecclesiæ totius necessarium pertinent, sunt utique de jure naturali et positivo divino immutabili ; quatenus vero commoda toti Ecclesiæ non prorsus necessaria concedunt, de jure sunt humano et per se revocabili.

Prob. — Jure naturali et positivo divino habet Ecclesia potestatem ordinandi ad proprium suum bonum tum personas tum res, quatenus hæ sunt illi prorsus necessariæ ; sicuti ab eodem duplici jure divino habet potestatem consulendi efficaciter suæ conservationi et perfectioni (1337). Ergo quæcunque exemptio rerum ac personarum ecclesiasticarum a civilibus legibus atque oneribus est ad bonum Ecclesiæ totius prorsus necessaria, eidem

Ecclesiæ de jure naturali ac de jure positivo divino competit.

At exemptionibus ac privilegiis quibusdam frui solet Ecclesia in christianis plerisque regionibus, quæ privilegia et exemptiones nequaquam sunt generali ejusdem bono plane necessaria. Nequeunt hæc igitur de jure illo duplici divino, quod tali necessitate innititur, ad Ecclesiam pertinere. Ergo ex pia principum civilium concessione hæc Ecclesiæ obvenisse dicenda sunt.

1343. Coroll. 1. — Evidens est ordinationes quibus major aliqua societas commune suorum bonum procurat, multa habere posse quæ nulla ex parte repugnent particularibus singulorum consortiorum ordinationibus. Sic, *v. g.*, municipales de agris colendis aut domibus exstruendis præceptiones plenam adhuc in plurimis circa res easdem libertatem relinquunt domesticis consortiis. In his itaque Status singuli, qui sunt Ecclesiæ Universalis consortia particularia, habent jus civiliter ac politice ordinandi res ac personas pertinentes ad singulas ecclesias seu diœceses, quæ sunt vicissim civilia unius Status particularia consortia. Igitur in hisce omnibus si quæ ecclesiis particularibus exemptiones fuerint concessæ, liberum eæ principum donum sunt, non jus divinum.

Quapropter hoc universim statuamus : immunitates, quatenus ad Ecclesiam Universalem pertinent, sunt de jure naturali ac positivo divino; quatenus vero spectant ad loca vel personas particulares, jus sunt positivum civile.

Coroll. 2. — Si Status, seu politicum Gubernium christianam religionem ignoret, aut per absurdam impietatem se perinde gerat ac si eamdem ignoraret, jus illud ecclesiasticarum immunitatum in eo Statu carebit executione; at non idcirco jus ipsum minuetur. Tenetur enim strictissimo officio Gubernium Ecclesiam Christianam divinitus ad gentes omnes docendas atque ad Deum ducendas constitutam agnoscere, illi se quoad spiritualia subjicere, atque exemptiones ac privilegia circa personas ac res temporales omnia illi concedere, quæ Summus Ecclesiæ Pontifex necessaria esse decreverit.

ARTICULUS V.

De ecclesiastica vi coactiva.

1344. Pos. 664ᵃ. — Ecclesia christiana jure divino habet potestatem omnino independentem vis materialis sibi propriæ

adhibendæ ad externum ordinem apud suos conservandum.

PROB. — Omnis legitima societas eodem titulo quo habet jus sui ipsius conservandæ ac perficiendæ, habet etiam jus adhibendi omnia media honesta in hunc finem necessaria. Atqui Ecclesia christiana jure divino habet potestatem, quin imo stricto urgetur officio sui ipsius conservandæ ac perficiendæ, ut jam dictum est (1337). Ergo eodem jure divino habet potestatem adhibendi omnia media honesta in hunc finem necessaria.

Atqui, ut possit Ecclesia se ipsam conservare ac perficere, necessaria illi prorsus est vis materialis coactiva ad suorum frangendam improbitatem refractariam. Nam societatis cujuslibet conservatio et perfectio requirunt omnium maxime socialem ordinem constanter servatum : ac proinde hoc omni societati est omnium maxime necessarium, ut eos qui ordinem socialem perturbant, aut perturbare conantur, possit illa efficaciter prompteque compescere ac domare. Agitur enim hic societatis ipsius existentia : agitur jus firmissimum, ac *fundamentale* singulis et omnibus sociis competens, tranquille in hac societate vivendi, ejusque leges observandi.

Atqui non potest in humana ulla societate ac proinde neque in Ecclesia externus ordo servari, non possunt qui hunc ordinem violant, coerceri, sine vi materiali ad hos domandos adhibita. Nam 1° vis materialis, per quam Ecclesiæ ordo externus turbetur, nequit profecto plerumque retundi et contineri aliter quam per vim materialem illi oppositam. — 2° Ad Ecclesiæ ordinem turbandum impelluntur homines cæca passionum vi ; quarum impetum exterius in scelera quæcunque erumpentem non potest plerumque auctoritas cohibere aliter quam pœnis sensibilibus inflictis. Atqui ad has pœnas sensibiles infligendas evidenter patet necessariam omnino esse vim coactivam materialem. Ergo jure divino habet Ecclesia potestatem vis materialis sibi propriæ adhibendæ ad externum ordinem apud suos conservandum.

Atque hæc quidem potestas Ecclesiæ competens jure divino est prorsus a quacunque laica potestate independens ; quia jus pariter habet Ecclesia sui conservandæ ac perficiendæ independens ab omni humana potestate, quin imo omnibus etiam humanis potestatibus invitis, ut retro explicatum est (1337).

1345. COROLL. 1. — Jam quisque videt quanta sit stultitia sophistarum, qui nullam vim coactivam materialem garriunt in Ecclesia inesse idcirco oportere, quia societas hæc est omnino

spiritualis, ac propterea spiritualibus tantum pœnis uti debet. Nam, ut jam alibi non semel animadvertimus, Ecclesiæ finis quidem est mere spiritualis : at homines quibus Ecclesia componitur, quique ab Ecclesia sunt dirigendi, castigandi, coercendi, nequaquam sunt mere spirituales, si superis placet, sed corporea mole, eaque non raro pingui et crassa, sunt consarcinati, qua si turpes hi sophistæ carerent, in re omni morali et religiosa non usque adeo insanirent.

Coroll. 2. — Si quis ideo negaret externam ullam vim coactivam materialem esse Ecclesiæ necessariam, quia civilis jam adest in omni societates potestas, cujus est externum omnem ordinem tueri, duo hæc reponemus : I. Ecclesia est jure divino *independens*. Ergo vim etiam coactivam materialem habet jure divino *independentem*. Atqui si ab externa potestate debet hanc vim sibi necessariam mutuari, neque habet vim ejusmodi independentem, neque est ipsa quoad suam existentiam independens; quia in illa hypothesi non habet in se ipsa vim omnem necessariam ad sese conservandam ac perficiendam. Ergo erit simul independens ac dependens. — II. Falsum est, civilis potestatis proprium esse munus ordinem externum tueri. Omnis namque humana societas, cujuscunque demum generis ea sit, debet ordinem quoque materialem in se ipsa tueri. Religiosa ergo societas et ipsa ordini materiali inter suos conservando prospicit. *Fine* scilicet diverso facultates diversæ discernuntur, non *subjecti* diversitate : idem enim est subjectum, in quod Ecclesia et laica societas operantur, nempe homines.

1346. Pos. 665ª. — Absolute loquendo, habet Ecclesia christiana jus independens pœnæ capitalis aliquando suis subditis ob gravissima delicta infligendæ; at mansueta illius indoles postulat ut ab hoc jure exercendo abstineat, sicuti semper reapse abstinuit.

Prob. 1ª pars. — Possunt in religiosa societate, multo magis quam in civili, scelera quædam committi tam immania, ut capitalis ipsa pœna vix satis sit tum ad ordinem violatum resarciendum, tum ad subditos omnes a simili delicto efficaciter absterrendos; cujusmodi sunt sacrilegia externe, consulto ac directe in sacramentum divinæ Eucharistiæ commissa, vel externa et pertinax hæreticorum errorum ad fidem in aliis corrumpendam propagatio. Ergo, sicut in laica societate ob similes causas potest jure ac debet pœna capitalis adhiberi, sic, et *a fortiori* ob rerum quæ

aguntur tanto majorem *sanctitatem* ac *necessitatem*, potest, absolute loquendo, Ecclesia capitali pœna aliquando graviora scelera mulctare.

Explic. 2ª pars. — Jam capite 2° hujus libri, articulo 2° (1298, iv), vidimus Ecclesiæ regimen mite ac suave, salva semper necessaria efficacia, esse oportere, ac moralem potius vim quam materialem ad hominum pectora domanda illi esse adhibendam; quam regiminis lenitatem postulat Ecclesiæ finis essentialis. Est enim illa a Deo constituta non ut externum solum ordinem inter homines conservet, quemadmodum laica auctoritas, sed præcipue ut internum in hominibus ordinem mentis ac voluntatis instauret ac servet, eosque sic purgatos moraliter ac restitutos ad Deum perducat. Hæc autem omnia non per vim materialem sed per *intellectualia* et *moralia* potissimum subsidia fiunt.

Quapropter ab illo jure capitalis pœnæ exercendo Ecclesia ab initio et perpetuo seculis insequentibus abstinendum sibi esse judicavit. Neque in omnium retro temporum monumentis unquam reperiemus fuisse factum ut judices *mere* ac *vere* ecclesiastici capite quempiam ob quodcunque vel gravissimum scelus condemnaverint. Ubi enim graviora in christianam religionem delicta ex legibus civilibus erant capitali supplicio a laicis judicibus punienda, post causam secundum leges ecclesiasticas cognitam ac discussam, ac mitiorem pœnam, nunquam capitalem, decretam, judices ecclesiastici recedebant prorsus, reumque tradebant *brachio seculari* a quo postulabatur, ejus caussam judicum civilium misericordiæ vehementer commendantes.

His nihil obstantibus, stat inconcussum Ecclesiæ jus ad graviora suorum scelera supplicio capitali punienda.

1347. Pos. 666ª. — Ecclesia christiana ubique terrarum habet verum et immutabile jus omnino independens religionis suæ vi et armis contra quemcunque aggressorem propugnandæ, quotiescunque felicem belli exitum potest sibi prudenter polliceri.

Prob. evidenter ex principiis jam positis. — Quale habet quisque vivendi jus, tale habet quoque jus adhibendi omnia media ad vitæ suæ conservationem necessaria. Atqui Ecclesiæ est profecto evidentissimum jus ubique vivendi; nequit enim illa sine sacrilegio quoquam vexari : et quandoque eadem a scelestis principibus vi et armis oppugnatur; quæ armorum vis nequit ordinarie propulsari aliter quam vi armorum vicissim opposita. Ergo, sicut privato homini adversus privatum agenti, ita etiam,

et multo magis, Ecclesiæ, quæ est magis independens et meliore existendi jure utitur respectu laicæ cujuslibet potestatis, quam privatus homo respectu alterius privati, licet vim vi repellere.

At prudentia vetat arma capi ad religionem a scelestorum impetu defendendam, nisi probabilis admodum spes victoriæ affulgeat. Nisi enim injustus aggressor omnino tunc conteratur, multo furiosior ad Ecclesiam opprimendam ac plane delendam resurget, postquam fuerit christiani populi arma in se conversa expertus.

Ergo, quotiescunque potest sibi prudenter Ecclesia victoriam polliceri, habet certissimum jus vi et armis repellendi injustam cujuscunque potestatis aggressionem.

1348. Coroll. 1. — Ridiculi sunt Pseudo-Politici, malorum principum turpes assentatores, qui cum Bossueto conantur hoc Ecclesiæ jus evertere adducto contra illud Ecclesiæ pristinæ exemplo. Etenim primis iis temporibus, quum omni fraudis et crudelitatis genere christiani a paganis vexati cruciatique sunt; certum est christianos nullo pacto potuisse religionem suam captis armis contra iniquissimas paganorum aggressiones tueri, quidquid asserant in contrarium idem Bossuetus, Grotius, aliique nonnulli (a). Nam exeunte jam quarto post reparatam salutem seculo, et quinto ineunte, adhuc maxima pars publicæ vis militaris, et publicæ auctoritatis, seu civilis, seu politicæ, seu judiciariæ, seu administrativæ, erat in manibus paganæ superstitionis. Quantacunque igitur jam tunc esset in toto terrarum orbe multitudo christianorum, nihil hæc inermis et confusa multitudo poterat contra ordinata et *organice* firmiterque constituta magistratuum omnium et militarium copiarum agmina. Quam quidem christianorum id temporis materialem impotentiam Bossuetus ipse aliis in locis agnoscit ac fatetur, sibi fœde, ut sæpe in his rebus solet, contradicens (b).

Contra Ecclesiæ hostes igitur christiani tunc temporis nunquam captis armis insurrexerunt, quia non poterant, quamvis optimum illis esset jus, sese a paganorum violentia per vim armorum defendere. Id sane jam pridem monuit sanctus Thomas, Doctor Angelicus, quem cum tota ejus ætate Bossuetus inverecunde

(a) Cf. egregium opusculum Melchioris Dulaci, cui titulus : *L'Eglise et l'Etat*, lib. III, cap. 3.

(b) Cf. ejus *Comment. in Apocal.* (*Œuvres de Bossuet*, tom. III, *Apocalypse*, p. 186 et suiv., édit. de Versailles).

accusat ignoratæ historiæ (*a*) : « Illo tempore, ait Angelicus (*b*), Ecclesia in sua novitate nondum habebat potestatem terrenos principes compescendi : et ideo toleravit fideles Juliano Apostatæ obedire in his quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur (*c*). » Qua in re si veritatem historicam sanctus Thomas ignoravit, eadem profecto laborat ignorantia Bossuetus, qui materialem hanc christianorum impotentiam alibi, ut diximus, affirmat.

COROLL. 2. — Manifestum est, quum fides christiana vexatur in aliqua regione per apertam vim eo modo, quo illam pagani principes, ariani, iconoclastæ, anglicani olim insectati sunt, agi tunc de Ecclesiæ vita et *existentia* in ea regione. Quamvis enim, ex divino promisso, nequeat Ecclesia ubique terrarum simul interire, at potest ea tamen convelli atque exturbari ex hac regione aut illa, possunt hi aut illi populi divinæ religionis beneficio summe necessario privari. Atqui et christiana religio habet firmissimum jus ubique terrarum vivendi, et omnes et singulæ gentes ac civitates maximum jus habent christianæ religionis tranquille colendæ. Ergo omnes et singulæ gentes ac civitates op-

(*a*) In *Defens. Declarat.* part. 2, lib. VI, cap. 2.

(*b*) *Summ. theol.* 2, 2, quæst. 12, art. 2, ad 1.

(*c*) Optime in hanc rem Dulscus : « La primitive Eglise, voilà leur grand argument (des politiques), et rien ne montre mieux à quelles conséquences absurdes et détestables conduisent leurs principes. Les premiers chrétiens ont enduré pendant trois siècles les plus horribles persécutions ; ils ont subi la tyrannie d'un Néron, d'un Décius, d'un Caligula, d'un Domitien, d'un Galère, d'un Dioclétien, etc., etc. ; donc, s'il prenait de nos jours fantaisie à un gouvernement de renouveler les atrocités de ces très-cléments et très-augustes empereurs, nous, Français du XIX[e] siècle, nous serions obligés, en conscience et sous peine de l'enfer, de les laisser faire ; nous n'aurions d'autre droit que celui de mourir et de prier pour la conversion des tyrans. En vérité cela serait commode pour les futurs conventionnels de la république démocratique et sociale, et nous comprenons que leurs précurseurs attachent du prix à la prédication d'une telle doctrine ; par malheur elle n'est pas encore la doctrine de l'Eglise, et le gallicanisme lui-même n'a pu parvenir à l'implanter dans notre pays ; les souvenirs de la Ligue et de la Vendée sont encore vivants parmi les catholiques de France et attestent que la résignation et le martyre ne sont pas toujours obligatoires. Nos pères, il y a dix-huit siècles, perdus dans un empire immense, livré tout entier à l'idolâtrie, couraient au martyre afin de sauver leur âme et de convertir le monde : Dieu voulait que tout fût miraculeux dans l'établissement de son Église et ne leur avait pas laissé d'autres armes. Mais ce n'est pas pour rien que dix-huit cent cinquante années de christianisme ont passé sur la terre, ce n'est pas pour rien que les nations chrétiennes ont été formées, et il faut être singulièrement aveugle pour ne pas voir que comme nations elles ont des droits, des devoirs, des forces et une puissance que n'avaient pas les chrétiens dispersés dans l'empire sous les empereurs païens. » (*L'Église et l'État*, vol. I, p. 263, 264).

timum habent jus propulsandæ per armorum etiam vim injustæ aggressionis ad christianam religionem apud eas evertendam aut perturbandam.

Coroll. 3.—Ex iis quæ disseruimus in libro X de jure coërcendæ per vim tyrannidis regiæ (cap. II, art. 3), et in libro XI de illis ad quos pertinet bellum indicere (cap. IV, art. 2), id etiam facile colligitur hoc loco, nunquam christianis fidelibus nulla publica auctoritate ecclesiastica ornatis licere arbitrio suo arma capere adversus tyrannum qui religionem eorum per vim opprimat, sed hujus rei totius judicium et imperium jure divino in ecclesiastica esse auctoritate. Scilicet unius Monarchæ spiritualis, gentibus christianis omnibus imperantis, est decernere, quandonam et quamdiu liceat alicui populo christiano bellum injusto suæ religionis aggressori inferre (1185). At si nequeat Pontifex adiri; vel si, supremo discrimine urgente, quod raro accidet, nequeat res longius differri; ad deutarchicam ejus regionis auctoritatem ecclesiasticam nempe ad Episcopos ejusdem loci tunc pertinebit potestatem christiano consortio facere aut negare insurgendi per armorum vim adversus iniquum aggressorem, secundum ea quæ libro XI docuimus (1186, coroll. 1). Ecclesia namque est societas et potestas, in iis quæ ad religiosa sua jura attinent, prorsus independens; ac proinde auctoritati ecclesiasticæ tunc eadem jura adversum laicam auctoritatem sunt, quæ principi cuique independenti adversus alium principem quemlibet injuste nocentem esse vidimus eodem libro XI.

Coroll. 4.—Non licet huic articulo finem imponere nulla facta mentione illius *christianissimæ* gentis, quæ, ubi vidit christianæ, id est catholicæ, religioni in imperio suo universo præsens periculum impendere ab hæretico principe intemeratum sancti Ludovici solium mox conscensuro, admirabili alacritate ad imminentem pestem abigendam accurrit, juncto inter omnes civium ordines, inter omnes provincias pulcherrimo fœdere, parique virtute et constantia pro christiana fide integra et incorrupta decertavit. Quocirca optimo jure monet Dulacus, auctor egregius (*a*), sicut

(*a*) « En Angleterre, sous Henri VIII, il y eut des martyrs, mais la nation oublia qu'elle était catholique, et pour s'être courbée lâchement sous le joug du tyran, elle perdit la vraie foi. Au temps de la Ligue, la France comprit qu'autres sont les devoirs d'un particulier, autres ceux d'un peuple; qu'un peuple n'a qu'une vie, celle du temps, et qu'il lui est prescrit de la conserver, qu'il ne lui est pas permis de l'abandonner, car en l'abandonnant il livre à l'erreur et au mal les âmes d'une longue suite de générations. Au jugement de

ignaviæ ac perfidiæ illorum Anglorum, qui a sacrilega Henrici VIII tyrannide gentem suam omnem eripere debuissent, pernicies imputabitur tot hominum, quos ab Ecclesia Christi avulsos, in barathrum schismatis, hæresis ac perpetuæ damnationis conjecit Henrici luxuries et impietas; ita iis Gallis, quorum virtute constantiaque fides christiana in nostra hac natione universa feliciter servata est, immortalia a Deo præmia sine dubio tributum iri ob innumeros homines quos sancta et pura illa fides ad cœlestem patriam, omnibus porro labentibus seculis, perduxerit.

Dieu, les hommes dont la faiblesse livra l'Angleterre à Henri VIII, répondront de toutes les âmes que les conséquences de cette première faute auront jusqu'au dernier jour précipitées dans l'abîme; les hommes dont le courage sauva la religion en France, sous Henri III et Henri IV, seront récompensés pour toutes les âmes que la religion aura, jusqu'au dernier jour, sauvées dans notre patrie » (*L'Église et l'État*, t. I, p. 264).

PARS TERTIA.

DE NATURALIBUS ECCLESIAM INTER ET SOCIETATES LAICAS RELATIONIBUS.

CAPUT I.

De essentiali existentiæ et actionis ordine inter Ecclesiam et laicas societates divinis juribus constituto.

ARTICULUS I.

De potestatum ecclesiasticæ et laicæ essentiali distinctione.

1351. NOTANDUM. — Quatuor principia sunt hic diligenter retinenda, quæ vel in superioribus jam a nobis constituta sunt, vel ex superius traditis sua sponte profluunt :

I. Omnis homo ad socialem vitam est naturaliter destinatus; neque societas illi solum domestica, sed civilis etiam et publica est eidem absolute necessaria tum physice tum moraliter (lib. IV, cap. 2).

II. Societas nulla inter homines potest sine religione consistere. Nulla enim societas constare potest sine certa *auctoritate* (452), quæ ad *unitatem* cooperationis socialis omnes homines in ea societate versantes adigat *efficaciter* (429); socios autem auctoritas movet per *leges* (290), et proprius legis effectus est *obligationem* gignere (279), quæ oritur ex *finis ultimi* absoluta *necessitate* (76) : hæc ipsa obligatio ad actionem aliquam determinatam contracta illud est quod dicitur *officium* (377), cui respondet ex adverso *jus*, ab eodem ac officium fonte promanans (9, 357). Atqui hominibus religionem nullam colentibus nullus est reipsa finis ultimus in altera vita obtinendus; nam rerum credendarum et faciendarum ad finem ultimum in altera vita obtinendum complexio est illud ipsum quod *religio* vocatur. Ergo neque ulla vera obligatio obstringere tales homines potest (77, Cor. 2, 3um). Ergo

nulla etiam iisdem lex, nullum officium imponi, et nullum adversus eosdem jus cuiquam competere possunt; ac proinde nulla inter homines omni religione carentes potest societas constare (Cf. n. 1317).

III. Neque religio ulla inter homines vigere sine civili et publica societate potest. Nam, ut evidenter constat ex iis quæ de morali societatis publicæ necessitate in libro IV disseruimus (441), nisi infinita civilis consuetudinis adjumenta hominem docerent, expolirent, confirmarent, continerent, ad omnem laudem suaviter simul et acriter impellerent, erroribus ille ac libidinibus ac vitiis omnis generis irretitus, vitam ageret prorsus ferinæ similem.

IV. Omnibus hominibus religio non individualis tantum, sed *socialis* est absolute necessaria, ea nempe religio cujus dogmata et præcepta non individuali cujusque rationi pervestiganda ac definienda permittantur, sed a publica, legitima, omnibusque pervia auctoritate infallibiliter proponantur. Id enim evidentissime consequitur ex iis quæ tum de supernaturalis revelationis necessitate in libro V, tum ex iis quæ adversus protestantismum in hoc ipso libro disputavimus. Nisi enim vera ac certa religio publice hominibus per modum facti cujusdam externi ac manifesti tradatur, tot religiones diversæ inter homines emergent, quot homines privatim de religione judicantes aderunt, eæque prope omnes et falsæ et ad salutem in altera vita præbendam prorsus ineptæ.

His igitur omnibus rite constabilitis, quærendum est utrum hæc socialis religio debeat cum sociali ordine temporali, seu laico, permisceri et quasi confundi, ita ut ea talis futura sit, qualem civilis societas voluerit; utrum scilicet auctoritas religiosa, sive ecclesiastica, in eadem persona ex rei natura vel ex divina ordinatione resideat, atque auctoritas civilis, seu temporalis; an e contrario societas religiosa ejusque propria auctoritas sint ex divinis juribus plane distinctæ a societate et auctoritate laicis, atque his etiam laicis societate et auctoritate sint ex iisdem juribus *superiores*, ita ut auctoritatis illius religiosæ divinitus constitutæ jus et officium sit temporalem societatem ejusque auctoritatem laicam, in ordine religioso universo, actione prorsus independente gubernare. — Perfacilis horum omnium explicatio est, postquam firmiter ac perspicue in superioribus principia huc spectantia posuimus. De duplicis ergo illius societatis et auctoritatis distinc-

tione dicemus in hoc articulo; de potestatis autem laicæ *subordinatione* essentiali sub potestate ecclesiastica in omni ordine religioso et morali disseremus in articulo sequenti.

1352. Pos. 667ª. — Societas et auctoritas *spirituales* a societate et auctoritate civilibus ac temporalibus sunt juribus divinis naturali et positivo, atque esse debent, omnino ac perpetuo distinctæ.

PROB. 1ª PARS, DE JURE NATURALI. — Utriusque societatis permixtio perniciem utriusque necessario gignit. Nam, ubi societas *spiritualis* non sit a civili ac temporali distincta, alteram necessario altera quodammodo absorbebit, atque ab uno eodemque principe utraque potestas geretur. Atqui hæc utriusque potestatis conjunctio in una eademque persona, seu physica seu morali, residentis, ad potestatis spiritualis ac societatis religiosæ exitium *recta* et *immediate* perducit: ex quo religiosæ societatis exitio debet societatis etiam laicæ subversio dimanare.

Etenim I. si societas religiosa prævalet, utraque potestate in uno eodemque principe sacerdote conjuncta, negotia ordinis etiam temporalis sacra et religiosa habebuntur; munia civilia, administrativa, politica, militaria fient omnia sacerdotalia : neque tamen æqua curarum studiorumque partitione poterunt princeps sacerdos ejusque ecclesiastici simul et laici magistratus utrique rei publicæ spirituali ac temporali juste prospicere. Ad negotia secularia potissimum ac pene unice procuranda illi omnes paulatim ineluctabili quadam necessitate trahentur, tum 1° quia ad externa et sensibilia totus homo est multo propensior quam ad spiritualia et invisibilia; tum 2° quia temporalia negotia eum qui forte illis animum applicuerit, ineptum efficiunt ad studia curasque rerum spiritualium; tum 3° quia necessitates, pericula, damna rerum temporalium multo magis urgent ac turbant animum, multo magis ejus attentionem excitant, studia inflammant, vires exhauriunt; tum 4° quia rerum spiritualium commoda et necessitates persæpe collidundur commodis ac necessitatibus rerum temporalium; in quo conflictu, princeps pariter et inferiores magistratus, qui spiritualem simul ac temporalem ordinem publicum procurent, urgente rerum sensibilium natura evidentiore, instantibus populi ad terrestria semper proni querimoniis vel etiam minis, res spirituales persæpe negligent et concidere patientur, ut temporalibus satisfaciant, meliora postmodum tempora pro religione semper sperantes, raro vel nunquam nacturi. Ergo spiritualis ac temporalis rei publicæ procuratio iisdem per-

sonis credita religionis ac spiritualis societatis interitum paulatim sed necessario gignit.

II. Multo autem evidentius intelligitur religiosa societas in summam perniciem ac multo citius prolapsura, si in utriusque societatis atque auctoritatis permixtione prævaleat societas temporalis,ita ut eadem persona quæ laicam potestatem gerit, rerum etiam spiritualium habeat potestatem. Tunc enim ordine toto spirituali, rebusque ac doctrinis et personis ad hunc ordinem pertinentibus abutetur illa certissime in usus rei temporalis, civilis, administrativæ, politicæ et hujusmodi. Qui enim aliquid tamquam supremum suum finem persequitur, cæteris omnibus utitur ut *mediis* ad illud unum obtinendum. Ergo potestati civili ac temporali si rerum quoque spiritualium cura demandetur, has res spirituales illa adhibebit tamquam media quædam et instrumenta ad res temporales comparandas utilia. Atqui hæc rerum ac per sonarum spiritualium dejectio et servitus est omnis religionis *immediata* et *universalis* subversio. Nam religionis proprium est temporales res omnes ad Deum dirigere ac perducere; per illam autem servitutem res omnis religiosa ad res temporales *subordinatur*.

Ergo, sive spiritualis potestas sive temporalis in illa utriusque societatis confusione prævaleat, semper religio ad interitum perducitur; semper finis spiritualis hominum confunditur cum eorum fine temporali, sicut ambæ societates, spiritualis ac temporalis, permiscentur; semper ultimus hominum finis oblivioni traditur, omnibus eorum curis ad finem temporalem conversis; semper denique fiet, ut societas religiosa serius ocius exstinguatur, oppressa et quodammodo absorpta a societate civili. — Quæ sane omnia universalis ac perpetua experientia maxime confirmat.

III. Atqui jam superius probatum est ex religionis publicis damnis vel interitu gravissima etiam civili societati detrimenta ac supremam illius perniciem necessario consequi (1349, II).

Ergo utriusque potestatis religiosæ et laicæ in eadem persona conjunctio ducit necessario, directe quidem et immediate ad religiosæ societatis exitium, mediate vero ad civilis ipsius societatis subversionem.

Ergo, quoniam ex naturæ ordine utraque societas debet salva consistere, naturalis rerum ordo postulat, ut spiritualium potestas a potestate civilium, religiosa societas a societate laica sint omnino distinctæ.

PROB. 2ª PARS, DE JURE DIVINO POSITIVO. — 1° Si ambas potestates, spiritualem ac temporalem, voluisset Christus, Homo-Deus, in eadem persona conjunctas, potestatem aliquam temporalem cum spirituali et ipse primum exercuisset, et Apostolis suis deinde contulisset in fideles exercendam. Atqui potestatem nullam temporalem Christus, Æternus Ecclesiæ Pontifex, unquam exercuit; quin imo nullam sibi ejusmodi potestatem esse ex Patris mandato exercendam est aperte professus iis verbis : « Regnum meum non est de hoc mundo » (a); Apostolis vero suis adeo noluit temporalem potestatem ullam tribuere, ut eos ex infima et pauperrima plebe delectos in eadem hac pauperis et ignobilis vitæ conditione perpetuo reliquerit, nihil eis in hoc rerum genere afferens nisi majorem paupertatem, majorem humilitatem, probra, ærumnas, supplicia. Ergo ex Christi Domini divina ordinatione nulli homini temporalem potestatem habenti collata est hoc ipso rerum spiritualium potestas. Ergo, etc.

2° Si spiritualem potestatem in eadem persona cum potestate laica Christus Dominus conjunxisset, utramque sibi concessam vel Summi Pontifices vel principes laici, quantum poterant, sine dubio exercuissent. Atqui temporalem potestatem sibi a Christo cum spirituali datam Summi Pontifices nunquam affirmarunt; principes vero laici usque ad sextumdecimum seculum potestatem nullam ecclesiasticam unquam exercuerunt, atque expresse professi sunt nullam spiritualium potestatem sibi competere; post Martini denique rebellionem perpauci illi principes laici, qui hanc sacrilege potestatem usurparunt, derisi ac damnati sunt a cæteris regibus ac principibus : quæ omnia tum priorum temporum historiæ, tum hodierna rerum observatio testantur. Ergo, etc.

1351. COROLL. 1. — Non solum igitur injustam et absurdam, sed suis etiam populis sibique perniciosam rem faciunt reges ac principes laici, quando rerum spiritualium regimen seu *directionem* quocunque modo sive per se sive per suos ministros sibi audent vindicare. Injustam quidem rem, quia alienum jus, quo ipsi prorsus carent, sibi per vim attribuunt. Absurdam vero, quia conantur illud præstare ad quod inepti omnino sunt. Perniciosam demum tum suis populis tum sibimet ipsis, quia, divinas circa religionem leges violando, et religionis amorem cultumque in subditorum animis exemplo suo scelesto imminuunt, et laicæ

(a) Joan. XVIII, 36.

auctoritatis suæ contemptum novarumque rerum studia in eorumdem pectora imprudentes ingerunt.

Coroll. 2. — Quamvis ecclesiasticis principibus nulla sit a Christo collata potestas temporalis, hanc tamen alteram auctoritatem potest utique princeps aliquis ecclesiasticus, id est Episcopus, legitime aliunde acquirere ac legitime possidere eodem modo quo alius rei temporalis cujuscunque potest, ut retro vidimus, dominium adipisci ac retinere. Id vero notandum est præsertim ob Romanum Pontificem, qui non solum ecclesiastico et perpetuo in terrarum orbem universum, sed temporali etiam et civili a mille jam et amplius annis in plures Italiæ provincias principatu monarchico est divina admirabili providentia ornatus. Ad ecclesiasticæ namque potestatis dignitatem et libertatem omnino pertinet, quod sanctissimus Ecclesiæ Protarcha nulli sit principi temporali subditus, a quo posset ecclesiastici regiminis exercitium mille modis turbari, impediri, corrumpi. Itaque singulari Dei providentia factum est, ut Romano Pontifici temporalis principatus neque defuerit unquam, ut plena illi ecclesiasticæ monarchiæ constaret independentia, nec nimis amplus accresceret, ut, salva ecclesiastica libertate, periculum superbiæ fastusque, secularem præpotentiam fere comitantium, vitaretur.

Coroll. 3. — Hæc duo quoque sunt probe consideranda, quæ ab eruditis viris fuere jam sæpius notata :

I. Ubique et semper in populorum primordiis potestas religiosa civilem potestatem peperit, illa tempore huic anteivit, non e converso. Apud omnes scilicet populos qui primus sparsos homines sparsasque huc illuc familias in unam civitatem coegit, qui primus iis congregatis leges communiter servandas dedit, fuit sacerdos vel augur aliquis, ut Romulus, aut mortalis quidam eximius singulari deorum commercio fruens, ut Numa. Cujus rei necessitas est manifesta. Unus enim religionis sensus, unus Dei metus potuit satis firmum esse incitamentum, quo permotæ familiæ libere vagantes in unam civitatem convenirent, civilibus officiis constanter observandis se subjicerent, ei qui cum imperio præesset, adsisterent ad improborum crimina compescenda. Etenim, quum omnis societas in unitate quadam mentis et voluntatis in pluribus hominibus constante sit posita, sola religio est principium unicum, commune et uniforme, quo familiæ dispersæ adigi possin ad unitatem illam internam, qua omnis externa unitas nititur.

II. In prima civitatum origine sacerdos, divini numinis inter-

pres, idem et rex esse consuevit, utramque simul potestatem, religiosam et civilem, possidens. Gliscente civili ejusmodi societate, distinguuntur magis ac magis eæ potestates, donec unaquæque illarum in distincta persona resideat. Apud gentes vero, quæ adultæ jam antehac florerent, ac deinde in deterius vergant et dilabantur, religionis studio in plerisque civibus exstincto, potestatem religiosam princeps per vim usurpare solet, ita ut, quemadmodum in nationibus nascentibus sacerdos solet idem esse rex, in nationibus pereuntibus rex velit et sacerdos esse (a).

ARTICULUS II.

De essentiali potestatis secularis subordinatione sub potestatem ecclesiasticam.

1352. Notandum. — Societates duæ, spiritualis et temporalis, sunt quidem inter se prorsus distinctæ; at separari altera minime ab altera potest. Quin imo sunt illæ inter se arctissime connexæ ob *subjecti* communis *identitatem*. Sunt enim iidem prorsus homines, qui et civilem societatem inter se jungunt, ut temporalibus suis necessitatibus consulant, et societatem religiosam ineunt, ut ad Deum æternamque suam salutem contendant. Iidem ergo homines socialiter conviventes, in duplici ordine sunt, civili et ecclesiastico : cui duplici ordini duplex etiam præest auctoritas propria.

Jam duplici huic societatis, ordinis et auctoritatis generi duplex etiam respondet genus rerum et actionum; quarum aliæ sunt mere temporales, id est nullam cum religione vel moralitate connexionem habentes; aliæ vero ad religionem et moralitatem referuntur, atque idcirco ad spiritualem ordinem pertinent. Accuratius autem rem explicabimus sic statuendo, in omnibus propemodum hominis actionibus externis duplicem esse respectum distinguendum : illæ scilicet pene omnes secundum quemdam respectum sunt naturæ civilis ac temporalis; secundum alium sunt in ordine spirituali et religioso. Sic, *v. g.*, terram arare, aut labori cuilibet *servili* incumbere, civilia judicia exercere, bellum gerere, quæ actiones sunt per se ordinis temporalis, possunt ta-

(a) « Si, à l'origine des nations c'est toujours le pontife qui est roi, au jour de leur décadence et de leur ruine, c'est toujours le roi qui est pontife » (Melch. Dulacus jam cit., vol. 1, p. 110).

men bonæ vel malæ moraliter esse secundum adjuncta quædam determinata. Item, sacros conventus habere, religiosis cæremoniis operam dare, publicas supplicationes facere, sunt actiones spirituales, in quibus nihilominus aliquid non deest ad temporalem ordinem pertinens, ipsa nempe actio externa et materialis, quatenus externa et materialis est. Temporales igitur vel spirituales dicuntur hominis actiones non idcirco quod illæ sint *mere* temporales aut spirituales, sed quatenus *principaliter* temporales aut spirituales, etiamsi pleræque ad alium etiam ordinem, spiritualem aut temporalem, secundum alium respectum pertineant. — Denique, hoc jam apud omnes constat, res et actiones temporales auctoritati seculari esse subjectas, res vero et actiones spirituales sub spirituali, id est ecclesiastica, auctoritate, esse jure divino constitutas, ut nuper artic. I explicatum est.

His præmissis, quæritur utrum, sicuti duo sociales illi ordines, spiritualis ac temporalis, sunt per subjecti identitatem arctissime connexi, ita etiam binæ auctoritates ecclesiastica et laica, sint inter se conjunctæ per *formalem* alterius ab altera *dependentiam*, qua fiat ut, vel generaliter vel in certo quodam ordine, nihil altera illarum possit præcipere aut vetare, nisi per acceptam ab altera facultatem.

1353. Pos. 668ª. — Auctoritas ecclesiastica est omnino ab omni auctoritate seculari independens jure divino in omnibus etiam temporalibus *materialiter*, quatenus ea sunt *formaliter* ecclesiastica.

PROB. 1ª PARS : Auctoritas ecclesiastica est omnino a seculari potestate independens. — Christus, Homo-Deus, cui « data est omnis potestas in cœlo et in terra » (*a*), « in cujus nomine debet omne genu flecti cœlestium, terrestrium et infernorum » (*b*), quem genus humanum universum videbit aliquando « venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate » (*c*), ut « reddat unicuique secundum opera ejus » (*d*), dedit Apostolis suis eorumque successoribus, sub Petro eorum Principe, plenissimum jus et imposuit gravissimum officium constituendæ universalis cujusdam hominum societatis, quam ipsi deberent docere et gubernare, ordinatam unice ad vitam æternam promerendam, ad regnum cœlorum obtinendum; præcepitque ut hanc amplissimam

(*a*) Matth. XXVIII, 18.— (*b*) Philip. II, 10.— (*c*) Matth. XXIV, 30.— (*d*) Rom. II, 6.

societatem conderent ac regerent nulla a secularibus principibus petita facultate, quin imo iisdem utcunque et quantumcunque invitis ac reluctantibus.

Nam I. Apostolis omnibus dixit : « Euntes docete omnes gentes, ... docentes eos servare quæcunque mandavi vobis » (*a*); et alibi : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt » (*b*); et alibi adhuc : « Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo » (*c*). Petro autem uni singulariter plenitudinem hujus divinæ potestatis contulit, dicens : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » (*d*); et statim subdit illa præclarissima : « Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis » (*e*). Denique omnes prorsus homines qui viam salutis æternæ inituri sint ab eo tempore « usque ad consummationem seculi », uni Petro eidem credidit iis verbis : « Pasce agnos meos ; pasce oves meas » (*f*).

Atqui præstantissimam, mirabilissimam, plane divinam hanc potestatem et officium Petro et sub eo cæteris Apostolis tradens Christus, Homo-Deus, nullo pacto iis præcepit vel eos hortatus est, ut in hac potestate, in hoc officio exercendis facultatem ullam a principibus secularibus poscerent, a laica eorum auctoritate ullo modo pendere se existimarent, id profecto moniturus, vehementer etiam commendaturus, si ab Apostolis fuisset eorumque successoribus servandum, sicut alias monuit jussitque, ubi de re temporali, de tributo scilicet solvendo, agebatur, inquiens : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo » (*g*). Ergo potestatem ecclesiasticam a Christo, Homine-Deo, Petrus cæterique Apostoli acceperunt prorsus ab omni seculari potestate independentem. Ergo, etc.

II. Christus Dominus, immortali jam vita potitus, Apostolisque suis cœlestem illam divinamque potestatem solemni decreto conferens, sic orationem suam exorditur : « Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*h*). Atqui Æternus Pater, ut Verbum suum *Carnem factum* ad homines redimendos mitteret, nullam profecto a regibus ac principibus secularibus facultatem

(*a*) Matth. XXVIII, 19. — (*b*) Joan. XX, 23. — (*c*) Matth. XVIII, 18. — (*d*) Matth. XVI, 18. — (*e*) *Ibid.* 20. — (*f*) Joan. XXI, 15, 17. — (*g*) Luc. XX, 25. — (*h*) Joan. XX, 21.

petiit; neque Christo Domino, Filio suo, præcepit aut ullo modo suasit, ut veniam ullam a laicis potestatibus exquireret: quin imo res ita fuit divino consilio sapientissimo disposita, ut humanis omnibus, quæ tunc vigerent, potestatibus quam maxime invitis, Christus Dominus et in hanc vitam fuerit editus, et clam nutritus, et doctrinam suam sanctissimam prædicaverit, et *pusillum gregem* suorum coegerit ac rexerit: eum quippe statim ab ejus nativitate necandum Herodes rex conquirit; profugus idem apud extraneas gentes agere per annos complures cogitur; tum a Judæis magistratibus omni arte prohibetur ne doctrinam suam propaget; ab iisdem denique ad mortem expetitus ob unicam eam causam quod ejus evangelio permulti adhærescerent, a laica romanorum inibi imperitantium potestate afficitur ob eamdem unam causam crudelissimo supplicio. Ergo ne Apostoli quidem eorumque successores debent facultatem ullam ab humana ulla potestate poscere, ut sibi liceat evangelium prædicare, suos discipulos docere, christianorum societatem in iis omnibus quæ ad religionem attinent dirigere et gubernare; quin imo hæc omnia debent Apostoli eorumque successores libere constanterque præstare, spretis laicæ potestatis contrariis quibuscunque præceptis; tenenturque jure divino resistere cum quocunque suo periculo impiis regibus et principibus eorumque ac Satanæ ministris, qui audeant evangelicum eorum ministerium et religiosum christianæ societatis regimen impedire, turbare, sibi per vim attribuere. Nam hoc plane modo Christus Dominus ab Æterno suo Patre missus fuit; atque eodem modo ille Apostolos misit, sicut miserat eum Pater. Ergo, etc.

III. Christus, Homo-Deus, en quo pacto Apostolos eorumque successores miserit ad evangelium docendum et suos discipulos gubernandos: « Euntes autem, ait (*a*), prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum... Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus... Non est discipulus supra magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos... Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt

(*a*) Matth. x.

occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » — Unde hoc emergit ratiocinium : Christus Dominus Apostolis eorumque successoribus prædicit fore ut a regibus, a præsidibus aliisque magistratibus ii propter evangelium variis cruciatibus, capitali etiam supplicio aliquando afficiantur, iisdemque vehementer commendat, ut ne illos unquam illorumque supplicia timeant. Atqui, si a potestate laica, in iis quæ ad religionem spectant, potestas ecclesiastica penderet, nec potuisset Christus Dominus illud prius prædicere, nec debuisset hoc posterius commendare.

Nam 1° si in evangelio docendo christianisque regendis potestas ecclesiastica penderet a laica potestate, nullus unquam posset conflictus, nulla pugna inter has duas potestates intervenire; sicut, *v. g.*, in russiaco imperio nulla existere potest ac nulla unquam existit hujusmodi lucta; quia ecclesiastici ministri, religiosa omni libertate spoliati, mera sunt russiaci tyranni mancipia et bruta instrumenta : quod sane de anglicanis etiam episcopis respectu regis aut reginæ, de lutheranis et calvinistis prædicantibus ac ministris respectu laicorum principum cui quique subsunt, eodem jure dicendum est. Ubi enim duorum principiorum alterum alteri longissime viribus materialibus valentiori obedit, eodem semper distinctus utriusque motus sine ulla coll· ·tatione convergit. Ergo, quoniam Christus prædicit gravissimos fore *ob ipsum evangelium* conflictus ecclesiasticam inter et laicam potestates, hoc ipso docet laicæ potestati Ecclesiæ ministros, in iis quæ ad evangelium pertinent, nullo pacto obedire oportere.

2° Si ecclesiastica potestas deberet in iis quæ ad evangelium pertinent, seculari potestati obtemperare, nequaquam Apostolos Christus Dominus moneret ne reges ac præsides et alios omnes qui corpus possunt occidere, ii timeant, quum propter evangelium ad illos ducentur; sed potius eos hortaretur ut regum ac præsidum præcepta demisso animo exciperent ac servarent. Atqui ter in eodem loco inculcat eorum animis Dominus, ut ne reges ac præsides timeant, cruciatusque omnes ac mortem ipsam fortiter patiantur. Jubet ergo Dominus Apostolos laicæ potestati in iis quæ ad evangelium attinent, non obedire, sed resistere, non esse obnoxios, sed imperare.

3° Idem Dominus, Homo-Deus, ait reges ac præsides, quum Apostoli ad eos propter evangelium ducuntur, posse quidem horum corpus occidere, animam vero non posse, id est, nullam eo

vim habere in animam Apostolorum, quorum tamen corpora possint occidere. Atqui, si a laica potestate Apostoli in iis quæ pertinent ad evangelium, dependerent, haberent profecto reges ac præsides aliquam vim in animam ipsam Apostolorum; possent enim illos suis præceptis moraliter obligare, quam moralem obligationem si Apostoli violarent, eorum anima occideretur, atque ad gehennam esset mittenda.— Præterea, quum omnis auctoritas humana sit divinæ auctoritatis participatio (327), quicunque humanæ auctoritati resistit, Deo resistit. Atqui Christus Dominus aperte docet, Apostolos laicæ potestati in iis quæ ad evangelium spectant, resistendo, nequaquam Deo resistere, sed potius Deo placere. Nam regibus ac præsidibus qui possunt corpus occidere, opponit Dominus eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, nempe divinam auctoritatem; monetque ut illos ne timeant, sed potius hunc unum pertimescant. Ergo non solum non jubet Apostolos laicæ potestati, quum de evangelio agitur, obedire, sed præcipit gravissimis verbis ut regibus ac præsidibus resistant, in gehennam perdendi, si per ignaviam profanis eorum jussis in re evangelica morem gerant. Ergo nullo pacto Apostolos in christiana re a seculari potestate pendere Christus Dominus his verbis denuntiat.

IV. In iis quæ ad Dei cultum internumque animi ordinem unice spectant, nullo pacto homines singulos humanasque societates a seculari potestate pendere notissimum omni semper ætate fuit. Celeberrima est, inter alia exempla innumera, trium hebræorum juvenum constantia, qui a rege Assyriorum aureum signum adorare jussi, cum minis promptissimi ac sævissimi supplicii, ni statim obedirent, fortissima illa responderunt : « Non oportet nos de hac re respondere tibi..... Notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus » (*a*). Quam trium juvenum constantiam præclaro miraculo Deus comprobavit. Nec minus illustria sunt septem fratrum matrisque eorum, fortissima et sapientissima dicta et facta in dirissimis cruciatibus tolerandis, ne regis jussa religioni suæ repugnantia facerent; quorum ultimus, post sex alios fratres horrendis suppliciis nuper absumptos, matre sanctissima hortante, coram impio rege exclamat : « Quem sustinetis? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen » (*b*).

(*a*) Dan. III, 16, 18. — (*b*) II Machab. VII, 30.

Ipsi vero Christi Apostoli, quamvis a judaicis magistratibus vetarentur evangelium prædicare, nihilo minore cura studioque incumbebant christianæ doctrinæ propagandæ ; ita ut adveniens quidam nuntiaret principibus sacerdotum : « Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, et docentes populum » (a). Quumque princeps sacerdotum interrogasset Apostolos, dicens : « Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto; et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra ;... respondentes Petrus et Apostoli dixerunt : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* » (b). Quæ apostolica sententia fuit clypeus invictus, quo diabolica laicæ tyrannidis tela christiani Episcopi repulerunt per omnes ætates usque ad venerandum Archiepiscopum Friburgensem contra sacrilegas ac perjuras hæretici Badensis Gubernii usurpationes strenue nunc temporis pugnantem. Itaque Apostoli, etiamsi judaici illi magistratus *cæsis denuntiassent ne omnino loquerentur in nomine Jesu*, « omni die non cessabant in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum » (c).

Jam vero et generali illa sententia, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, et constanti suo facto Apostoli manifeste docuerunt, in iis quæ ad evangelium attinent, ecclesiasticam auctoritatem a nulla seculari potestate ullo modo pendere. Ergo, etc.

V. Apostolorum vestigia perpetuo persecuta est Ecclesia, atque etiam nunc in auctoritate sua spirituali independenter ac libere exercenda in terrarum orbe universo persequitur. Nam doctrinam Christi per totum romanum imperium, invitis atque acerrime reluctantibus paganis imperatoribus, propagavit; horum decreta christianis legibus contraria vetuit a suis observari ; bonorum temporalium dominium accipere, religiosas conciones habere, christiana sacra facere, quantumcunque illi legibus ac suppliciis hæc impedire conarentur, nunquam destitit. Post eversum autem paganismi regnum, quotiescunque impius vel temerarius aliquis princeps Neronis aut Diocletiani aut Juliani fraudes ac furores vellet in Ecclesia alicubi vexanda imitari, eadem semper constantia ac prudentia leges suas ac sua jura propugnavit, contra Henricum IV et Fredericum II, Germanos, contra Philippum Pulchrum, contra Ludovicum XIV, contra Napoleonem I : eadem constantia et prudentia hodieque pro legibus juribusque

(a) Act. v, 25. — (b) *Ibid.* 28, 29. — (c) *Ibid.* 42.

suis pugnat contra Russiacum tyrannum, contra Badensem principem hæreticum, contra Libertinos Italiæ perturbatores.

Atqui perpetua, universalis et uniformis Ecclesiæ consuetudo nequit profecto errore aut vitio ullo laborare, ut apud omnes christianos constat. Ergo constanti hac agendi ratione evidenter illa demonstravit, spiritualem suam potestatem ab alia humana potestate nullo pacto pendere.

VI. Christiani principes et factis et verbis ab initio statim et deinde perpetuo professi sunt ecclesiasticam potestatem ab Episcopis esse independenter ac libere exercendam, sibique nullum esse jus illius dirigendæ vel utcunque impediendæ. Qui vero principes aliquando ausi sunt ecclesiastico regimini sese independenter ab Episcopis immiscere, fuerunt a christianis constanter graviterque reprehensi, tamquam aliena jura tyrannice usurpantes; maximasque clades ob scelestas ejusmodi principum in Ecclesiæ regimen invasiones acceperunt omni tempore non solum res christiana, sed res etiam civilis et politica. Quæ quidem omnia luculentissimum historiarum testimonium ubique confirmat. Sufficiat hic unum vel alterum exemplum breviter indicare.

Constantimus, primus Romanorum imperator christianus, qua modestia concilio Nicæno interfuerit, his verbis commemorat sanctus Ambrosius ad Valentinianum imperatorem scribens (*a*) : « Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio; sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus. »

Constantini exemplum in hac etiam re secutus est Marcianus imperator patres Chalcedonenses in prima sessione hæc inter alia allocutus : « Nos enim, inquit (*b*), ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo imperatoris Constantini, adesse synodo cogitavimus. » Quod ille in ejusdem synodi sessione septima sic iterum denuntiat (*c*) : « Nos ad fidem corroborandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi principis Constantini, synodo interesse voluimus, ne vel ulterius populi pravis persuasionibus separentur. »

Ex infinita christianorum principum qui plenam auctoritatis ecclesiasticæ libertatem divino jure constitutam sunt religiose re-

(*a*) Ambros. *Epist.* 32. — (*b*) Apud Baron. *Annal.*, ann. 451, n. 70. — (*c*) *Ibid.* n. 114.

veriti, unum adhuc Carolum Magnum appellabimus, atque ex hujus ipsius factis et dictis innumeris huc spectantibus hoc unum capitulum referemus : « In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet, sive sit presbyter sive diaconus, aliquam perturbationem machinando et nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica Sede detulisse epistolam, vel aliud aliquid quod inde non venerit; salva fide et integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem aut aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum tam sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine statuat lex Romana definire, ut et is corrigatur, et cæteris modus imponatur » (a). In quo decreto Magnus imperator, ut quisque videt, nequaquam sibi licere judicat presbyterum ullum vel diaconum, quamvis læsæ majestatis convictos, ex auctoritate sua seculari punire, sed rem totam summo Pontifici et Episcopis a se permittendam esset censet.

Quapropter Leonem, imperatorem iconomachum, increpans, hæc inter alia multa pulcherrima sanctus Joannes Damascenus eloquitur : « Mementote, inquit (b), Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Verbum non sunt locuti vobis Reges, sed Apostoli et Prophetæ Pastoresque et Doctores... Regum est civilis administratio : ecclesiastica vero constitutio Pastorum atque Doctorum. Impetus iste latronum est, fratres : Saül scidit pallium Samuelis : et quid ei contigit? Abscidit regnum ejus Deus... Manichæi evangelium secundum Thomam conscripserunt : et vos secundum Leonem evangelium scribite. Non suscipio Regem sibi per tyrannidem sacerdotium vindicantem. Novi Valentem regem, qui, quum christianus nominaretur, orthodoxam fidem persequebatur; Zenonem item et Anastasium, et Heraclium, et Constantinum illum qui in Sicilia fuit, et Bardaniscem, qui et Philippicus appellatus est. Non regiis regulis, sed patriis institutis, tam

(a) Ibid., ann. 801, n. 10. — (b) Joan. Damasc. apud Baron., ann. 730.

scriptis quam non scriptis, Ecclesiam censeo constitui et gubernari oportere ».

Quantam vero perniciem suis ipsis rebus temporalibus creent reges illi ac principes qui audeant independenter ab Episcopis de sacris rebus statuere, dicemus brevissime allatis hic venerabilis card. Baronii paucis verbis quæ acclamationibus Episcoporum de religione Theodosii junioris in concilio Constantinopolitano contra Eutychetem habito ille sapienter subjungit. « Secutæ sunt hæc, ait (a), acclamationes synodi de fide et religione Theodosii imperatoris. Sed si prænovissent futura, utique immensis lacrymarum imbribus fuissent eadem prosecuti. Quanto enim detrimento immisceant se interdum principes rebus sacris, quæ ab Episcopis tractandæ sunt, recentia exempla, ut prætermittamus vetera, docuerunt. Etenim fomes peccati Nestorius litteris Cælestini damnatus jam, nisi intra decem dierum spatium resipisceret, conspirante in eamdem sententiam synodo Alexandrina, perpetuo silentio jam sepultus fuisset. Quum vero sese in his male immiscuit Theodosius, quanta inde mala provenerint in Ecclesiam, adhuc quæ videntur in Orientali Ecclesia ulcera putrefacta testantur. Eutyches pariter, delirus senex et impudens hæresiarcha, in hac Constantinopolitana synodo jam cum sua hæresi condemnandus, atque penitus oblivione delendus, fultus auxilio præfectorum et munitus edictis imperatoris, sic invaluit, ut per plurima secula ejus hæresis flamma universam Orientalem Ecclesiam vehementis instar incendii exusserit, atque nunquam hactenus restingui valuerit. Mentiar, nisi et lapides ista clament, et viæ Sion lugeant. Etenim ex his non catholica tantum fides insanabilem plagam accepit, sed Orientale Imperium penitus collapsum atque funditus dirutum est. » Idem regum et principum scelus, ubi protestantica pestis grassari cœpit, eadem rei civili et politicæ simul et religioni damna acerbissima intulit.

PROB. 2ª PARS : Auctoritas ecclesiastica est jure divino prorsus independens etiam in rebus *materialiter* temporalibus, quæ tamen sunt *formaliter* spirituales.

NOTANDUM. — Formaliter spirituales dicimus res per se materiales quæ sunt divino cultui legitime utcunque addictæ.

Sic igitur brevissime 2ªm partem probamus : Auctoritas ecclesiastica est omnino a seculari potestate independens quoad illas

(a) Apud Baron., ann. 448, n. 47.

res omnes in quas illa verum et proprium jus habet. Est enim auctoritas ecclesiastica tota et generaliter independens, ut nuper in 1ª parte constitutum est. Ergo hæc illi independentia competit pariter quoad omnia objecta ad ejus auctoritatem pertinentia. Atqui res temporales divino cultui legitime utcunque addictæ, sunt divino jure auctoritati ecclesiasticæ subjectæ, ut firmissime fuit superius (1339) comprobatum. Ergo, etc.

1354. Pos. 669ª. — Auctoritas secularis in quocunque gradu est jure divino subdita ecclesiasticæ potestati etiam in temporalibus, quatenus hæc ad religionem vel ad moralitatem pertinent.

PROB. — I. Ecclesia veram et propriam habet jure divino auctoritatem etiam in res temporales ad ordinem spiritualem attinentes, ut nuper in 2ª parte positionis præcedentis docuimus. Atque hæc Ecclesiæ auctoritas in has etiam res temporales est omnino jure divino independens, ita ut hoc ejusdem jus, hanc actionem nulla possit licite humana auctoritas auferre, mutare, turbare; ac proinde ipsa per hanc sibi propriam actionem independentem limitat jus et actionem alius cujuscunque potestatis, cui cæteroqui res illæ essent obnoxiæ: quæ omnia sunt jam evidenter demonstrata. Hæ tamen res temporales, hoc ipso quod sunt temporales, seculari potestati essent plane subjectæ, nisi religiosa destinatio religiosæ illas potestati subjiceret. Ergo hoc ipso quod ecclesiastica potestas jus habet in res temporales, quatenus hæ ad spiritualem ordinem pertinent, prorsus independens, limitat illa et excludit sub hac ratione jus quod seculari potestati in easdem res cæteroquin illimitatum competeret. Atqui potestas quæ ab alia excluditur a quibusdam rebus ab eaque limitatur, est evidenter sub illo respectu subdita. Ergo hoc ipso quod auctoritas ecclesiastica habet jure divino in res temporales ad religionem vel moralem ordinem attinentes potestatem prorsus independentem, eodem jure divino potestas secularis est ecclesiasticæ subdita in temporalibus sub eadem ratione consideratis.

II. Omnis potestas secularis est certissime subjecta legibus divinis universalibus, seu naturalibus seu positivis. Atqui 1° lex divina positiva apertissima constat, quæ secularem omnem potestatem subjicit potestati ecclesiasticæ in iis omnibus quæ ad religionem et mores pertinent; quod evidentissime ostendunt divina testimonia superius memorata (1353, prob. 1ª pars, I.): « Docete omnes gentes; — Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; — Tibi dabo claves regni cœlorum; —

Pasce agnos meos; pasce oves meas, etc. » Nam, hoc ipso quod Deus ecclesiasticæ auctoritati dedit jus et imposuit officium *docendi*, *pascendi*, *ligandi* vel *solvendi* omnes homines, ac proinde etiam reges et principes eorumque omnes administros, in iis omnibus quæ pertinent ad regnum cœlorum; omnibus hominibus et idcirco etiam regibus et principibus eorumque administris imposuit necessitatem substandi ecclesiasticæ auctoritati in hoc eodem rerum ordine, et ab illa dependendi, ut ab eadem *doceantur*, *pascantur*, *ligentur vel solvantur*, inducantur in regnum cœlorum vel excludantur per Ecclesiæ Principem cui claves hujus regni datæ sunt : quæ profecto sunt evidentia.

2° Qui est absolute subditus alicui legi, est eodem modo subditus ei quem legislator constituerit *doctorem*, *interpretem*, *custodem* et *vindicem* unicum ejusdem legis. Atqui omnis secularis potestas est absolute subdita legi naturali et legi evangelicæ; et utriusque hujus legis Deus unicum doctorem, interpretem, custodem et vindicem constituit auctoritatem ecclesiasticam, ut fuit validissime capite 2° partis II° probatum. Ergo, in iis omnibus quæ ad legem naturalem ac legem evangelicam pertinent, omnis secularis potestas est jure divino subdita potestati ecclesiasticæ; quemadmodum hoc ipso quod potestas secularis est a Deo constituta unica interpres, custos et vindex ordinis mere civilis ac politici, omnes cives, etiam clerici, sunt seculari potestati subjecti in iis quæ ad ordinem mere civilem ac politicum spectant.

3° Evidentissimum etiam est quam plurimas res temporales, civiles ac politicas ad ordinem moralem ac religiosum pertinere; posse nimirum illas congruere cum divinis legibus, naturalibus vel evangelicis, aut iisdem repugnare. Tributa, bella, præmia et pœnæ, leges denique pene omnes de ipsis rebus temporalibus possunt vel justa esse vel injusta, moraliter honesta vel inhonesta, religioni et divino cultui favere vel obesse; quod vel levissima particularium observatio manifeste ostendit. Ergo in temporalibus ipsis rebus, civilibus aut politicis, plurima sunt, in quibus secularis potestas pendet omnino a legitimo religiosi et moralis ordinis præside, custode ac vindice, scilicet a potestate ecclesiastica.

III. Bossueticus error negans secularem potestatem esse ullo pacto in temporalibus subditam potestati ecclesiasticæ, ad teterrimum *machiavellismum* principes eorumque ministros recta et necessario perducit. Nam machiavellismus consistit in morali ac religiosa qualibet lege postponenda temporalibus rei civilis ac

politicæ utilitatibus, quotiescunque aliqua ejusmodi lex videt. his utilitatibus adversari. Atqui ad hanc ordinis civilis ac politici subversionem bossueticus error perducit necessario vel theoretice vel saltem practice. 1° Theoretice : quia si theoretice diceretur potestas politica legi alicui morali et religiosæ subdita, hoc ipso poneretur ejus dependentia ab Ecclesia, quæ est harum legum interpres et vindex. — 2° Practice saltem : quia si potestas secularis est sibi ipsa legis divinæ cujuscunque in temporalibus interpres et vindex suprema et prorsus independens, licitum denique in temporalibus et honestum illud erit, quidquid eidem erit libitum, quidquid utile sibi judicaverit. Etenim ita omnis homo est natura comparatus, ut, quum de operis sibi jucundi vel utilis honestate proprio suo judicio statuere debet, plerumque ob inordinatas passiones ejus mentem excæcantes illud honestum ac prorsus licitum existimat quod sibi jucundius vel utilius videatur. Quod sane in regibus ac principibus multo facilius sæpiusque usuveniet, qui, quum summam vim materialem, cui nemo subditorum potest resistere, soli possideant, summis honoribus undique circumdentur, assentatoribus blandissimis undique obsideantur, multo vehementius ad voluntatem suam pro norma omnis justi et honesti habendam impelluntur. Ergo secularem potestatem ab ecclesiasticæ auctoritatis imperio in temporalibus eximere perinde est ac regibus et principibus concedere, ut in temporalibus ordinandis illud omne honestum sibique licitum existiment, quod jucundum sibi atque utile judicaverint Ergo, etc.

Ex *machiavellismo* autem sponte sua *tyrannis* consequitur; et proinde error bossueticus reges ac principes ad populos etiam tyrannice opprimendos impellit.

IV. Bossueticus error, essentialem potestatis secularis sub ecclesiastica etiam in temporalibus subjectionem quoad respectum religiosum et moralem negans, non solum ad machiavellismum et tyrannidem, sed etiam ad *impietatem civilem* et *atheismum politicum* reges ac principes necessario perducit. Nam error iste pessimus principes docet ecclesiasticæ potestati nullum jus esse eosdem regendi, monendi, præceptis cogendi ac puniendi in temporalibus sub religioso et morali respectu, ac proinde posse jure ac debere principes ecclesiasticæ potestati resistere, quotiescunque aliquod ejusmodi jus ea sibi forte attribuat Atqui hoc jus regendi, monendi, præceptis obstringendi et puniendi principes etiam in temporalibus quoad religionis et moralitatis

respectum Ecclesia sibi perpetuo vindicavit, perpetuo vindicat, perpetuo vindicabit. Ergo ex pestifera illa doctrina bossuetica opus erit, ut principes in statu quodam perpetuæ resistentiæ adversus Ecclesiam se suumque regimen civile ac politicum componant; nimirum inducendum erit absurdissimum ac scelestissimum illud *systema absolutæ separationis* inter gubernium temporale et religionem atque Ecclesiam, ita ut gubernium seculare nullam prorsus religionem agnoscat, atheumque sese publice profiteatur. Atqui hæc *separatio*, hæc *civilis impietas*, hic *atheismus politicus* absurda sunt, civili et politicæ quoque rei perniciosa, omnibus retro seculis inaudita, a scelestis sophistis recenter inventa, ut jam superius indicavimus obiter libris IV et VIII, et paulo fusius mox explicabitur. Ergo, etc.

5° Bossueticus idem error singulis populis, quin imo singulis civibus, *jus seditionis* adversus principem confert, ita ut, ex hac pestifera doctrina, iis liceat ad eum e solio deturbandum, novumque aliud gubernium constituendum convenire, conspirare, quæcunque possint subsidia et adjumenta adhibere. Nam, si civilia et politica nullo pacto sunt judicio ecclesiasticæ potestatis subdita, sed prorsus pertinent ad humanam principis rationem, eodem jure illa pertinent ad humanam rationem subditorum; horum namque ratio non est profecto pejoris conditionis quam ratio principum (*a*). Quin imo, si humana solum virtus in principe et subditis pensanda sit, majoris est ponderis subditorum, quam principis ratio; quia plures numero, minoribusque ac paucioribus errandi periculis illi, quam hic, sunt obnoxii, si utrinque, neglecta Ecclesiæ auctoritate, per solam humanam rationem res transigitur. Ergo, sicut ex bossuetica sententia, nihil pertinet ad Ecclesiam definire quid justum, quid licitum principi in subditis temporaliter gubernandis sit, sed principi uni tota hæc res humana sua ratione est judicanda, ita, eodem prorsus jure, subditorum est statuere in quibus, et quamdiu, et quomodo principi obediant et obedire debeant; ac proinde eorum quoque, ob easdem causas, est definire cur, quando, et quomodo in singulis casibus possint licite imperium principis detrectare, eum-

(*a*) « Si, laissant là l'Eglise, vous en appelez à la loi naturelle et à la raison, nous croyons qu'un peuple est tout autant que son gouvernement l'interprète légitime de la raison et de la nature. Si vous en appelez à la force, à la bonne heure, nous verrons qui sera le plus fort » (Dulac, *L'Église et l'État*, t. II, p. 40:).

que prorsus etiam abjicere, alio sibi gratiore in ejus locum suffecto. Atqui, etc. Ergo, etc.

6° Plenam potestatis secularis sub potestate ecclesiastica subordinationem pertinere ad fidem catholicam definivit ac decrevit Ecclesia Universalis per Constitutionem Apostolicam Bonifacii VIII, quæ incipit his verbis : *Unam sanctam*. Sic enim illa statuit : « Igitur Ecclesiæ unius et unicæ unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi Vicarius, Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipso Petro (Joan. 21) : Pasce oves meas ; meas, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas.... In hac ejusdem potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur.... Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, ille manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Nam, quum dicat Apostolus : Non est potestas nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt (Rom. XIII) ; non autem ordinatæ essent nisi gladius esset sub gladio, et tamquam inferior reduceretur per alium in suprema.... Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichæus, fingat esse principia, quod falsum et hæreticum judicamus... Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis ».

Jam, fatentibus ipsis gallicanis, Constitutio Apostolica est infallibilis, quando Ecclesia, tacite saltem, illam approbavit, non reclamando. Ergo hæc Bonifacii VIII Constitutio, contra quam Ecclesia nunquam reclamavit, est infallibilis habenda etiam ex principiis gallicanis. Quanquam revera, ut superius vidimus, ipsa per se, ante quamcunque approbationem, publica Petri doctrina semper est infallibilis. Ergo, etc.

7° Ecclesia christiana perpetuo per omnes ætates habuit reges et principes tamquam sibi subditos etiam in temporalibus, quatenus illa ad religionem et moralitatem attinent, eosque in hoc rerum civilium et politicarum ordine direxit, monuit, reprehendit, præceptis et punitionibus compescuit. Quod factum quum passim historiæ omnium gentium testentur ipsique adversarii

maxime concedant, acriterque condemnent, non es cur particularia testimonia ad illud comprobandum conquiramus. Omnia potius ea testimonia universim revocabimus cum Melchiore Dulaco, viro præclaro, ad novem capita quædam seu gradus quos ille apte distinguit ac singillatim explicat (a).

Primum igitur gradum potestatis indirectæ exercuit ecclesiastica auctoritas in auctoritatem secularem, sese in terras gentesque istius, ea maxime invita, insinuando ac stabiliendo. Id enim ubique terrarum Ecclesia fecit, quæ ne minimum quidem terræ angulum adepta est, quin omni vi secularis potestas conata sit eam inde repellere atque exturbare.

Secundum, suos subtrahendo secularis auctoritatis obedientiæ in iis omnibus quæ spiritualibus suis legibus repugnarent, quædam vetando quæ lex temporalis permitteret, alia jubendo quæ lex secularis vetaret. Id primum Ecclesia præstitit, quocunque illa ingressa est.

Tertium, suis interdicendo honoribus ac muneribus quibusdam societatis secularis militaribus, judiciariis, administrativis, eorumque acceptatione, accessu ad tribunalia secularia, et hujusmodi, vel hæc non aliter permittendo quam sub quibusdam conditionibus, atque intra quasdam circumstantias. Effecit id Ecclesia tribus potissimum seculis sub paganis imperatoribus: atque hoc modo distinctam plane amplissimamque societatem in medio ipso romano imperio instituit ac formavit, cui societati leges erant propriæ legibusque romani imperii contrariæ, ac proprii quoque judices a civilibus judicibus diversi.

Quartum, cogendo secularem potestatem ut Ecclesiæ libertatem et independentiam salvas integrasque vellet, ac proinde ut aboleret leges temporales ecclesiasticis directe contrarias, quæ scilicet vetarent quæ illa præcipit aut commendat, vel juberent quæ illa vetat. Sub Constantino Magno cœpit id Ecclesia consequi; pro hac libertate ubique et semper ea decertat, donec illa tandem potiatur.

Quintum, seculares potestates illuc adducendo ut cum ea partis solemnibus convenirent, ac pro bonis spiritualibus ab ipsa acceptis commoda quædam temporalia vicissim, publica fide obstricta, concederent. Huc pertinent *Conventiones* et *Concordata* a regibus ac principibus fieri solita cum Sede Apostolica.

(a) Dulac, *l'Église et L'État*, t. II, p. 115 et seqq.

Sextum, imponendo suaviter secularibus societatibus tale juris systema, ita cum lege spirituali congruens, ut non solum possit Ecclesia libere apud illas suam legem propriam observare, sed societates ipsæ temporales in legibus suis condendis et exsequendis unicam sibi normam omnis justi et honesti proponant doctrinam ac legem christianas. Hac ratione Ecclesia paganas et barbaras omnium populorum leges paulatim immutavit, christiano in legislatores animo sensim infuso.

Septimum, obligando secularem auctoritatem ut civili sua potentia ad violatores legis spiritualis puniendos uteretur, ita ut non solum totum juris civilis systema cum jure ecclesiastico plane consentiat, sed lex ipsa ecclesiastica sit etiam in civili ordine temporali obligatoria. Perfecit id Ecclesia statim ac potuit, christiana fide apud gentes satis confirmata. Ita factum est, ut idololatria, hæresis, apostasia et alia crimina contra spiritualem societatem commissa pro criminibus ad temporalem quoque societatem pertinentibus apud populos christianos haberentur.

Octavum, statuendo ut lex pœnalis ecclesiastica effectus etiam temporales aliquos gigneret ita ut sola legis spiritualis applicatio per judicem spiritualem facta, sine ullo judicis secularis interventu, effectus quosdam in ordine temporali obtineat, reum condemnatum efficiendo indignum honoribus, muniis, titulis, dignitatibus, ab iisque omnibus hac una causa prohibeatur. Hæc propria vis fuit pœnitentiæ publicæ in Ecclesia usque ad seculum XI. Idipsum Ecclesia seculis insequentibus factitavit per sententias directe latas in eos qui, excommunicatione perculsi, ecclesiasticam potestatem contemnerent.

Nonum denique ac summum gradum illius potestatis Ecclesia exercuit, reges ipsos ac principes seculares subjiciendo in ipsis temporalibus auctoritati suæ spirituali, jura et privilegia quædam iis conferendo, quæ aliunde nequirent accipere quam ab Ecclesia; conditiones iis imponendo, quas sine crimine violare non possent; eosdem, ubi deliquissent, cogendo subire spiritualis potestatis judicium, pœnasque ab eadem decretas; postremum reges per *consecrationem* propria sua auctoritate creando, vel dejiciendo per *depositionem*. Quæ omnia fecit Ecclesia, fatentibus utique illius hostibus ac vehementer succensentibus, a quarto seculo per totum medium ævum, donec pagana barbaries iterum civilia et politica gubernia simul et litterarum atque artium studia invasit. Hactenus ex Dulaco, viro clarissimo.

Atqui constans et universalis Ecclesiæ consuetudo publica, solemnis, ab omnibus Episcopis, saltem tacite, approbata, nequit cum justitia et veritate pugnare (1262). Ergo, hoc ipso quod talem sibi potestatem in res principum temporales Ecclesia perpetuo attribuit, certissimum fit hanc potestatem illi reapse jure divino competere.

1355. COROLL. 1. — Hoc ipso quod Ecclesia potestatem habet plenam et prorsus independentem in res omnes spirituales atque in ipsas temporales, quatenus hæ ad religionem vel moralitatem pertinent, evidens est Ecclesiæ, id est Summo Pontifici, Ecclesiæ Protarchæ, essentialiter competere potestatem *deponendi indirecte*, scilicet seculari omni auctoritate privandi indirecte, reges ac principes, qui hac pœna se suis sceleribus dignos effecerint. Nam jus regnandi est profecto aliquid ad moralitatem suapte natura pertinens, et præterea subordinatur essentialiter ad ordinem religiosum et moralem. — Regiam auctoritatem esse per se ipsam aliquid ad moralitatem pertinens, patet apertissime, quia potest hæc auctoritas haberi juste vel injuste, potest juste vel injuste exerceri : sunt autem justum et injustum qualitates morales. — Subordinatur vero essentialiter eadem auctoritas ad ordinem religiosum et moralem ; quia ejusdem naturæ in unaquaque societate est auctoritas illi præsidens, cujus naturæ est ipsa hæc societas, quum auctoritas socialis nihil aliud sit quam jus quod societas ad sese conservandam ac perficiendam habet in una quadam persona concrete residens. Atqui omnis societas temporalis subordinatur essentialiter ad ordinem religiosum et moralem (484, 734). — Ergo duplici illa ex causa jus regnandi, sive regia ipsa auctoritas, quoad suam in hac vel illa persona existentiam, pendet indirecte a suprema ecclesiastica potestate, ita ut optimo jure possit hæc in quibusdam circumstantiis auctoritate ac dignitate regia, seu suprema seculari potestate certam aliquam personam indirecte privare, quod uno verbo dici solet *deponere*, subditosque illius principis omnes eodem jure possit a juramento fidelitatis exsolvere.

Et vero in jure politico jam vidimus (1004) obstinatam principis contra publicum bonum malitiam esse certissimam causam, qua princeps privatur, generaliter loquendo, publica omni potestate. At ibidem ostendimus (1008) nunquam posse principem independentem ob hanc ipsam tyrannidis quantumvis manifestæ causam a populo deponi, quia populus nequit in sua ipsius causa

esse legitimus judex de vera illius principis tyrannide statuens. Quod si legitimus adsit judex certa instructus potestate judicandi an hic vel ille princeps juste an tyrannice possideat vel exerceat secularem auctoritatem ; tum vero per legitimam sententiam qua talis judex declaret hunc vel illum principem tyrannice publica auctoritate abuti, habetur jam illud unum quod requiritur adhuc et sufficit, ut princeps auctoritate illa omni privatus agnoscatur. Intrinsece namque repugnat, jus societatis conservandæ ac perficiendæ, quod est socialis auctoritas, esse jus societatis vexandæ ac perdendæ. — Atqui Ecclesia sola habet hanc potestatem judicandi authentice de tali facto morali gubernationis tyrannicæ in principe independente ; quia illa est divino jure, ac sola est, legitimus judex eorum quæ ad justitiam et moralitatem pertinent, quæ sunt profecto res spirituales. Ergo, etc.

Atque hæc ipsa est unica ratio conciliandi illa duo quæ nuper memoravimus à nobis in jure politico tradita, nimirum et privari principem omni potestate publica ob constantem tyrannidem, et non posse tamen a populo illi subdito ulla ratione deponi (1004, 1008) : ex quibus duobus consequi videtur, principis tyrannidem quantumvis immanem et obstinatam, calamitatem scilicet publicam omnium teterrimam, nunquam licere populo a se procul depellere, etiamsi facile possit ; id autem videtur plane absurdum, quippe quod manifeste repugnet primo et præcipuo juri quod omni enti essentialiter inest, juri nempe suæ conservationis, et idcirco sit etiam divinæ Providentiæ injuriosum, quæ tam inepte humanam societatem constituerit, ut vetetur illa aliquando suæ conservationi consulere, supremumque exitium immerito teneatur subire, quod facile possit propulsare.

At vero, summa illa ecclesiastici Protarchæ in principes potestate agnita et admissa, facilis statim ac legitimus in promptu est modus tyrannidis depellendæ, si vera illa tyrannis fuerit. Re namque ad Summum rerum spiritualium in terris Judicem delata, solemni decreto is statuit, num principi reo debeant populi porro servire, an, illo dejecto, alterum in ejus locum sufficere. Unde intelligit quisque ordini sociali optime divinam Providentiam consuluisse, modumque facilem, tutum ac suavem populis fuisse ab illa præbitum, quo sese a principis tyrannide sine turbis, sine tumultu, sine cædibus liberent.

Hunc modum, qui ubi de principe independente agitur, unus est legitimus, rationi et legi naturali consonus, si, spreta eccle-

siastica potestate, populi recusent, tota res per vim brutam inter populos et principes eorumque ministros semper transigetur; atque humanæ societates publicæ inter principum tyrannidem et democraticam licentiam sive anarchiam perpetuo et necessario fluctuabunt. Itaque, sociali ordine sic perturbato, rerumque omnium spiritualium Judice, divinitus constituto, a principibus æque ac populis in re politica rejecto, impietati et stultitiæ suæ tribuere unice perniciem suam debebunt et principes qui a populo pulsi fuerint, et populi qui a principibus suis crudeliter opprimantur.

En paucis verbis expositam veterem doctrinam tam perspicuam, tam æquam, tam utilem generi humano ac necessariam, de summo Ecclesiæ jure, quo principes illa potest aliquando indirecte *deponere*, subditosque a juramento fidelitatis exsolvere; adversus quam nihilominus cum Protestantibus hæreticis, cum Pseudo-politicis, cum Gallicanis sophistis Bossuetus omnibus suis viribus decertavit. Evidens profecto est, verissimam ac certissimam hanc Ecclesiæ, seu Romani Pontificis, in principes potestatem nihil aliud esse quam partem quamdam illius supremi juris, quod Ecclesiæ et Petro Christus, Homo-Deus, in res omnes spirituales dedit. Quapropter hanc Romano Pontifici et Ecclesiæ potestatem, judicandi de principum regimine, denegans Bossuetus, alterutrum ex his duobus eligat cum suis necesse est: scilicet vel neget oportet Ecclesiæ et Romano Pontifici fuisse a Christo Domino traditam plenam rerum spiritualium potestatem, et sic protestanticæ hæresi subscriberet; vel neget justam aut iniquam secularis potestatis possessionem, justum aut tyrannicum ejusdem usum pertinere ullo pacto ad moralitatem, ad moralem ordinem, ac proinde ad res spirituales, et sic pessimum machiavellismum induceret.

Eam doctrinam breviter his verbis explicat Nicolaus I, Summus Pontifex, in epistola quadam ad Adventium, Metensem Episcopum (*a*) : « Illud vero quod dicitis, ait Pontifex, regibus et principibus vos esse subjectos eo quod dicat Apostolus : *sive regi quasi præcellenti*, placet. Verumtamen videte utrum reges isti et principes, quibus vos subjectos esse dicitis, veraciter reges et principes sint. Videte si primum se bene regant, deinde subditum populum. Nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Videte

(*a*) Apud Labbe. *Concil.* t. IX, edit. venet., col. 1505.

si jure principiantur : alioquin potius tyranni credendi sunt, quam reges habendi, quibus magis resistere et ex adverso ascendere quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi et non prælati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo regi quasi præcellenti, virtutibus scilicet et non vitiis, subditi estote, sed, sicut Apostolus ait, propter Deum et non contra Deum ».

Multas contra certissimam hanc doctrinam ineptias nugasque ex protestanticis auctoribus collectas Bossuetus objicit, quarum maximam futilitatem demonstravit nuper Rohrbacher, vir doctissimus (a), multa etiam coarguens in quibus sibi ipse Bossuetus miserrime contradicit.

Cæterum quod turpes isti principum assentatores præcipuum in hac re judicant, est sane frivolum ac nullius momenti. Idcirco enim potissimum negant Ecclesiæ summoque Pontifici potestatem esse ullam in secularem principum auctoritatem, quia principum securitati existimant talem potestatem Ecclesiæ concessam vehementer adversari. At vero 1°, si Christus Dominus hanc potestatem Ecclesiæ tradidit, quidquid Bossuetus in gratiam principum cum Protestantibus et Pseudo-Politicis comminiscatur, nulla poterit arte aut vi hæc potestas Ecclesiæ Romanoque Protarchæ surripi aut eripi. — 2° Protestantica seu pagana, quod in idem recidit, loquendi et agendi hæc ratio est, qua christianum quoddam dogma ideo negatur, quia seculi principibus nonnullis illud non arridet. — 3° Quamvis reges ac principes nullum habeant civile dominium in bona subditorum, fatemur omnes indirectam potestatem in subditorum bona competere hoc ipso quod, si leges temporalis ordinis violemus, possunt nos, ad justam criminis pœnam, fortunis nostris spoliare. Hoc autem jure multo facilius possunt principes abuti cum civium multorum pernicie; tum quia principes seculares maximam vim materialem in promptu habent, qua celeriter ac facile quidquid libuerit exsequantur, ac renitentes omnes opprimant; tum etiam quia multo minores causæ suppetunt cur seculares principes ea prudentia, justitia, misericordia ornatos credamus, quæ in Summo Pontifice atque Episcopis florere sponte sua debent, ac reipsa plerumque florent : nam ecclesiastica horum potestas nulla fulcitur vi ma-

(a) *Des rapports naturels entre les deux puissances*, etc. Paris, Outhenin-Chalandre, 1838.

teriali, sed morali tantum viget vi, quam iis præbet publica notitia boni juris, prudentiæ ac modestiæ, quibus in potestate sua spirituali exercenda hi constanter utantur. Quapropter sua ipsius natura suisque omnibus utilitatibus potestas ecclesiastica adducitur in veram necessitatem suis juribus bene, prudenter ac moderate utendi, ac proinde in veram iisdem abutendi impotentiam : quæ profecto nequeunt de seculari potestate affirmari. Si ergo singulis et omnibus principibus illud jus tam periculosum, quo facillime abuti possunt, quo sæpissime abusi sunt, in privatorum fortunas indirectum concedimus, cur eam potestatem indirectam in principum auctoritatem secularem Ecclesiæ Summoque Pontifici denegabimus, quum ea sit et divinitus concessa, et rerum temporalium ordini necessaria, et ipsis principibus utilis, et nullo incitamento moveantur Pontifices ut illa abutantur? — 4° Si secularis principum auctoritas non est ecclesiasticæ potestati subjecta, nihil ergo illa ad moralitatem pertinet; possunt ergo populi illam principibus eripere pro lubitu, quin ordinem moralem violent, quin peccent. In absolutam scilicet anarchiam nos conjicit error bossueticus, ut superius ostendimus (1354, prob. 5°); atque, ut nequeat Ecclesia principem ullum vel scelestissimum deponere, quod rarissime accideret, omnes principes vel optimos damus amentiæ et furori seditiosorum quorumlibet hominum, qui, plebe decepta et corrupta, illos non e solio tantum dejicient, sed ad patibulum etiam cum innocentissimis eorum familiis trahent. — 5° Quamdiu vetus doctrina de Ecclesiæ potestate ad principes scelestos, si opus fuerit, etiam deponendos, in tota Europa viguit, tutissima pace, firmissima populorum suorum fidelitate ac sincerissimo amore principes omnes christiani sunt constanter fruiti, nunquam regia majestas fuit a subditis spreta, conculcata; nunquam principes ipsi a subditis in judicium suum vocati, e patrio solo per motus repentinos exturbati, capitali supplicio cum omnibus sceleris et infamiæ insignibus affecti. At, ex quo protestanticus et bossueticus error invaluit, qua pace, qua securitate principes fruantur, omnes videmus.

Coroll. 2. — Summum illud Ecclesiæ jus in secularem principum potestatem sub respectu religionis et moralitatis, quo jure illa possit principes, si opus fuerit, etiam deponere, agnovere semper et professi constanter sunt non solum omnes christiani populi, sed ipsi etiam reges ac principes, quorum multi etiam in propria sua causa sunt confessi ob hæresim vel schisma, quibus

nominibus indicabatur etiam obstinata in ecclesiasticam auctoritatem rebellio, jure utique se posse a Pontifice vel a concilio deponi. Sic, *v. g.*, civitas Parisiensis anno 1589 ad Sixtum IV, Summum Pontificem, scribens, rogat, ut a juramento fidelitatis erga Henricum III eam auctoritate Apostolica exsolvat, justumque declaret bellum a gallica natione in eumdem tamquam religionis publicæque libertatis oppressorem susceptum (*a*). Sic sequenti anno 1590 editum est decretum Facultatis Parisiensis, quo variæ propositiones Henrico principi hæretico faventes damnatæ sunt. « videlicet, ut narrat Spondanus (*b*), Henricum Borbonium Regis titulo insigniri posse aut debere; tuta conscientia ei adhærere ac decimas et vectigalia persolvere licere; regem sub conditione, modo sit catholicus, haberi posse; hæreticum, nedum relapsum et extra Ecclesiæ communionem positum, in Gallia jus regnandi habere posse; Pontificibus Romanis jus non esse Regem excommunicare; licere, immo necesse esse cum Bearnensi et hæreticis fœdus icere : has et hujusmodi enuntiationes damnantes, vetuerunt ne quis contra reverentiam Apostolicæ Sedi et Cardinali Legato debitam loqueretur, aut sanctæ Unioni detraheret : qui contra facerent, eos ut Ecclesiæ Dei perniciosos, et tamquam contagiosa membra de corpore ejus resecandos censuerunt. Quæ a Legato probata, ab Episcopis et Curionibus etiam juramento ac subscriptione confirmata fuere et publicata. » Aliud simile decretum multo sævius eodem anno in eumdem Henricum ab eadem Facultate ad omnes Galliarum civitates missum, et ubique magna assensione probatum est (*c*). Sic sanctus Gregorius Magnus pœnam depositionis comminatur omnibus et singulis *regibus, sacerdotibus, personisque secularibus* qui contra Apostolicæ Constitutionis paginam venire tentaverint (*d*). Sic sanctus Gregorius VII optimo jure deposuit Henricum IV, Germaniæ Regem, quidquid contra per incredibilem temeritatem deblateret Bossuetus cum Protestantibus et Pseudo-Politicis (*e*). Sic plura Concilia œcumenica principes hæreticis faventes seculari omni potestate exspoliant, eorum subditos juramento fidelitatis exsolvunt, Lateranense tertium sub Alexandro III, Lateranense quartum sub Innocentio III, Lugdunense I sub Innocentio IV, qui, sacro præsente et cooperante Concilio, Fredericum II deposuit, Constan-

(*a*) Cf. Dulacum, *L'Église et l'État*, tom. II, p. 333. — (*b*) Ann. 1590, n. 3. — (*c*) *Ibid.*, n. 9. — (*d*) Cf. Dulacum, *loç. cit.*, p. 210.
(*e*) Cf. Rhorbacri *Histor. eccles.* tom. XIV, p. 344 et seqq.

tiense denique Gallicanis acceptissimum; a quo in quintadecima sessione pœna carceris duorum mensium et excommunicationis statuta est per *Decretum silentii* contra omnes deliberationum perturbatores, *etiamsi imperiali vel regali dignitate* illi *præfulgeant;* a quo in sessione decima septima decernitur omni honore et dignitate, officio, beneficio ecclesiastico vel seculari esse ipso facto privatum eum, quicunque ille sit, sive rex, sive cardinalis, patriarcha, archiepiscopus, episcopus, sive dux, princeps, comes, marchio, etc., qui impediret, turbaret, vexaret quomodocunque Sigismundum imperatorem vel aliquem ex ejus hominibus in itinere quod suscipiebat ad deliberandum de pace Ecclesiæ cum rege Aragoniæ; a quo plures aliæ sententiæ excommunicationis et depositionis latæ sunt contra varios principes singillatim et contra omnes universe principes quarumdam legum violatores in sessionibus vigesima, trigesima prima, trigesima septima, trigesima nona; quo denique approbante Concilio, Martinus V, Summus Pontifex, præcipit Episcopis et Inquisitoribus, ut sectatores et patronos Vicleffi et Joannis Hus inquirant et puniant, *quacunque* illi *dignitate præfulgeant*, etiam *regali, reginali ducali.* Quæ omnia ab his aliisque Conciliis et Pontificibus decreta et constituta sunt, toto illo tot seculorum decursu, scientibus, non raro præsentibus, non reclamantibus, quin imo palam approbantibus regibus ac principibus, qui quidem et his decretis obtemperabant, et de legitima hac Ecclesiæ potestate nullam unquam dubitationem objecerunt (*a*).

Neque est necesse singula ejusmodi exempla commemorare, quum doctrina a nobis nuper explicata, Cardinali Duperronio, viro doctissimo et gravissimo, coram Statibus Generalibus annorum 1614 et 1615 testante, sit Ecclesiæ Universalis doctrina, in omnibus scholis catholicis perpetuo tradita (*b*).

(*a*) Cf. quoad hæc omnia Dulacum, *L'Église et l'État*, t. II, lib. IV, cap. 5.

(*b*) Quum Tertius Status peteret ut Statibus Generalibus sanciretur, tamquam regni lex fundamentalis, absoluta hæc regiæ potestatis independentia, hæc inter alia Duperronius, aliorum duorum Statuum nomine, pro concione disseruit : « Ce n'est point moy qui parle en cette cause, mais tout le corps de l'Ordre ecclésiastique, et tout celuy de la noblesse, qui lui a donné adjonction, et a député ces douze seigneurs pris des douze gouvernements du royaume, afin d'autoriser mes paroles de leur présence et témoigner en cette occasion la mesme dévotion que leurs prédécesseurs ont portée à l'Eglise... Votre article contient la négative, à sçavoir qu'il n'y a aucun cas auquel les sujets puissent être absous du serment de fidélité, qu'ils ont fait à leur prince ; et au contraire toutes les autres parties de l'Eglise catholique, depuis que les écoles de théolo-

Quamobrem inexcusabilis est eorum catholicorum temeritas, qui cum Bossueto, per audaciam plane protestanticam, non sunt veriti Summos Pontifices condemnare, eo quod suprema hac potestate in principes seculares aliquando usi fuerint. Dum enim Romanos Pontifices unos arguere se existimant, quod intolerandæ jam arrogantiæ et inverecundiæ est, Ecclesiam universam tamquam erroris magistram, et sceleris consciam et sociam omnino damnant; quod, omnibus fatentibus, est hæreticæ improbitatis.

Quis autem primus machiavellicum et paganum istum errorem de absoluta secularis potestatis sub omni respectu independentia solemniter sit professus, docet idem Cardinalis Duperronius, quum in eadem ad Status Generales oratione affirmat *ab Anglia illum in Galliam transisse* (a) : ab Anglia scilicet ubi Henricus VIII, turpissimæ memoriæ, quum a Romano Pontifice nequisset obtinere ut fœda et publica illius adulteria solemni decreto approbaret, ob hanc unam causam se suumque regnum spirituali ejus auctoritati subduxit, seque principem secularem declaravit ab omni alia potestate quacunque in terris independentem, adactis etiam omnibus suis subditis, ut hanc ejus absolutam independentiam juramento profiterentur. Inde machiavellicum et paganum errorem ad aliorum principum aulas servilis adulatio simul et protestantica turbulentia importarunt; quem errorem demum imprudentia quorumdam animique imbecillitas in Clerum ipsum Gallicanum per famosam illam triginta episcoporum declarationem invexit.

Coroll. 3. — Hæc tria postremum in tota hac re diligenter notentur:

I. Essentialis illa subordinatio potestatis secularis sub ecclesiastica in iis quæ ad moralitatem pertinent, et essentiale illud jus

gie y ont esté instituées jusqu'à la venue de Calvin, tiennent l'affirmative, à sçavoir que, etc. Et non-seulement toutes les autres parties de l'Eglise catholique, mais mesme tous les docteurs qui ont esté en France depuis que les écoles de théologie y ont esté instituées, ont tenu l'affirmative, à sçavoir que, etc. » (Apud Dulacum jam cit., t. II, p. 320 et seqq.).

(a) De juramento quo Tertius Status volebat ab unoquoque firmari professionem doctrinæ negantis posse principes ab Ecclesia deponi, hæc amplissimus Cardinalis, e superiore loco Tertium eumdem Statum alloquens, disseruit : « Ce serment est comme le monstre d'Horace, qui a la teste de belle femme, c'est-à-dire le prétexte du service et de la sûreté des roys ; mais il a la queue d'un poisson, c'est-à-dire la queue d'un schisme et d'une division de religion. Et à la vérité il peut bien être dit avoir une queue de poisson, puisqu'il est venu par mer et à la nage d'Angleterre » (Apud Dulac. *ibid.*, p. 322).

Ecclesiæ ad principes judicandos ac puniendos vel per ipsam, si opus fuerit, indirectam depositionem, nullo pacto nocent legitimæ principum independentiæ. Nam, illa subordinatione, illo jure admissis, adhuc secularis potestas est *in suo ordine*, temporali scilicet, omnino independens : et nemo unquam somniavit, principes, in iis quæ sunt mere temporalia, a potestate ecclesiastica ullo modo pendere. Sunt igitur principes, ex quacunque vera doctrina, vere et proprie et plene independentes *in suo ordine*. Nullo modo ab Ecclesia dependent in modo cogendi ac ducendi exercitus, tributorum exigendorum, artium fovendarum, commercia protendendi et similium, quandiu hæc et alia quælibet ad moralitatem nihil attinent, nempe sunt mere temporalia. At hoc ipso quod principes nullam habent rerum spiritualium potestatem, statim ac in temporalibus agitur de justo vel injusto, statim ac quæritur an princeps jus regnandi universim, aut aliquid in particulari præcipiendi habeat necne, tunc in spiritualibus ac moralibus versamur, resque ad eam potestatem cui spiritualium cura divinitus commissa est, evidenter pertinet. Quod si ea quæ in temporalibus atque in ipsa seculari potestate moralia sunt ac spiritualia subtrahimus ecclesiasticæ potestati, ut ea principibus tribuamus, independentiam potestatis spiritualis manifeste evertimus. Ut igitur utraque hæc potestas sit in sua natura, in suo ordine independens, necesse est temporalia et secularem ipsam auctoritatem esse quoad moralem eorum respectum ecclesiasticæ potestati subdita ; ac proinde subordinationem illam secularis potestatis sub ecclesiastica in moralibus asserere nihil aliud est quam plenam utriusque potestatis, secularis et ecclesiasticæ independentiam, in respectivo uniuscujusque ordine tueri.

II. Subordinatio illa, de qua disputamus, affirmatur et probatur ab adversariis, dum illam hi evertere conantur. Nam secularem potestatem esse prorsus independentem iis argumentis ostendunt, quod nempe ita Christus Dominus docuerit, ita Vetus et Novum Testamentum, ita Pontifices, ita Concilia, ita Patres, ita Conventus triginta Episcoporum cum Bossueto tradiderint. Jam vero vel has spiritualis ordinis auctoritates ais esse judices competentes jurium civilium ac temporalium, et jam tu ipse affirmas eam dependentiam temporalis a spirituali quam oppugnas : vel jura temporalis potestatis nequaquam a judicio auctoritatum spiritualium pendere asseris ; et tua plane absurda et nulla argumentatio est. Ergo misere hallucinantur et se ipsos oppugnant

tum Bossuetus in 1° declarationis articulo, tum Pseudo-Politici et Protestantes, dum eam secularis potestatis ab ecclesiastica dependentiam inficiantur, adductis auctoritatis spiritualis testimoniis.

III. Bossueticum dogma de absoluta secularis potestatis independentia non solum est, ut hactenus demonstravimus, philosophice falsum et absurdum, Ecclesiæ, quam principum servam facit, injuriosum ac perniciosum, sed est etiam *antisociale* et *antipoliticum*; quia hinc machiavellismum in principe, inde anarchiam et seditiones in populo gignit, ut vidimus in ultima positione confirmanda. Itaque, dum principes catholicos Gallicani et Pseudo-Politici et Protestantes pessimis artibus adulantur, ut, æternis in eorum animos injectis suspicionibus ac timoribus, ab ecclesiastica illos potestate avertant, hos ipsos turpes assentatores, qui se unos regiæ potestatis regiorumque jurium sinceros ac fideles defensores esse jactitant, manifestis argumentis convincimus esse regiæ potestatis regiorumque jurium hostes maxime omnium periculosos; quod evidenter probant tum quæ diximus argum. 3°, 4° et 5° (1354), tum luculentissima trium postremorum seculorum experientia.

Huc ergo tandem reciderunt tot tamque impudentes Gallicanorum in Romanos Pontifices, in *Ultramontanos* diatribæ, ad principis gratiam et beneficia captanda conscriptæ, ut fidei catholicæ simul et regiæ potestatis firmitatem apud suos populares vehementer labefactarent!

CAPUT II.

De præcipuis secularis potestatis erga Ecclesiam officiis.

ARTICULUS I.

De principum secularium officiis erga Ecclesiam negativis.

1356. Notandum. — Duo sunt in superiore capite constituta, quæ totam relationum secularem inter et ecclesiasticam potesta-

tem intercedentium naturam clarissime determinant, scilicet : 1° distinctio et independentia absoluta potestatis ecclesiasticæ a seculari ; 2° subordinatio potestatis secularis sub ecclesiastica in iis omnibus quæ ad religionem vel moralitatem pertinent. Jam ex his duobus omnia prorsus officia principum erga Ecclesiam sponte sua profluunt. Etenim, si ecclesiastica potestas est omnino ab seculari distincta et independens, nequit ergo princeps ullam sibi in res sacras vel in moralia auctoritatem vindicare ; nequit sese in rebus sacris aut moralibus tractandis ac definiendis ullo pacto immiscere. Item, si secularis potestas est essentialiter ecclesiasticæ subordinata, quum utraque potestas in idem subjectum, nempe in hominum easdem multitudines, agat, quumque pravæ hominum cupidines per vim materialem sæpe Ecclesiam materiali vi carentem turbent ac divexent, debet evidenter potestas secularis, materiali vi ineluctabili pollens, Ecclesiam contra scelestissimas ejusmodi aggressiones defendere, eamque perpetuo in externæ suæ potentiæ sinu fovere ac protegere. Denique, si essentialis hæc inter secularem et ecclesiasticam potestatem subordinatio jure divino constat, si externa Ecclesiæ per materialem secularis potestatis vim protectio contra materiales hostium aggressiones est utrique societati, ecclesiasticæ et seculari, prorsus necessaria, absurda igitur, impia et religioni simul ac civili societati perniciosa est illa absoluta *separatio status et ecclesiæ*, quam perditi homines primum postulavere, quam deinde improvidi quidam Christiani, per incredibilem mentis cæcitatem, exoptant ac dilaudant. Verum singula hæc, quum sint plane gravissimi momenti, paulo fusius duobus articulis explicabimus.

1357. Pos. 670a. — Principibus secularibus summo studio cavendum est, ne rebus sacris se ullo modo immisceant.

Notandum. — Dicitur aliquis sese negotiis quibusdam *immiscere*, quotiescunque potestatem vel curam aliquam ad illa gerenda vel dirigenda sibi neutiquam competentem proprio sibi arbitratu præter jus fasque assumit.

Prob. pos. facillime ex dictis in capite superiore. I. Rebus sacris sese immiscendo principes seculares legem divinam aperte violant, qua lege potestas ecclesiastica fuit ab Homine-Deo constituta prorsus independens et libera. Etenim, hoc ipso quod præter jus, id est auctoritate ecclesiastica invita, curam vel potestatem aliquam rerum sacrarum sibi princeps secularis attribuit, superiorem auctoritate ecclesiastica in rebus

ipsis sacris palam se facto declarat, qui possit videlicet Ecclesiam invitam obligare vel cogere. Ergo sacris sese immiscens princeps secularis libertatem atque independentiam Ecclesiæ divinitus constitutam violat, ac proinde Dei sese atque Ecclesiæ publicum hostem declarat. Ergo, etc.

II. Sacrilega principum temeritas, per quam ii sacris sese immiscere audeant, suapte natura tendit, duabus potissimum de causis, ad religionem in eorum populis corrumpendam et labefactandam. 1° Scilicet, quia quum sacrorum potestatem et curam sibi sceleste attribuunt, non profecto ex religionis studio, non in Dei obsequium id præstant, sed prava aliqua libidine permoti, aut perditorum hominum, præsertim hæreticorum, fraudibus decepti. Si enim religionis Deique sincero amore ducerentur, Ecclesiæ libertatem illiusque divina jura omnia vellent intacta conservari. Atqui a principibus ex hujusmodi causis sacra curantibus plurima juberi, fieri, permitti necesse est, quæ puræ castæque religioni noxia et perniciosa futura sint. Ex mala enim causa nequaquam enasci boni effectus possunt. — 2° Quia, quocunque tandem consilio moveantur, inepti omnino sunt ad rem ecclesiasticam bene gerendam; quin imo ad eam in suis regionibus perturbandam et evertendam, si proprio illam arbitrio, invita Ecclesia, gubernare velint, sunt solummodo idonei; tum quia carent *spiritu* ecclesiastico, quem diuturna difficilique educatione suis clericis Ecclesia indit; tum quia carent *scientia* ecclesiastica, seu theoretica seu practica; tum quia carent *internis subsidiis gratiæ* cœlestis quæ solis clericis rite ordinatis Deus ad ejus Ecclesiam gubernandam concedit. Sine his autem gratiæ internis adjumentis nequeunt homines apte rem ecclesiasticam gerere. Neque enim humana sapientia, vel humanis artibus aut viribus Ecclesia et primum fundata est, et hodie constat, sed perpetua Spiritus Sancti ope, quæ non secularibus principibus, sed Apostolis eorumque successoribus a Christo Domino promissa est dicente: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi » (*a*); et alibi: « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum » (*b*). Ergo tyrannica hæc principum in res sacras invasio religionem ipsam in eorum populis cum Ecclesiæ libertate debet perimere. Ergo, etc.

(*a*) Matth. XXVIII, 20. — (*b*) Joan. XIV, 16.

III. Jam superius (1323, prob. II) probavimus, legum observationem et obsequium erga principes, sublato religionis sincero cultu, consistere diu in humanis societatibus non posse. Ergo nefaria principum sacris sese immiscentium tyrannis, hoc ipso quod religionem corrumpit apud eorum populos ac pessumdat, publicam etiam subditorum pacem et principis ipsius securitatem evertit, excitatis per divinæ religionis contemptum pravis quibuscunque libidinibus, quibus homines ad scelestissima quæque audenda impelluntur.

Accedit quod, principe seculari ad sacra moderanda tyrannice aggrediente, reluctabuntur sinceri omnes atque intrepidi sanæ religionis amatores; repugnabunt magna vi sacerdotes ac pontifices; fulminabit Christi Vicarius, Pontifex Universalis. Inde inter cives dissidia, motus, odia, tumultus, bella intestina, totius rei publicæ perturbatio et virium socialium dispersio; ita ut miserrimam gentem tanta principis amentia quassatam superveniens quilibet hostis facile subigat, prosternat, omnibus civilis culturæ ornamentis et adminiculis exspoliet. Lugubre nationum olim florentissimarum testimonium præsto est, præsertim orientalium. Confer quæ superius breviter de hac re tetigimus, allatis Baronii verbis (1353, prob. 1ª pars, 6º). Ergo, etc.

1358. Pos. 671ª. — Omnis princeps gravi officio tenetur pravam quamcunque civilis aut politici regiminis formam a suis populis prohibere.

Prob. — *Prava* dicitur et est ea civilis aut politici regiminis forma quælibet, quæ *suapte natura* tendit ad civilem aut politicum aut moralem ordinem perturbandum. Ergo, quum omnis princeps officio gravissimo teneatur omnia propulsare atque ejicere quæ civilem aut politicum aut moralem ordinem apud suos turbare possunt, pari etiam officio tenetur pravam omnem civilis aut politici regiminis formam a suo Statu proh

1359. Coroll. 1. — Sedulo notentur duo, quorum alterum in postrema positione manifeste supponimus, alterum jam retro a nobis firmiter constitutum, iterum hoc loco, et vehementius, studiosæ juventutis animis inculcatum volumus. Prius illud est, aliquam civilis aut politici regiminis formam esse posse pravam suapte natura et perniciosam. Posterius vero est, quod quarto libro, cap. VI, art. 5, explicavimus, neotericam nempe illam regiminis formam, quæ *constitutionalis* vel *parlamentaris* solet appellari, pravam essentialiter esse ac perniciosam utrique ordini,

civili et politico, præter quam quod christianæ religioni directe et absolute repugnat. In qua utraque re non paucos nec mediocres viros dissentientes habemus : atque hoc ipso luctuosior ac societati seculari simul et Ecclesiæ nocentior *libertina* hæc doctrina facta est, quando non rudium, non improborum modo, sed doctorum etiam hominum et religiosorum, imo et Clericorum et Regularium mentes et pectora, miserrimo quodam hujus ætatis fato, illa pervasit ; qui plane arbitrantur palamque confirmant, 1° nullam civilis aut politici regiminis formam pravam et periculosam natura sua esse posse ; 2° *liberalismum* civilem ac politicum, id est regimen quod vocant constitutionale seu *parlementare*, quale apud nos nuper vigebat, apud aliquas gentes adhuc obtinet, *per se* minime malum esse, minimeque per se noxium, quin imo utilitates non leves percipi ex illo posse, modo recte instituatur, prudenterque ad opus ipsum applicetur.

Inter plurimos *libertini regiminis* patronos, præter Carolum Montalembertum Comitem, virum egregium, qui sua pro devicto feliciter apud nos pulsoque liberalismo flagrantia studia et desideria edito libro vulgavit, unum alium nominabimus, Ludovicum Carnæum, e cujus disputatione quadam, *De Ecclesia et de Statu seculari per seculum XIX* (*a*), libertinos aliquot errores huc pertinentes et christianæ doctrinæ christianisque moribus vehementer repugnantes partim hoc, partim sequente articulo obiter perstringemus.

Libertinum autem regimen, *libertinos* errores dicimus, imitati catholicos Italos, qui hoc nomine peridoneo regimen illud constitutionale a nobis quarto libro explosum appellare jam ab aliquot annis consueverunt (*b*).

Jam vero, quod attinet ad hunc locum, generaliter in ea disputatione Carnæus affirmat christianæ religionis statum a temporum vicissitudinibus nullo pacto pendere (*c*) ; christianismi nihil interesse, quænam leges in ordine temporali vigeant, quodnam civilis culturæ genus inter homines propagetur (*d*) ; nihil

(*a*) *L'Eglise et l'Etat au XIXe siècle*, par L. de Carné (le *Correspondant*, 1853, juillet et août.)

(*b*) Cf. *la Civiltà cattolica*, *l'Armonia*, *la Campana*, etc., passim.

(*c*) « La religion, qui traverse les temps sans en dépendre ». (Carnæus, *loc. cit.*, juillet, p. 482.)

(*d*) « S'il a été donné au christianisme d'embrasser tous les siècles dans le cercle dont il est le centre, c'est qu'il ne s'inquiète pas plus des législations qui se transforment que des civilisations qui tombent ». (*Ibid.*)

religioni curæ esse, quomodo illam principes seculares habeant (*a*); christianismo bene ac feliciter sub quocunque regimine, in quocunque civilis culturæ statu esse (*b*): tum, de libertino regimine loquens, optimum illud Ecclesiæque utilissimum tota illa disputatione deprædicat; hoc unum regimen liberalisticum ait ab Ecclesia fuisse postulatum in Belgio (*c*); hoc unum adhuc ab eadem postulari in Germania et in Russia (*d*); per hoc unum eam in Anglia nunc temporis florere (*e*); *libertatem civilem ac religiosam*, scilicet regimen *libertinum*, fuisse a se suisque, anno 1830, magno gaudio salutatum (*f*); in hoc libertino regimine validiora fuisse a catholicis ad religionem tutandam arma reperta (*g*); calumniosam esse et ab Ecclesiæ hostibus propagatam eam opinionem, qua creditur Ecclesia liberalisticum regimen respuere ac reprobare (*h*); hoc regimen plurimum Ecclesiæ catholicæ prodesse (*i*); catholicos quosque sub Philippo rege eidem regimini libertino vehementer adhæsisse (*j*); et alia ejusmodi permulta.

Quæ possunt, ni fallor, ad quinque istas positiones omnia revocari :

1ª Regimen libertinum nequaquam est per se malum ;

2ª Erga omnes regiminis formas Ecclesia se indifferenter habet ;

3ª Regimen libertinum Ecclesia non respuit ;

(*a*) « La religion se préoccupe peu de la situation qui lui est faite par les puissances temporelles... » (*L'Église et l'État*, pag. 483.)

(*b*) « Le catholicisme... prospère sous toutes les civilisations et sous les gouvernements les plus contraires » (*Ibid*. p. 484).

(*c*) « En Belgique, où elle aurait pu aspirer au pouvoir, elle n'a demandé que la liberté » (*Ibid*.).

(*d*) « C'est la liberté qu'elle implore chaque jour de l'autocratie grecque et du piétisme germanique » (*Ibid*.).

(*e*) « La religion catholique se relève et fleurit en Angleterre par le seul bénéfice du droit commun » (*Ibid*. p. 483).

(*f*) « Sur la bannière du *Correspondant*... on lut pour la première fois cette devise : *Liberté civile et religieuse* » (*Ibid*. p. 494).

(*g*) « Après 1830 les catholiques... trouvaient, dans les institutions, des armes plus puissantes » (*Ibid*. p. 495).

(*h*) « Les catholiques n'ignoraient pas, d'ailleurs, qu'il existait dans les deux mondes une croyance soigneusement attisée par nos ennemis, et qui consistait à présenter notre foi comme incompatible avec le jeu régulier d'institutions représentatives » (*Ibid*. p. 498).

(*i*) « Montrer qu'en fait, l'extension de ces garanties par toute l'Europe profiterait surtout à la communion romaine, etc. » (*Ibid*.).

(*j*) « Pendant que l'opinion catholique adhérait énergiquement aux institutions des pays, etc. » (*Ibid*.).

4° Hæc regiminis forma est Ecclesiæ utilis;

5° Eamdem Ecclesia sibi postulavit atque etiamnum in quibusdam regionibus postulat.

Atqui has omnes positiones esse prorsus falsas et christianæ rei valde periculosas probant evidenter tum quæ in libro IV contra libertinum regimen disputavimus, tum Ecclesiæ catholicæ judicium infallibile, tum luculentum experientiæ testimonium.

I. *Regimen libertinum est per se essentialiter pravum.*

Recolenda hic primum est libertini seu *constitutionalis*, ut aiunt, regiminis definitio in eodem libro IV tradita. Ex ejus namque natura, quam breviter et clare definitio explicat, essentialis ejusdem nequitia statim intelligitur. *Liberale* nimirum, seu *constitutionale*, seu *parlamentare*, dicitur civile et politicum illud regimen, in quo populus universus *conatur* et *censetur* se ipse gubernare per quosdam viros ab ipso electos ad voluntatem illius tamquam supremam regulam repræsentandam et in omnibus sectandam (517).

Jam 1°, quoniam hi *deputati* nequeunt voluntatem populi universi repræsentare et sectari, nisi populus suam voluntatem publice manifestet, idcirco universæ populi multitudini est absolute necessaria in hoc regimine plena loquendi et scribendi de rebus civilibus et politicis libertas. Quare regimini libertino est *essentialiter* necessaria plena *typographica libertas* (*liberté de la presse*) ; et jure ac merito censetur liberalisticum regimen everti, simul atque alicui censuræ typographia subjicitur.

2° Nequeunt profecto omnes et singuli cives libertate hac typographica per se uti ad sententiam suam de re publica declarandam. Idcirco ephemerides, quantum fieri potest, multiplicantur, quarum quotidiana garrulitas, plerumque stolida et absurda, *censetur* voluntatem populi manifestare.

3° Sicut cives omnes nequeunt, ob ingeniorum et studiorum diversitatem, in eamdem sententiam de unaquaque re civili aut politica, convenire, ita nec fieri potest, ut idem sit omnium ephemeridum in unaquaque controversia judicium. Censetur ergo e populi voluntate illud esse quod *plures* ephemerides, ac deinde *plures* deputati voluerint.

Ex quibus fit manifestum libertinam seu constitutionalem regiminis formam jure appellari et esse *regnum libertatis typographicæ absolutæ, regnum ephemeridum, regnum opinionis, regnum pluralitatis.*

Atqui hanc regiminis formam demonstravimus jam libro IV esse totam protestantico veneno imbutam (521), evidenter absurdam (*ibid.*), christianæ veritati essentialiter inimicam (522, I et II); eamdem apertissime probavimus non jure sed bruta vi totam inniti (*ib.* III); conscientiam publicam ab ea destrui prorsus et impossibilem fieri (*ib.* V); eam necessario labi in civilem et politicum *atheismum* (525); auctoritatem publicam omnem eadem perimi (527); unitati et concordiæ civili essentialiter eam adversari (529); ad materialisticum unius voluptatis cultum eadem cives adduci (531); socialismum et communismum ex illa oriri necessario (532, 4°); socialem justitiam realem nullam sub hoc regimine esse posse (533); jus seditionis per illud sanciri (535); publicam societatem in statu belli civilis perpetui, tamquam statu normali, per illud constitui (536); tributis immodicis per illud cives opprimi (537); in tyrannidem illud necessario vergere (540); politicam civium corruptionem eodem gigni (542); omnia principia honestatis publicæ et privatæ illo subverti (544); contradictionibus plurimis, turpissimis et maxime perniciosis illud scatere (546).

Ergo, quidquid Carnæus aliique liberalisticæ anarchiæ vel tyrannidis boni honestique amatores in contrarium affirment, nemini prudenter judicanti potest esse dubium quin regimen libertinum sit suapte natura pravum ac perniciosum.

II. *Nequaquam Ecclesia erga omnes regiminis formas se indifferenter habet, vel habere potest.*

Nam 1°, quum forma liberalistica sit essentialiter prava et perniciosa in triplici ordine, civili, morali et religioso, non potest indifferenti erga illam animo esse Ecclesia, quæ omne malum necessario rejicit atque oppugnat.

2° Regimen libertinum Ecclesia Universalis explicite et authentice improbavit ac rejecit, saltem indirecte, ut statim n. III° sumus probaturi.

III. *Regiminis formam liberalisticam Ecclesia explicite et authentice reprobavit ac rejecit, saltem indirecte.*

Etenim 1° liberalisticum regimen totum innititur plena *typographica libertate*, ut nuper ostendimus (1359, I, 1°): quia essentialiter hoc regimen est *regnum publicæ opinionis*, essentialiter est *dominatus pluralitatis civium;* ita ut res publica *debeat*, *censeatur* et *dicatur* non aliter geri, quam velit *publica opinio* et *pluralitas*, et deputati *debeant*, *censeantur* et *dicantur* nihil aliud a

versia ad mores et religionem pertineat, ac proinde nullum sit populo jus ad eam rem publice discutiendam. Ergo libertas typographica pro civilibus et politicis rebus nequit consistere, si legalis hæc rerum moralium et religiosarum fiat exceptio; ac preinde, ut vera sit, debet nulla prorsus limitatione in ullo ordine cohiberi. — 4. Constat, ut jam sæpius notavimus, libertatem typographicam, ubicunque fuit regimen liberalisticum institutum, plenam et illimitatam fuisse in quocunque ordine libertatem inductam, etiam ubi *Constitutio* seu *Statutum* solemni declaratione confirmabat religionem catholicam unicam permanere publicam religionem *Status*. Unde intelligitur ex natura ipsa regiminis libertini necessario fieri, ut, quidquid in contrarium Constitutio ipsa sanciverit, libertas typographica, etiam in ordine morali et religioso, plena et illimitata debeat populo concedi.

Ergo certum hoc et exploratum est, ad liberalistici regiminis essentiam pertinere libertatem typographicam in quocunque ordine, etiam morali et religioso, plenam et illimitatam.

2° Regimen libertinum gignit ex essentiæ suæ necessitate monstrosum illud institutum, quod falsissimo nomine *libertas conscientiæ* vocari solet, vere autem et proprie appellari debet *libertas publicæ impietatis* in ipsis civibus, *polytheismus politicus* in gubernio. — Nam libertas conscientiæ vocari consuevit ea facultas quæ in regimine libertino omnibus et singulis civibus conceditur, ut a religione quam publice professi fuerant, quæcunque illa sit, vera vel falsa, orthodoxa vel hæretica, possint pro suo lubitu publice discedere, ad aliam quamlibet publice transire, omnium sectarum ac superstitionum et ritus publice exercere, et errores publice docere, et socios publice protegere, quin ulla sit publicæ perfidiæ et publici perjurii, erroris publice venditati, corruptionis moralis publice jactatæ punitio cuiquam pertimescenda. Hanc autem publicæ impietatis horrendam licentiam necessario consequi ex libertina regiminis forma jam breviter probatum est libro IV, n. 526; quem locum adi, si placet.

Hæc libertas publicæ impietatis solet etiam appellari *civilis omnium religionum æqualitas* (*égalité des cultes*).

3° Liberalistica regiminis forma parit essentialiter absolutam *separationem* rerum ecclesiasticarum a civilibus et politicis, Ecclesiæ a Gubernio seculari, nimirum *atheismum politicum;* quod libro IV, n. 525, jam probatum est, atque ex publica illa

impietate quæ solet perperam vocari *libertas conscientiæ*, evidenter consequitur.

Atqui Ecclesia solemni suo judicio rejecit ac reprobavit *libertatem typographicam* absolutam, *libertatem conscientiæ* sic falso appellatam, et *separationem Ecclesiæ a seculari Gubernio*. Quis enim ignorat celebrem Gregorii XVI epistolam encyclicam, quæ incipit per ea verba : *Mirari vos arbitramur*, ubi tria illa hodierni paganismi instituta expresse damnantur ?

1. Contra *artis librariæ plenam libertatem* : « Huc spectat, ait Pontifex, deterrima illa ac nunquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariæ ad scripta quælibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, Venerabiles Fratres, intuentes quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quæ longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terræ. Sunt tamen, proh dolor ! qui eo impudentiæ abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique jure improbatum patrari data opera malum certum ac majus, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi, comportarique, imo et obbibi debere, sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat ? — Verum longe alia fuit Ecclesiæ disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum ætate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse (*a*). Satis sit leges in concilio Lateranensi V in eam rem datas perlegere », etc. (*b*).

2. Contra *libertatem conscientiæ* : « Ex hoc putidissimo *indifferentismi* fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet *libertatem conscientiæ*. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quæ in sacræ et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam

(*a*) Act. Apost. XIX, 19. — (*b*) *Epist. encycl.* Gregorii XVI ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, data 15 aug. 1832.

impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At *quæ pejor mors animæ, quam libertas erroris?* inquiebat Augustinus (*a*). Freno quippe omni adempto, quo omnes continentur in semitis veritatis, proruente jam in præceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicitur *puteum abyssi* (*b*), e quo vidit Joannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terræ. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis reipublicæ præ qualibet capitalior, quum, experientia teste, vel a prima antiquitate notum sit, civitates quæ opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate » (*c*).

3. Contra *separationem Ecclesiæ a Guberniis secularibus*: « Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, *liberos se esse ab omnibus*: quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosiora quælibet audacissime aggrediuntur. — Neque lætiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a Regno separari, mutuamque Imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta exstitit ac salutaris » (*d*).

Ergo, saltem indirecte, Ecclesia infallibili suo judicio rejecit ac reprobavit regimen liberalisticum, quod essentialiter nititur typographica libertate absoluta, et essentialiter gignit libertatem publicæ impietatis quæ dicitur libertas conscientiæ, et separationem Ecclesiæ a Guberniis secularibus. — Dixi autem fuisse hoc regimen ab Ecclesia rejectum ac reprobatum *saltem indirecte*, ut vanas de vocabulis contentiones vitarem: optimo tamen jure dixerimus directe illud fuisse damnatum; fuit enim *directe* ab Ecclesia improbatum quod ad essentiam ipsam libertini regiminis pertinet, nempe typographica libertas absoluta; ac proinde ipsa istius regiminis essentia *directe* est ab Ecclesia improbata et rejecta.

IV. *Liberalistica regiminis forma est per se atque essentialiter Ecclesiæ noxia et perniciosa.*

Constat id manifestissime tum ex iis quæ modo attulimus ex

(*a*) Aug. *Ep.* 68. — (*b*) Apoc. IX, 3. — (*c*) *Epist. encycl.* nuper cit. — (*d*) *Ibid.*

epistola encyclica Gregorii XVI, S. P., tum ex iis quæ paulo fusius in libro IV adversus hoc regimen disputavimus (a n. 520 ad 551).

V. *Libertinum regimen civile ac politicum Ecclesia nunquam expetiit aut postulavit.*

Colligitur facile hoc postremum ex præcedentibus. Etenim, quum Ecclesia sit æque omni tempore infallibilis, nequit ullo tempore approbare, quod alias improbavit ac rejecit. Atqui, si quando libertinum regimen Ecclesia expetisset, illud profecto, saltem implicite, approbasset, quod tamen, ut nuper ex epistola encyclica Gregorii XVI, S. P., intelleximus, Ecclesia paucos ante annos expresse reprobavit. Ergo, etc.

Ergo manifeste ab omni prorsus veritate abhorrent quinque illa rerum capita ad quæ diatribam Carnæi pro liberalistico regimine cum Ecclesiæ doctrinis studiisque conciliando disputantis revocari posse monuimus. Alios aliquot ejusdem errores in simili re paulo inferius indicabimus.

Coroll. 2. — In errores istos multiplices partim hic memoratos, partim in articulo sequente indicandos, catholici homines cum Carnæo pro liberalistica re pugnantes prolabuntur hac potissimum causa impulsi, quod multas res inter se maxime distinctas ac diversas permisceant miserrime apud mentem suam ac turpiter confundant. Est autem manifestum, ad hanc ipsam idearum ac rerum confusionem singulari illos confidentia, ne dicam temeritate, judiciorum suorum perduci : si enim Ecclesiæ doctrinam publice propositam, perpetuoque ab ea servatam rationem vellent paululum considerare, vanitatem rationum suarum iidem facile intelligerent. Nonnulla exempla rerum hoc modo perperam ab iis permixtarum in hac ipsa liberalismi causa monstremus.

1° *Libertinum regimen* confundunt cum *regimine* quolibet *repræsentativo*. — At longissime alterum ab altero distat ut libro IV perspicue fuit explicatum (520-551). Potest polyarchicum regimen esse honestum, et, aliquandiu saltem, alicubi utile, sive aristocraticum sive democraticum illud futurum est, juxta ea quæ in eodem IV libro docuimus (496, 497). In qua duplici regiminis forma nequaquam populo universo tribuitur supremus, absolutus, inalienabilis principatus, ab eodem in tota rei publicæ gubernatione per deputatos exercendus; nequaquam populi universi voluntas, vel opinio publica, assumitur pro suprema regula justi et honesti : sed certus quidam numerus familiarum, aut virorum

singularium, illæ hæreditario, hi electionis popularis jure, publicam rem administrantes, supremam justi et honesti regulam in lege Dei æterna et in legibus Ecclesiæ, ex ipsa regiminis constitutione, semper retinent, ad eamque normam in omnibus sequendam, ipsa regiminis constitutione, saltem indirecte, impellente, moventur. Quare in ipso democratico regimine honesto *deputati* seu *repræsentantes* imperant *nomine populi*, sed non *pro voluntate quacunque populi*; atque ipsum regimen, in democratica hac forma honesta, ita est constitutum, ut nihil deputatos cogat a lege naturali recedere, legesque Ecclesiæ aspernari, ut publicæ opinioni obsecundent, ut populi voluntati obtemperent.

At vero libertini regiminis hoc est principium fundamentale, ut tota res publica secundum illud quod *publica opinio* et *populi voluntas* stolide dicitur, omnino geratur; ac regimen hoc universum ita est constitutum, ut omnia, in re publica gerenda, *ad populi voluntatem* exigantur, nimirum in re ipsa ad voluntatem audaciorum, turbulentiorum, scelestiorum aliquot hominum, qui se publicæ opinionis interpretes per omne nefas obtrudant (523). Idcirco enim statuitur tamquam essentiale hujus regiminis principium, regi vel præsidi, ministris, deputatis voluntatem populi seu publicam opinionem esse in omnibus inquirendam et sectandam; omnia Gubernii acta esse a populo, nempe ab ephemeridibus libellisque libere sparsis, judicanda; in omni inter deputatos et ministros controversia ad populum esse provocandum. Ex quibus omnibus in forma regiminis ita dispositis debent illa omnia consequi mala, quæ sunt a nobis libro IV breviter demonstrata.

Sunt igitur hæc duo maxime inter se diversa, regimen repræsentativum, vel polyarchicum universe spectatum, et regimen constitutionale vel liberalisticum; quæ duo tamen perpetuo Carnæus in sua diatriba confundit (*a*).

2° *Libertatem Ecclesiæ* confundunt cum *liberalistico regimine, seu liberalismo*. — Libertatem suam semper Ecclesia sibi jure divino debitam postulavit, postulat ubique, ac semper postulabit. Libertatem absolutam civilem et politicam pro omni religione,

(*a*) In eo loco, v. g., ubi sic ait : « Les catholiques n'ignoraient pas, d'ailleurs, qu'il existait dans les deux mondes une croyance soigneusement attisée par nos ennemis, et qui consistait à présenter notre foi comme incompatible avec le jeu régulier d'institutions représentatives » (Carnæus, *loc. cit.* p. 198).

pro omni secta, pro omni opinione, nunquam Ecclesia expetiit, nunquam exposcet; nec potest ullo pacto simile quidquam Ecclesia postulare. Neque enim Veritas petere ac ne pati quidem potest, ut errori facultas detur sese libere propagandi. Itaque, quum apud gentes liberalistico regimini subjectas Ecclesia pro libertate pugnavit, libertatem sibi debitam poposcit, non libertatem omnibus sectis concedendam, quam, horret; atque *argumento ad hominem* quodammodo tunc usa est, quasi diceret: Quum libertas omnibus æque sectis, quantumvis erroneis ac perfidis, a pagano isto regimine detur, hanc ego, unica vera religio, mihi postulò, saltem ex æquo, concedi, cui uni, cui plena et absoluta jure divino debatur.

3° Quæ Ecclesia proprio suo labore fecit, confundunt cum effectis liberalismi. — Ecclesia in quibusdam regionibus antea tyrannice oppressa, inducto deinde libertino regimine, aliquantam et ipsa libertatem recuperavit, ac sua damna continuo resarcire inibi cœpit; at maximis laboribus, lente admodum, parum prospere illi res succedit. Clamant nihilominus confestim libertinæ anarchiæ honesti inter catholicos patroni: « En quantopere faveat rebus christianis regimen liberalisticum! Convalescit apud nos Ecclesia, confirmatur, refloret! » At nihil profecto Ecclesia sic reviviscens debet liberalismo; sed conatibus, constantiæ, sudoribus suis ea tantulum illud sibi incrementi comparavit.

4° Minorem iniquitatem cum justitia, minus odium cum favore iidem confundunt. — Triplicem vivendi modum potest insonti homini princeps concedere : 1. catenis durissimis vinctum in carcere inclusum retinendo et quotidianis sævisque suppliciis eum cruciando; 2. permittendo ut e carcere eductus, vinculisque solutus libere inter amicos versetur, at omnibus eum fortunis spoliando et jubendo simul ut omnibus furibus ac latronibus, quos etiam liberos omnes dimiserit, liceat illi uni quacunque via nocere, omni civilis auctoritatis et vis publicæ præsidio denegato; 3. non tantum libertatem, sed omnia quoque illi bona erepta restituendo, publicæque auctoritatis præsidio illum contra omnes aggressores contegendo. Primum vitæ genus dat christianæ religioni tyrannica persecutio *positiva;* secundum concedit liberalisticum regimen; tertium largitur Gubernium recte ordinatum. Perinique agi cum Ecclesia in secundo illo vitæ genere, quamvis minore cum sævitia quam in primo genere,

quisque videt. Hanc attamen paulo minorem Liberalismi sævitiam et iniquitatem volunt ejus patroni catholici quidam cum Carnæo justitiam plenam esse appellandam, eidem Ecclesiæ perutilem !

5° Ecclesiæ statum primordialem ac plane extraordinarium confundunt cum ejusdem statu provecto et ordinario. — In rebus creandis ac primum constituendis extraordinaria prorsus edit Deus potentiæ suæ miracula : in iis deinde conservandis, occulta quadam vi semper ipse operans, hominem tamen vult cooperari, certisque legibus ordinariis ab homine servandis conservationem uniuscujusque rei subjecit. Itaque per maxima et infinita miracula primis tribus seculis Ecclesia condita et propagata est, omnibus romanæ potentiæ viribus ad eam opprimendam ac delendam incassum adhibitis. At prodigiosa et extraordinaria prorsus illa fuerunt. Neque, si horrendæ hujusmodi vexationes per hæc tempora a principibus secularibus ad christianam fidem convellendam instaurentur, diu salva in eorum plerisque regionibus illa consistet : cujus rei testes luctuosissimi sunt profecto Anglia, Scotia, Germania, Polonia, multæque aliæ gentes, apud quas christiana, id est catholica, religio floruit olim maxime, nunc vero concidit principum fraudibus ac furore prostrata. Has temporum ac statuum differentias Carnæus cum suis omnes permiscet.

6° Ecclesiæ universim sumptæ stabilitatem confundunt cum religionis christianæ statu in hac vel illa terrarum parte duraturo. — Perpetuam utique vitam Christus Dominus Ecclesiæ suæ pollicitus est. At nequaquam promisit in hac vel illa regione perpetuo illam permansuram, quodcunque tandem huic vel illi regimen dominetur, utcunque religioni christianæ infensum : quod Carnæus passim affirmat, saltem *implicite* (Cf. 1359, coroll. 1, init.). Incredibile hoc paradoxum tota Ecclesiæ historia refellit, ingentes populorum ad protestanticum paganismum defectiones profligant.

Coroll. 3. — Tria restant hoc loco maxime notanda :

1. Ex omnibus quæ tum in libro IV, tum in hoc articulo, contra libertinum regimen disseruimus, facile intelligitur, liberalismum nihil aliud esse, respectu hominum quam medium quoddam aptissimum quo scelesti rerum omnium perturbatores utuntur et ad civilem aucteritatem, qua coercebantur, enervandam et frangendam, et ad christianam religionem qua illorum

scelera damnantur, impune ac palam impugnandam, servatis ad fatuam turbam capiendam externis formis ordinis cujusdam legalis, quem suis fraudibus omnino faventem constituerint; respectu autem Dei Optimi Maximi eumdem nihil aliud esse quam durissimum quoddam *flagellum*, quo christianarum gentium crimina castigat, christianæ pietatis amorem in earum pectoribus languentem excitat, Cleri christiani mores doctrinasque expurgat. Quapropter libertini ac libertinorum duces sunt *hodierni barbari*, de eodem prorsus genere ac veteres illi barbari, Hunni, Vandali, Alani, Gothi, Longobardi, eorumque duces, Attila, Totila, Alaricus et cæteri, quibus, præter paganorum scelerum ultionem, ejusdem rei perficiendæ fuit a Deo providentissimo cura commissa.

II. Nemo teneri potest illud peragere, quod pravum et illicitum omnino esse cognoscat, quæcunque tandem ejus rei faciendæ promissio, etiam juramento adhibito, præcesserit. Quin imo, si quod pravum et noxium institutum civile aut politicum fuerit quocunque modo invectum, tenentur rex, seu præses, ejusque ministri perniciosam hanc *legalitatem* quamprimum de medio tollere, etiamsi illam se perpetuo servaturos jurejurando promiserint, et gravissime in Deum, in patriam peccant, eam legalem pravitatem observando ac tuendo. Ergo liberalisticas regiminis formas, quas essentialiter esse pravas et omni ordini individuali, domestico, civili, politico et religioso exitiales demonstravimus, non solum non tenentur princeps ejusque ministri observare ac retinere, sed potius gravissimo officio urgentur, ut eas quamprimum evertant, quamvis eas se observaturos ac defensuros, solemni etiam juramento, promiserint. Quas regiminis formas observando et retinendo, nisi invincibilis eos ignorantia excuset, proditores se atque hostes religionis et patriæ suæ publicos exhibent.

Optime hæc omnia intellexit Napoleo III, Imperator, quum ante duos annos liberalisticum regimen, quo Gallia universa in perniciem inevitabilem trahebatur, uno ictu fortissime prostravit ac delevit, præclare idcirco meritus de religione, de bonis moribus, de Gallia, de Europa universa.

Est etiam illud manifestum, ridiculos prorsus, nec minore tamen in culpa esse principes eorumque ministros, qui, quum publica scelera, librariæ præsertim licentiæ, illis exprobrantur, solent stultissime respondere, *nihil se posse ad ea facinora com-*

primenda; libertatem omnibus concedi, quam nemini liceat violare. Quid? Sperantne isti improbitatem suam purgare per vanissimam hanc excusationem, quod libertas seu potius licentia ista sit civibus concessa? Non possum, inquiunt, cives ab his sceleribus committendis prohibere, quia promisi me illis hanc licentiam servaturum? Cur ergo reges et principes regiosque ministros adhuc habemus, si se minime obligatos judicant ad malum publicum quodcunque efficaciter, quum possunt, impediendum? Numcui potest vera necessitas esse ut desit officio suo? Libertatem istam concessisti, aut concessam servaturum te promisisti! Peccasti concedens, aut promittens, nisi ignorantia excuseris; peccas nunc anarchicam eam licentiam conservando.

III. Tametsi libertinum regimen sit per se pravum et noxium, attamen, quum illud jam est constitutum, possunt licite cives tali Gubernio fidelitatem *civicam*, etiam juramento, promittere, non autem *politicam*, quemadmodum Usurpatori jam vidimus libro VI (nn. 691,692) posse utique cives fidelitatem civicam, sed non politicam, promittere. Societati namque jus supremum est consulendi suæ ipsius existentiæ: in quem finem est omnino necessarium ut omnes et singuli socii teneantur auctoritati sociali obedire in iis omnibus quæ ad sociale bonum conservandum ac perficiendum pertinent, nimirum in ordine *civico*. At nullo iidem possunt officio cogi ut pravam noxiamque regiminis formam sustineant ac tueantur: quin imo nulla ratione iisdem licet polliceri se ad tale Gubernium conservandum esse cooperaturos; quæ duo sunt in ordine politico. Confer quæ de juribus Usurpatoris docuimus duobus libri VI locis nuper citatis: nam quæ de Usurpatore ibi sunt tradita, de liberalistica regiminis forma eodem prorsus modo vera sunt.

1360. Pos. 672ᵃ. — Omnis princeps tenetur summa cura abstinere ab ulla re vel jubenda in legibus ac decretis, vel facienda aut toleranda in quotidiano rei publicæ regimento, quæ legibus ac juribus Ecclesiæ ullo pacto adversetur.

PROBATUR id facillime ex iis quæ jam retro constituta sunt. — Nam, ut evidenter superius demonstravimus, omnis secularis potestas est jure divino subordinata potestati ecclesiasticæ, sicut societas temporalis essentialiter debet societati spirituali subservire; sicut finis proprius vitæ præsentis essentialiter ordinatur ad finem in vita futura consequendum (1353, 484). Atqui, si quid secularis auctoritas posset licite facere aut valide jubere contra jura leges-

que societatis spiritualis, jam nulla esset amplius ejusmodi subordinatio secularis potestatis sub ecclesiastica : ageret enim cum plena in quocunque ordine independentia. Ergo, etc.

1361. COROLL. 1. — Peccant igitur gravissime, seque publico sacrilegii crimine implicant principes eorumque ministri, quotiescunque aliquid statuunt, jubent, decernunt, exsequuntur juribus Ecclesiæ contrarium.

Nulla præterea est, cassa, irrita, invalida, jure divino, quæcunque lex aut jussio quælibet secularis potestatis legi alicui ecclesiasticæ contraria.

COROLL. 2. — Quatuor sunt præcipua in quibus solet secularis potestas jura et leges Ecclesiæ per vim sacrilegam violare : bona ecclesiastica, immunitates, matrimonia et puerilis institutio. In his quatuor ergo potissimum caveant principes eorumque ministri, ne divina jura per diabolicam audaciam conculcent.

De bonis ecclesiasticis sancte conservandis diximus retro nn. 1337 et 1338.

De immunitatibus quæ tum jure divino, tum jure humano Ecclesiæ competant, disseruimus nn. 1342 et 1343.

De matrimonio etiam perspicue jam libro VII probatum est, illud suapte natura ad ordinem moralem et sacrum pertinere (809). At præterea nemo ignorat matrimonium ad *sacramenti* dignitatem fuisse a Christo Domino evectum. Quibus duobus fit manifestum nullas leges ad matrimonium *licite* ac *valide* ineundum pertinentes, nullasque causas matrimoniales, a potestate seculari pendere. Quare non potest hæc sibi aliter quam per sacrilegam usurpationem vindicare judicium eorum quæ ad contractus matrimonialis validitatem et honestatem et ad jura convictus conjugalis propria spectant. Et quæcunque seculares magistratus circa res illas decreverint, nulla et irrita sunt jure divino; sicut nulla etiam et irrita sunt matrimonia quæ legibus ecclesiasticis adversentur, quamvis ea legibus secularibus sint omnino consentanea. Hoc unum igitur seculari potestati hac in re præstare licebit, effectus scilicet matrimonii mere civiles apte ordinare, ita tamen, ut nihil, ne in hoc ordine quidem, statuat legibus ecclesiasticis indirecte repugnans.

Denique manifestum est puerorum in scholis, collegiis seu lycæis institutionem ad moralem et religiosum ordinem quam maxime pertinere. Quum enim moralis probitas vel improbitas, et religionis studium vel neglectus, in unoquoque homine per reli-

quam totam vitam pendeat maxime a prima illa institutione, ita sunt in iis scholis, collegiis vel lycæis pueri imbuendi humanis litteris, ut simul ad omnem moralem virtutem atque ad omnem christianam doctrinam et pietatem summa cura informentur. Ergo litteraria hæc institutio est omnino, secundum rationis legisque naturalis præceptum, inseparabilis ab institutione morali et religiosa. Ergo puerorum institutio, etiam litteraria, ob adjunctum illum finem moralem et religiosum, omnino est ordinis moralis, sacri et religiosi. Atqui omnia quæ sunt ordinis religiosi, vel etiam solum moralis, ad ecclesiasticam auctoritatem proprie et immutabiliter pertinent. Ergo puerorum institutio litteraria potestati ecclesiasticæ, nimirum Episcopis, potissimum subdenda, ab iisque potissimum dirigenda est. Ergo nequit laica potestas institutionem puerorum in scholis, collegiis vel lycæis unice vel præcipue sibi, summotis Episcopis, vindicare, nisi per tyrannicam usurpationem ; quæ profecto et laicæ ipsi potestati et populis illi subjectis maximo damno futura est. Itaque, quamdiu veritas christiana in civili ordine effulsit, Episcopi semper habiti sunt ubique naturales et proprii scholarum, collegiorum et lycæorum Rectores. At, ex quo fœdus paganismus politicum et civilem ordinem pervasit, sublata Episcopis scholarum gubernatione, illam sibi laica potestas, cum maximo populorum detrimento, adjudicavit. Hæc igitur sapienti principi vehementer cavenda.

ARTICULUS II.

De principum secularium officiis erga Ecclesiam positivis.

1362. Notandum. — Secularis potestatis erga Ecclesiam officia positiva omnia in summa continet generalis illa positio (1354), qua essentialem laicæ potestatis subordinationem sub ecclesiastica et ad ecclesiasticam constituimus, ut jam superius notatum est (1356). Atque infinita quidem numero officia positiva exinde dimanant a laico principe erga Ecclesiam observanda pro infinita necessitatum ac periculorum, in quibus hæc versari potest, varietate : quæ particularia officia singillatim omnia persequi hoc loco nec possumus nec necesse habemus. Præcipua namque aliquot explicando monstrabimus satis quid de cæteris omnibus in re quaque particulari judicandum sit.

Quatuor igitur officia ejusmodi præcipua hic signanter expone-

mus : 1um, quo tenentur laici principes Romanam Sedem consulere eique obtemperare in re quacunque religiosa et morali ordinanda, et in civili quoque ac politica re omni connexa cum religionis et morum doctrina ; — 2um, quo tenentur iidem curare, ut boni aptique Præsules singulis ecclesiis præficiantur ; — 3um, quo tenentur pacta et *concordata*, quæ a Sede Romana obtinuerint, fideliter observare ; — 4um, quo tenentur catholicam religionem ejusque jura et ministros positive protegere ac tueri. — Ex quibus omnibus iterum colligemus 5° *separationem* Ecclesiæ a laicis Guberniis absurdam esse, impiam ac perniciosam.

Hæc præsertim explicanda suscipimus tum quia contra hæc potissimum officia frequentius et gravius peccatur a multis secularibus Guberniis, tum quia 4um et 5um caput nonnulli catholici, liberalistica labe infecti, qui sese optimos tamen patronos jactitant rei catholicæ, inficiantur et impugnant pertinaciter per singularem mentis cæcitatem et imprudentiam.

1363. Pos. 673^{a}.—In re qualibet ad Universalis Ecclesiæ fidem vel disciplinam pertinente ordinanda, stricto officio tenetur omne laicum Gubernium Sedem Romanam potissimum consulere, ejusque monitis ac præceptis constanter obtemperare.

Prob. — 1. In omni rite composita gubernatione debet hierarchicus ordo erga alia quælibet Gubernia servari, ne injuria potestatibus legitime constitutis inferatur. Ergo in laica rei publicæ administratione debet hic ordo hierarchicus servari etiam erga potestatem ecclesiasticam. Atqui ordo hierarchicus respectu potestatis ecclesiasticæ postulat, ut, quotiescunque agitur de re aliqua pertinente ad Universalis Ecclesiæ fidem vel disciplinam, non particulares tantum Præsules aliqui consulantur, sed Romana Sedes potissimum adeatur, ejusque oracula potissimum postulentur. Nam quæcunque ad fidem vel disciplinam Universalis Ecclesiæ spectant, non hujus vel illius Præsulis particularis, sed unius Romani Pontificis tutelæ ac magisterio sunt divinitus commissa; quod nemo catholicus ignorat, et superius (1297) fuit a nobis breviter sed solide confirmatum. Ergo, in iis omnibus quæ ad generalem Ecclesiæ fidem vel disciplinam attinent, si non Romanus Pontifex, sed Præsules aliqui particulares a laico Gubernio audiantur, gravis injuria ab hoc Gubernio fit Romano Pontifici et Christianæ Ecclesiæ universæ, cujus divina constitutio sic violatur; sicut gravis injuria fieret laico principi a seculari alia potestate, quæ, in re

spectante ad supremam ejus principis auctoritatem, non principem ipsum ejusve legatos, sed particulares provinciarum Præfectos seu Gubernatores audiret.

II. Evidens est, quotiescunque a laico Gubernio ecclesiastica auctoritas ad Ecclesiæ fidem vel disciplinam cognoscendam aditur, esse hanc auctoritatem interrogandam in iis potissimum personis, quæ christianam veritatem certius ac tutius sint traditura. Absurdum namque ac perfidum est veritatem a testibus minus aptis ac minus tutis quærere, aptiorem tutioremque alium testem, plane paratum ac promptum, negligendo. Atqui testes alii christianæ veritatis, quos laicum Gubernium interrogabit, nisi Romanum Pontificem adeat, multo minus apti ac multo minus tuti sunt quam Romanum Oraculum. Nam 1°, quantacunque sit particularium Præsulum eruditio et doctrina, nequaquam illis singulis a Christo Domino promissa est talis Spiritus Sancti præsentia ac tale adjutorium, ut in christiana doctrina tradenda errare non possint; quale adjutorium Petro et Romanis Pontificibus ejus Successoribus promissum est. Quare infiniti numero Episcopi hæresim per varias ætates secuti sunt ac publice docuerunt; Romanus vero Pontifex nullus unquam erravit christianam doctrinam publice tradendo, nullus errare potest (1297, IV). — 2° Duplex præsertim cura solet viros etiam doctos et graves impedire, ne veritatem sinceram principi interroganti aperiant, nempe immodicum regiæ majestatis studium et intemperans suarum utilitatum consectatio. Jam vero his duabus veritatis contegendæ aut dissimulandæ causis semper obnoxii esse possunt Præsules particulares; at illarum neutra Summus Pontifex fere teneri potest. Nam Episcopos suos subditos, non externos, solent principes de his rebus consulere: hi autem Præsules inferiores, seu vitioso quodam patriæ dignitatis amore, seu timore quodam regiæ majestatis *reverentiali*, seu regiæ gratiæ, amplioris sedis, aliorumque præmiorum obtinendorum spe facile possunt induci ad ea potius loquenda quæ principi arrideant, quam quæ cum christiana veritate omnino congruant. Pontifex autem Maximus, hoc ipso quod summum omnis dignitatis verticem tenet, quod superior est ipsis regibus secularibus, quod auctoritate suprema et universali in totum terrarum orbem pollet, neque habet quidquam sibi a regibus sperandum vel timendum, neque particularibus hujus vel illius regionis studiis devincitur. — 3° Perpetua omnium nationum experientia testatur, nunquam ferme defuisse

laicis principibus Præsules particulares, qui sceleribus aut erroribus laicæ potestatis, adulterata etiam in ejus gratiam christiana doctrina, aperte faverent. Quod quidem Episcopos civitatis regiæ vel imperialis potissimum fecisse, a multis jam sæpius notatum est (*a*). Atque in nostra quidem Gallia quam turpiter ac perniciose potestati laicæ adulati fuerint Bossuetus, Episcopus Meldensis, Harlæus, Archiepiscopus Parisiensis (*b*), et Lachesius, jesuita, regius confessarius, jam obiter supra ex Fenelone aliisque memoravimus (1319). Quare idem Fenelon vehementer se timere affirmabat, ne in manifestum schisma Gallia tota per aliquem Parisiensem Archiepiscopum aliquando traheretur (*c*). Ergo, etc.

III. Si in re connexa cum generalibus Ecclesiæ juribus et doctrinis laicus princeps particulares solum aliquos Præsules sibi subditos, inconsulto Romano Pontifice, audiat, facile usuveniet, quod nuper diximus, ut christiana veritas illi nec integra nec pura proponatur. Tunc vero, falsis ejusmodi doctrinis in civili vel politica re ordinanda a laico principe inductis, insurget serius ocius ex adverso Romanus Protarcha, christianæ doctrinæ et christianorum jurium apud omnes gentes Custos supremus ac Vindex; et quæcunque laica potestas contra Ecclesiæ jura doctrinasque statuerit, constanter oppugnabit. Jam ex ejusmodi conflictu ecclesiasticæ potestatis adversus laicam multa et gravia oriri mala in ordine ipso civili et politico necesse est, ut paulisper consideranti patebit, et tum ex superius explicatis ubi de protestantismo agebamus (1317), tum ex universali experientia colligitur. Ad hos igitur vitandos tam noxios cum spirituali potestate conflictus debet laicus princeps de Ecclesiæ doctrinis et juribus eam potissimum

(*a*) « Le cardinal de Noailles, qui était entouré de jansénistes, et qui, dans l'origine, avait approuvé les *Réflexions morales*, fit renvoyer du séminaire de Saint-Sulpice deux neveux des deux évêques (*de Luçon et de la Rochelle*). Ceux-ci écrivirent au roi pour se plaindre, et dirent que *dans presque tous les temps les évêques des villes impériales avaient protégé l'erreur*. Le cardinal fut blessé d'autant plus vivement de ce reproche, qu'il le méritait » (Rohrbacher, *Hist. univ.*, etc., tom. XXVI, p. 447).

(*b*) « Vous avez un archevêque (*François de Harlai*) corrompu, scandaleux, incorrigible, faux, malin, artificieux, ennemi de toute vertu, et qui fait gémir tous les gens de bien. Vous vous en accommodez, parce qu'il ne songe qu'à vous plaire par ses flatteries. Il y a plus de vingt ans qu'en prostituant son honneur il jouit de votre confiance. Vous lui livrez les gens de bien, vous lui laissez tyranniser l'Église, et nul prélat vertueux n'est traité aussi bien que lui » (Fénelon *Lettre à Louis XIV*).

(*c*) « Danger prochain de schisme par les archevêques de Paris » (Fénelon, *Plans de gouvernement*, etc., art. II, § IV).

personam interrogare, a qua sinceram, certam ac tutam eorum notitiam hauriet, nimirum a Romano Pontifice, omnium Ecclesiarum Patre ac Doctore supremo.

3164. COROLL. — Quanti momenti hæc postrema positio etiam in ordine civili et politico sit, magnis profecto clamoribus testatur jam a multis seculis Orientale vetus Imperium, infinitis prius erroribus, turbis, intestinis bellis ac cædibus vastatum; horrenda deinde captivitate ac fœda barbarie oppressum. In hoc enim malorum omnium pelagus constat eas gentes, olim clarissimas, fuisse paulatim adductas tum suorum principum, tum suorum Episcoporum temeritate ac superbia; quorum alteri, in rebus ad christianam fidem ac disciplinam pertinentibus, suos potius Episcopos sibi subditos quam Romanum Pontificem audire voluerunt; alteri, ut fieri solet, suo potius principi suæque genti adulari quam christianæ religionis incolumitati consulere studuere. Testantur idipsum civilis, politici ac religiosi omnis ordinis subversio et calamitates innumerabiles, quas in Galliam hanc nostram superiore seculo fuisse invectas per paganam Ludovici superbiam et audaciam, et gallicanam aliquorum Præsulum temeritatem et vecordiam, superius indicavimus (1325). Consule de utraque re christianos historiographos, præsertim Rohrbacrum, tom. 21, 26 et 28.

1365. POS. 674ª. — Secularis potestas tenetur summo studio curare ut boni aptique Episcopi singulis Ecclesiis præficiantur.

PROB. 1° Secularis potestatis proprium et gravissimum officium est iis a quibus maxime publicus ordo et temporalis felicitas pendent, maxima diligentia prospicere. Est autem certum et manifestum ex iis quæ superius (1317) disputavimus, publicum ordinem ac temporalem ipsam populorum felicitatem a moralitatis ac religionis statu maxime pendere. Atqui moralitatis ac religionis status in unoquoque populo talis post certum aliquod tempus necessario est, qualem ejus Episcopus suis curis ac laboribus perfecerit. Nam moralitatem ac religionem efficaciter apud populos restituere, eas conservare et augere, soli ministri divinitus ad hoc ordinati possunt; quod evidenter colligitur ex iis quæ perspicue de gentilium philosophorum humanæque omnis vel vis vel industriæ absoluta impotentia ad hunc finem obtinendum libro quinto (570) explicata sunt. Ergo talis in unoquoque populo, processu temporis, erit moralitatis et religionis status, quales ille habuerit *Parochos* aliosque *Clericos* ad religiosum

ministerium divina auctoritate ordinatos. At certum simul et exploratum est tales in unaquaque diœcesi, post aliquod tempus, parochos aliosque clericos esse, quales Episcopus formaverit. Habet enim Episcopus ad bonos aptosque clericos et parochos formandos, ad malos ineptosque corrigendos aut removendos plenissimam facultatem et media efficacissima, quibus illi resistere diu non possunt. Ergo, si non bonis neque aptis parochis aliisque clericis sit diœcesis aliqua instructa, si morum sanctitas fideique ac pietatis fervor in clero et populo languescant, id omne in summa tribuendum est Episcopi vel imperitiæ vel socordiæ. Ergo civilis ordo et temporalis populorum felicitas a bonorum aptorumque Episcoporum peritia et diligentia maxime pendent. Ergo, etc.

2° Tenetur laica potestas directo et immediato officio religionis supernaturalis rite propositæ apud suos populos protegendæ per externa etiam et materialia subsidia quibus illa est essentialiter communita; quod statim sumus contra quosdam improvidos catholicos probaturi. Atqui, ut modo ostendimus, ab Episcoporum maxime peritia, pietate et solertia pendet bonus ac felix religionis christianæ apud varios populos status. Ergo summo studio curare laica potestas debet, ut pii, docti ac solertes Episcopi singulis Ecclesiis præficiantur.

1366. Coroll. — Evidens est non quacunque peritia, doctrina, solertia bonum aptumque fieri christianum Episcopum, sed ea solum quæ ad ecclesiasticum et spirituale ipsius munus sit accommodata. Jam, quum Episcopus sit et fidei christianæ divino jure magister ac judex, et omnis religiosi ac moralis ordinis in tota sua diœcesi gubernator, eæ duplicis generis virtutes sunt in illo requirendæ quas duplex illud gravissimum postulat ministerium; scilicet virtutes tum *ingenitæ* tum *acquisitæ*, quæ et bonum spiritualis ac religiosi ordinis gubernatorem, et bonum christianæ doctrinæ magistrum et judicem faciunt.

Et I. quidem, ad religiosum ac moralem ordinem utiliter gubernandum, perquam necessarium Episcopo est ingenium *pacificum* simul et solers, *mite* non minus quam firmum, ad prudentiam æque et ad fortitudinem, *suapte natura* primum, deinde etiam voluntaria exercitatione, comparatum. Quæ bona et apta natura omnino et maxime est in Episcopo requirenda; quia naturam expellas furca, semper illa tamen recurret, præsertim apud eos qui summa quadam polleant auctoritate et vi, independente in certo ordine et inamissibili. Tunc enim, amplissima

jam dignitate obtenta, simulandi ac dissimulandi et malam naturam cohibendi nulla amplius causa est homini vitioso.

Quapropter ab episcopali dignitate quam maxime arcendi sunt quicunque levi et improvida mente, quicunque duro aut violento ingenio, quicunque iracundo et præcipiti animo laborant.

Quæ cautela eo magis necessaria in Episcopis eligendis est, quod episcopalis auctoritas, paternæ similis, in interno præsertim ordine quodam agit, intra quem nullo alio freno cohiberi ac dirigi potest, quam sincera ipsius Episcopi charitate, prudentia et religione : quæ si desint, vel si mala natura identidem resurgente opprimantur, per frequentem sacræ hujus auctoritatis abusum boni vexabuntur et procul rejicientur, improbi ad contemptum atque odium religionis eo magis excitabuntur, versutis aliquibus assentatoribus tota res ecclesiastica cum sacris ministris erit quodammodo in prædam ac ludibrium. Est enim illud perspicuum, Episcopo male sic comparato nequaquam diu bonos consiliarios et adjutores adfuturos; tum quia similes sibi quisque amicos et socios quærit, tum quia sinceram boni fortisque viri loquelam et renitentem malis consiliis hominem malus dominus diu non patitur.

II. Ut christianæ doctrinæ Episcopus sit aptus magister et judex, debet ille et naturali esse præditus ingenio ad theologicas et canonicas disciplinas percipiendas ac retinendas idoneo, et in hisce ipsis facultatibus esse plurimum versatus. Optime namque magister et judex oportet cognoscat eam doctrinam quam aliis tradere, de qua judicare ipse debeat : nemo autem ignorat christianam doctrinam, cujus Episcopus magister est ac judex, duabus illis facultatibus contineri, theologia et scientia canonum, quibus supponenda est, tamquam necessarium fundamentum, ampla et firma scientia philosophica.

Itaque inepti prorsus ad episcopale munus habendi qui meri litteratores, meri humanistæ sint. Nam 1° qui humanistica solum eruditione vigent, hoc ipso theologica et canonica illa scientia carent, quam Episcopo diximus esse prorsus necessariam. — 2° Quoniam iis artibus quisque potissimum studet, ad quas ingenium habet naturaliter aptum et propensum; et quoniam ad philosophiæ quidem ac theologiæ graves seriasque disciplinas prædominans in animo vis intelligentiæ ac rationis propensum atque idoneum hominem facit, ad humanisticas vero artes leviores impellit prævalens vis imaginationis et sensus; idcirco meri ejusmodi litteratores et humanistæ multo magis sensu

(*sensibilité*) et phantasia fere quam mente ac ratione valent. Atqui ille, in quo cæcæ per se atque amentes imaginationis ac sensus facultates prædominantur rationi et intelligentiæ, ineptus plane est ad quodcunque gubernationis genus, multo vero ineptior ad regimen episcopale exercendum : nam dirigere, docere, persuadere, moraliter denique homines movere, opus rationis ac mentis est, non sensus ac phantasiæ. Ergo, etc. — 3° Eorum in quibus sensus et imaginatio prævalent, nulla vel rara est consiliorum maturitas et constantia, nulla vel rara in obstaculis superandis patientia et longanimitas, nulla vel rara voluntatis et actionis rectitudo, prudentia, suavitas. Volunt enim illi et jubent plerumque, non quæ ratio approbat, sed quæ sensui et phantasiæ præsenti placent : placent autem illis varia, levia, mobilia, improvisa; abhorrent illi a seriis, ab uniformibus, a tranquillis, a lente præparatis. Repentinos ac præcipites habent plerosque motus mentis, animi, corporis, loquelæ. Quibus vitiis, ob ea quæ nuper (n. 2°) diximus, debent plus minusve laborare, ac revera, experientia teste, laborant, ii qui meri litteratores ac meri humanistæ sunt ; iis tamen vitiis fieri hominem ad munus episcopale ineptissimum, nemo non videt. Ergo, etc. — 4° Negligit quisque fere et parum curat in aliis eas artes quas ipse ignorat. Igitur Episcopus qui mere humanista et litterator sit, parum in suis clericis curabit philosophicas theologicasque disciplinas, quæ tamen illis sunt maxime omnium necessariæ. — 5° Quum et homines et negotia sibi quisque affines quæritet, nequaquam viros gravi seriaque doctrina ornatos, sed homines leviore illa eruditione scintillantes, socios sibi et adjutores in diœcesi gubernanda Episcopus mere humanista plerumque adsciscet. Facile etiam accidet, ut graviora quæque negotia his talibus adjutoribus committens, litterarias nugas ipse consectetur. Infinitis interea morbis moralibus tum clerici tum laici per totam diœcesim inficientur; quibus morbis pietas, boni mores, fides ipsa paulatim perimentur.

Gravissima hæc incommoda quanto studio etiam principi seculari vitanda sint, nemo ignorat.

1367. Pos. 675ª. — Laici principes immutabili officio tenentur pacta et *concordata*, quæ ab ecclesiastica potestate obtinuerint, fideliter observare.

Prob. — Ejusmodi pacta et *concordata* sunt veri contractus publici, a duabus publicis personis independentibus, a duobus

principibus, nomine societatis universæ quam quisque regit, contrahentibus, facti, cum solemni promissione, qua uterque publicam societatis suæ universæ fidem suamque ipsius obstringit, omnia et singula hujusmodi conventa a se suisque perpetuo servatum iri. Ergo qui princeps talia pacta et concordata violet, is publicam fidem conculcat, suam turpissime abjicit, regiam majestatem conspurcat, alteri principi independenti gravem injuriam irrogat, populos suos ad improbitatem exemplo suo excitat.

Hujus autem vecordiæ, iniquitatis, perfidiæ et publicæ ad scelus excitationis non solum princeps ipse reus est, qui *concordata* cum Romano Pontifice facta violat, sed horum omnium probrorum et criminum sunt sane participes ejus ministri, senatores, deputati, quicunque demum ad scelestam hujusmodi omnium jurium violationem eidem cooperantur.

1368. Pos. 676ª. — Omnis princeps christianus vera tenetur strictaque obligatione protegendi, omni modo quo potest, etiam in ordine religioso, veram Christi Ecclesiam ejusque omnia membra sibi *temporaliter* subdita.

Prob. — I. Christianus quilibet princeps, fidem christianam amplectendo, hæc duo se firmiter credere professus est, quæ sunt bina principia religionis *fundamentalia* : 1um Ecclesiam a Petro, id est Romano Pontifice, gubernatam, unicam esse omnis veritatis et justitiæ ad æternam salutem pertinentis magistram, eamque infallibilem ; 2um Extra hanc Ecclesiam a nemine posse æternam salutem obtineri. Jam vero qui princeps Ecclesiæ fidem, disciplinam et membra viventia, morali et materiali potestatis secularis auxilio egentia, nequaquam sibi esse omnibus, quibus potest, modis protegenda statuit, abstinetque a necessario subsidio illis præstando, is profecto per hanc *indifferentiam* et inertiam publice fidem christianam quodammodo negat, ab illa publice quodammodo deficit, ac practice se religionis christianæ *desertorem* et *apostatam* declarat. Etenim per hanc indifferentiam inertiamque practice affirmat christianam Ecclesiam minime esse unicam fidei morumque magistram infallibilem, in eaque una posse æternam salutem obtineri ; practice item affirmat nihil ad se pertinere bonum vel malum christianæ religionis statum ; denique non huic uni religioni summum et ineluctabile jus esse existendi, docendi, sese propagandi.

Nam, ubi res hominibus maxime necessaria periclitatur, quicunque hujus rei periculum novit, illudque potest auxilio suo

prohibere, tenetur profecto, ex universali humanitatis charitate, hoc auxilium prompte atque efficaciter præbere. Item, ubi persona quæ jus ad existendum habet, in grave mortis periculum, vel casu fortuito, vel latronum aggressione venit, quicunque potest illam ex eo discrimine eripere, tenetur sine dubio ad eam defendendam servandamque omni ope accurrere. Quod si quis rei maxime hominibus necessariæ exitium non prohibet, quum potest; si quis personæ graviter periclitanti nullum fert auxilium, quum potest, is practice negat evidenter eam rem esse hominibus maxime necessariam, eam personam jus habere ad existendum, eam rem eamque personam quidquam ad se pertinere; atque hoc modo *humanitatem* ipsam practice negat, et humanitatis desertor atque hostis appellandus est.

Atqui christianam religionem esse rem hominibus maxime necessariam, et christianam Ecclesiam esse moralem personam quæ summum et immutabile jus ad ubique existendum habet, credit in primis et credere debet omnis christianus. Hanc autem religionem atque hanc Ecclesiam adduci aliquando in quibusdam locis in grave exitii mortisque periculum per externa et materialia etiam media a scelestissimis hominibus adhibita, quæ non possint aliter quam principum sociali potentia et vi etiam materiali propulsari, quotidiana omnium seculorum experientia testatur.

Ergo, si princeps christianus, veram Christi fidem et Ecclesiam in suis regionibus ob externas scelestorum hominum aggressiones periclitantem videns, non eam, quantum potest, defendat, hoc ipso practice negat christianam fidem esse necessariam, christianæ Ecclesiæ firmum esse jus ad existendum; negat scilicet christianam ipsam fidem atque ab Ecclesia publice recedit; ac proinde christianæ religionis desertor et apostata est judicandus.

Idcirco Christus Dominus inclamabat : « Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit » (a).

II. Omnis christianus, ac proinde etiam princeps, filium sanctæ matris Ecclesiæ ac militem ad eam defendendam armatum se esse profitetur; filium quidem per baptismum, militem vero per confirmationis sacramentum. Atqui lege ipsa naturali tenetur filius matrem, et miles patriam suam ab improborum fraudibus et impetu defendere omnibus modis qui sint in filii vel militis potestate. Ergo, etc.

(a) Luc. XI, 23.

III. Omnis princeps gravissimo officio tenetur verum suorum populorum bonum, veram felicitatem, omni studio omnibusque modis in ejus potestate positis, procurare. Atqui primum et maximum populorum bonum est veræ sanctæque religionis adeptio et conservatio; ac sine vera hac religione nullum homini verum bonum, nulla vera felicitas esse potest, ut constat ex iis quæ in libro III disputavimus de hominis fine in vita præsenti (268, 272). Ergo in hanc maxime curam incumbere christianus princeps debet, ut veram sanctamque religionem, juxta potestatis ecclesiasticæ decreta et monita, defendat a quorumcunque hostium seu fraudibus seu vi, per omnia subsidia quæ in ejus sint potestate.

IV. Princeps lege naturali tenetur auctoritatem suam efficaciter tueri, ac proinde etiam illa protegere, quæ sunt auctoritatis suæ munimenta et præsidia prorsus necessaria. Atqui, omnibus fatentibus, præcipuum auctoritatis omnis, præsertim vero politicæ, ac prorsus necessarium præsidium et quasi fundamentum est sincerum populi erga religionem studium, ut superius (1317, II) probatum est. *Quid enim vanæ sine moribus leges proficiunt?* Mores autem bonos facere ac servare nihil præter religionem potest. Ergo qua lege naturali publicam suam auctoritatem protegere princeps tenetur, eadem obligatur protegere omnia quæ ad divinam religionem in populorum animis fovendam tuendamque pertinent.

V. Ecclesia christiana, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, semper et dictis et factis docuit, principes christianos esse a Deo constitutos ejus patronos ac defensores; suam auctoritatem et potentiam principes debere semper Ecclesiæ paratam exhibere ad ejus decreta legibus civilibus et rigore pœnarum sustinenda et ad publicos fidei christianæ hostes per vim invadentes compescendos armorum vi et conterendos.

Nam 1°, quotiescunque principes christiani opem Ecclesiæ alicubi periclitanti et legibus et armis tulerunt, iisdem maximas gratias ob eam causam tum Romani Pontifices tum Concilia egerunt; eorum erga christianam religionem studia vehementer laudarunt; eos magnopere hortati sunt pergerent porro eadem fide constantiaque Ecclesiam Christi eodem modo protegere ac tueri; eorum auxilia, utique per armorum etiam vim suppeditanda, contra hæreticos tumultuantes postularunt. Ita cum Magno Constantino, cum Theodosiis, cum Pulcheria et Marciano, cum Justinis, cum Justiniano, aliisque veteris romani imperii princi-

pibus egit christiana Ecclesia; ita cum Clodoveo cæterisque regibus Francorum; ita cum Carolo Magno, cum aliis Carolis, cum Ludovico Pio, cum Henricis, cum Othonibus, cum Conradis, aliisque omnibus Imperatoribus sancti imperii; quem summum in christiana ethnarchia principatum Romani Pontifices in hunc ipsum finem instituerunt, ut christianæ religionis, omniumque illius jurium, Sedem Apostolicam præcipue protegendo, ille peculiari et proprio quodam munere esset defensor ac vindex militaris; ita cum sancto Ludovico in Gallia, cum Eduardis et Henricis in Anglia, cum Casimiris in Polonia, cum sancto Stephano in Hungaria, cum Ferdinando in Hispania, cum omnibus denique omnium gentium omniumque temporum christianis principibus actum est. Infinita possum testimonia ex omni ætate in hanc rem afferre, quæ brevitatis gratia omitto.

2° Concilium Toletanum VI, quod fuit in Hispania concilium nationale, celebratum anno 638, sic statuit canone III: « Illud autem provida nobis cura et valde est decernendum vigilanti solertia, ne ejus (*Regis*) calor et noster labor quandoque in posteris tepefactus liquescat. Quocirca consonam cum eo et corde et ore promulgamus Deo placituram sententiam; simul cum suorum optimatum illustriumque virorum consensu ex deliberatione sancimus, ut quisquis succedentium temporum regni sortierit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit hanc se catholicam non permissurum eos violare fidem, sed et nullatenus ejus perfidiæ favens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, intendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat prævaricationis; sed quod magnopere nostro est tempore conquisitum, debet illibatum servare in futurum » (*a*).

Sic igitur invecta est apud Hispanos ea consuetudo, qua novus rex tenebatur honorem, fidem, patrocinium Ecclesiæ ejusque legibus et ministris sacramento polliceri, antequam rex salutaretur. Itaque in Pontificali Romano traditur communis formula, *De benedictione et coronatione regis*, in qua eædem promissiones a novo rege quocunque, antequam Ecclesiæ benedictione regalique corona per sacras Episcoporum manus ornetur, publice faciendæ exiguntur. Hæc eadem forma regis per Episcopos coronandi illique post eas Ecclesiæ protegendæ promissiones benedi-

(*a*) Baron. *Annal.*, tom. 8, ann. 638, n. 12.

cendi servata est constanter in Gallia ab antiquissimis temporibus.

En quibus verbis Ludovico ipsi XIV regia corona collata fuerit: « Accipe coronam, inquit Episcopus (a), quam sanctitatis gloriam et honorem et opus fortitudinis intelligas signare, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores; ita ut, sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita tu contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor existas», etc.

Rex vero Episcopis hæc de more promisit (b) : « Promitto vobis et perdono quod unicuique de vobis et ecclesiis vobis commissis canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam servabo, et defensionem (quantum potero, adjuvante Domino) exhibebo », etc.

Universo denique populo hæc cum juramento pollicitus est (c): « Hæc populo christiano et mihi subdito in Christi promitto nomine. In primis, ut Ecclesiæ Dei omnis populus christianus veram pacem nostro arbitrio in omni tempore servet. Item, ut omnes rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam. Item, ut in omnibus judiciis æquitatem et misericordiam præcipiam.... Item, de terra mea ac jurisdictione mihi subdita universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, pro viribus, bona fide, exterminari studebo. Hæc omnia supradicta firmo juramento. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

3° Concilium Parisiense celebratum anno 829, sub Ludovico et Lothario, ab Episcopis quatuor provinciarum, Rhemensis, Senonensis, Turonensis et Rothomagensis, quum multa jam statuisset quæ ad disciplinam ecclesiasticam moresque fidelium spectabant, illa etiam quæ ad ipsum imperatorem pertinerent, ex sanctorum Patrum scriptis, quod Ludovicus poposcerat, præcipua solum et generalia deprompsit.

Monet igitur primum potentia sua principes in causis ecclesiasticis eo tempore abuti consuevisse. « Specialiter unum obstaculum, inquiunt ii Patres (d), ex multo tempore jam invaluisse cognovimus, id est, quia principalis potestas, diversis occasionibus intervenientibus, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosiluerit.... Sed quia, Deo miserante, a progenitoribus et genitore vestro et a vobis nonnulla correcta

(a) Apud Du Lac, *L'Eglise et l'Etat*, tom. 1, p. 297.— (b) *Ibid.*— (c) *Ibid.*— (d) Baron. *Annal.*, ann. 829, n. 19.

gratulamur, si ea quæ admonemus, prosperum successum habuerint, credimus quod ad perfectionis statum vestra intentio nostraque devotio, Deo cooperante, pervenire poterit. » Nequaquam scilicet ob ejusmodi abusus decernunt ii Patres, principes in posterum ab Ecclesia protegenda abstinere oportere, ne, hanc tutelam prætendentes, eam potius divexent. Quin imo, his abusibus sublatis, patrocinium opemque principum denuo postulant. Nam, post multa scripturæ loca ab iis relata, en quibus verbis incipiunt officia christiani principis, ex veterum Patrum, ac præsertim sancti Fulgentii, sententia, declarare : « Regale ministerium specialiter est populum Dei gubernare et regere cum æquitate et justitia, et ut pacem et concordiam habeant, studere. Ipse enim debet primo defensor esse Ecclesiarum et servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum ». — Tum, post multa desumpta ex sancto Isidoro, sic prosequuntur : « Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævaleat sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam quam Ecclesia exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant principes seculi Deo debere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. »

4° Officium Ecclesiæ protegendæ principibus concilium Tridentinum his verbis inculcat (*a*) : « ... Sancta Synodus, ... præter ea quæ de ecclesiasticis personis constituit, seculares quoque Principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, parochos et superiores ordines reverentiam revocaturos; nec permis-

(*a*) Concil. Trid. sess. 25, cap. 20.

suros, ut officiales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent; sed una cum ipsis principibus debitam sacris Summorum Pontificum et Conciliorum Constitutionibus observantiam præstent..... Propterea que admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos cujuscunque status et dignitatis exstiterint, ut quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quæ ecclesiastici juris sunt tamquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus, seu magistratibus, maximeque ministris ipsorum principum, lædi patiantur; sed severe in eos qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque principes qui res Ecclesiæ sua in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt ».

5° Paucis, quæ ex infinito numero attulimus, testimoniis addemus ultimo loco sanctissimi Papæ Gregorii XVI verba gravissima ad Episcopos omnes orbis terrarum directa (*a*) : « Cæterum communibus hisce votis pro rei et sacræ et publicæ incolumitate carissimi in Christo filii nostri viri principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri quidquid pro Ecclesiæ salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere quam regni, magnumque sibi esse perpendant, (dicimus cum S. Leone pontifice) *si ipsorum diademati de manu Domini, etiam fidei addatur corona*. Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore : *Rex regum et Dominus dominantium* ».

Ergo, etc.

1369. COROLL. 1. — Quamvis et lege naturali et lege positiva ecclesiastica teneantur principes Ecclesiam ejusque jura et minis-

(*a*) *Encycl.* Gregorii XVI, *Mirari*, 15 aug. 1832, sub finem.

tros tueri omnibus modis qui sint in eorum potestate, attamen in re ipsa coguntur non raro *tolerantia civili* (888) dissimulare multorum pravitatem ac perfidiam religiosam, ut graviora damna exitialesque societatis universæ perturbationes evitent.

Huc igitur referenda sunt atque *absolute* applicanda omnia quæ *hypothetice* docuimus in libro VIII, cap. 3, art. 3, disserentes de civilis auctoritatis officiis respectu religionis supernaturalis quæ *forte* fieret per socialem consensum religio socialis et lex socialis.

COROLL. 2. — Ex ultima firmiter constituta positione hæc manifeste consequuntur :

I. Peccant gravissime in Deum, in patriam, in Ecclesiam universam reges, principes, ministri, senatores, deputati, magistratus quilibet, quotiescunque per suam inertiam patiuntur aliquid fieri, quod Ecclesiæ catholicæ fidem, disciplinam, jura, ministros lædat. Negligunt enim per impiam socordiam ea quæ ad Dei Optimi Maximi honorem, quæ ad patriæ tranquillitatem et salutem, quæ ad eorum erga Ecclesiam officia maxime pertinent.

Dolenda vero vehementer est incredibilis regum ejusmodi et principum stultitia et cæcitas, qui non vident se, dum Ecclesiam impune oppugnari patiuntur, sibi suæque familiæ, seu *dynastiæ*, perniciem ac mortem parare : quod profecto et ratio manifesta docet, ut non semel ostendimus (740, 1317, 1324), et luculentissima nostrorum temporum experientia confirmat.

II. Prava, impia et absurda est omnis forma civilis ac politici regiminis, quæ suapte natura impediat, vel tendat ad impediendum, ne princeps Ecclesiam Catholicam pro officio suo tueatur et foveat. Impedit enim vel tendit ad impediendum illud quod rerum ipsa natura maxime postulat, quod Deo maxime debetur, quod rei publicæ saluti est maxime necessarium. Hujusmodi autem esse regiminis formam illam protestanticam quæ *constitutionalis* vel *parlamentaris* dicitur, jam vidimus libro IV, cap. 6, art. 5.

III. Pravum, absurdum et impium est protestanticum illud institutum, quod *libertas cultuum*, vel *libertas conscientiæ* mendaciter appellatur, quodque vocari debet *libertas impietatis publicæ*. Perspicuum id est ex ultimo § II : nam in hoc consistit monstrosa hæc libertas conscientiæ, quod impune possit quilibet mendacia et errores omnes, contra fidem christianam, contra quamcunque religionem, contra morum sanctitatem, in populum effundere.

IV. Prava, absurda et impia est etiam *libertas libraria* (*liberté de la presse*) absoluta, ob easdem causas quæ modo sunt indicatæ nuper, § III, quasque paulo fusius explicavimus libro VIII, nn. 892 et 893.

V. Prava denique, absurda et impia pariter est ea doctrina, quam, ad Ecclesiam simul et ad civilem auctoritatem oppugnandas, perditi homines superiore sæculo invexerunt; doctrina scilicet postulans *separationem* absolutam inter duas potestates, ecclesiasticam et laicam, inter duos ordines, civilem et religiosum; quod satis demonstrant quæ diximus tum hic, §§ I, II et III, tum retro nn. 1354 et 1359, coroll. 1, § III, prob. 3°.

Coroll. 3. — Ex dictis hæc facile etiam quisque intelliget:

I. Errat vehementer Ludovicus Carnæus, jam superius (1359, coroll. 1) a nobis reprehensus, quum negat ullam esse luctam et repugnantiam essentialem inter nostrorum temporum liberalismum et Ecclesiæ doctrinam (*a*); religioni præsidium laicæ potestatis esse necessarium (*b*); orandum esse pro antiqua Ecclesiæ et laicæ potestatis unitate (*c*); religionis quidquam interesse quomodo a laicis principibus ipsa habeatur (*d*); principum tutelam ullo pacto esse nostris temporibus Ecclesiæ optandam (*e*);

(*a*) « Je désire examiner si, comme on l'infère d'affirmations à peine contredites au milieu de l'universel silence, il existe une sorte d'incompatibilité naturelle et radicale entre l'esprit de l'Eglise et l'esprit de liberté » (De Carne supra cit.; *Le Correspondant*, 25 juill. 1853, p. 481).

(*b*) « Je veux rechercher s'il est vrai, comme l'affirment quelques publicistes catholiques, d'accord sans le soupçonner avec les plus implacables ennemis de notre foi, que la religion ne puisse vivre désormais que sous la protection du pouvoir et par l'effet de cette protection même » (*Ibid.*). Quibus ultimis verbis sententiam, quam suscipit refellendam, depravat mendaciter, eam exaggerando.

(*c*) « Appelle-t-il (le clergé français) de ses prières et de ses vœux la reconstitution de l'antique unité dans laquelle l'Eglise et l'Etat se confondaient par la communauté des lois et des croyances, le bras de l'un y étant toujours au service de la pensée de l'autre »? etc. (*Ibid.* p. 482). — Ubi notanda est loquendi ratio sane inaccurata et inepta. Neque enim ulla unquam fuit Ecclesiæ cum laica potestate *confusio*, eo quod *brachium seculare* ad Ecclesiæ tutelam semper esset paratum.

(*d*) « Le catholicisme auquel Dieu a donné les siècles prospère sous toutes les civilisations et sous tous les gouvernements les plus contraires » (*Ibid.* p. 484).

(*e*) « Le clergé, presque tout entier, entrevit avec une parfaite sûreté d'instinct, que cette catastrophe allait dessiner sa position pour tous les temps qui allaient suivre, et que le catholicisme ne pouvait désormais, sans compromettre sa dignité et son avenir, devenir l'instrument ni l'appoint d'un parti » (*Ibid.* p. 494). Sensit nimirum Clerus nunquam amplius Ecclesiam esse deinceps a laica potestate protegendam!

Ecclesiæ a laica potestate separationem necessariam in posterum perpetuo fore (*a*); Galliarum Gubernium *imperiale* firmissime inhærere principiis anno 1789 constitutis, inter quæ præcipuum locum tenent libertas cultuum et duarum potestatum distinctio (lege *separatio*); eidem nullam esse propensionem ad dogmatice (lege *socialiter*) profitendam veritatem catholicam; idque rerum naturæ esse plane consentaneum, neque Ecclesiæ causam ullam esse cur id miretur aut queratur (*b*); aliaque permulta hujus generis effutit, quorum aliqua superiore articulo fuerunt a nobis oppugnata. Omnia hæc manifesti erroris convincunt quæ superius disseruimus tum de liberalismi pravitate essentiali, tum de essentiali potestatis laicæ ad ecclesiasticam subordinatione, tum demum de laicæ potestatis officiis erga Ecclesiam seu negativis seu positivis. — Omitto hic complures alios errores et historicos et theologicos, quibus Carnæi diatriba scatet.

II. Inepte idem Carnæus in tota illa diatriba ratiocinatur, ut probet nullam a laicis principibus in Ecclesiam esse protectionem exercendam. Nam hæc tria vel quatuor sunt præcipua, quibus nititur, argumenta.

1um Ecclesia, nativo suo vigore divinoque Auctoris sui præsidio roborata, si dicatur humana principum protectione indigere, ad humilem infirmamque humani cujusdam instituti dejicitur, divinaque sua natura quodammodo spoliatur.

2um Duarum potestatum separatio multum Ecclesiæ profuit ubique.

3um Principum protectio plurimum omni memoria nocuit Ecclesiæ; ex eaque protectione promanarunt pene omnes calamitates quibus illa est quovis tempore afflicta.

4um Princeps non aliter protegit nisi secundum sua judicia.

Ergo, etc.

Jam vero frivola et putida hæc omnia sunt manifeste.

Ad 1um respondebit quilibet, distinguendum esse in divinis ejusmodi operibus *initium* a *processu*. Eorum initium Deus facit

(*a*) Loc. cit.

(*b*) « Le gouvernement impérial ne prétend pas à la mission de rétablir l'harmonie dans les esprits non plus que dans les âmes. Il proclame plus hautement encore qu'aucun des pouvoirs qui l'ont précédé, le respect des principes de 89, au premier rang desquels figurent la liberté des cultes et la distinction (*c'est-à-dire, séparation*) des deux pouvoirs... Cette marche était naturelle, et l'Eglise n'a pas plus à s'en étonner qu'à s'en plaindre » (*Ibid.*; *e Correspondant*, 25 août 1853, p. 654, 655).

modo extraordinario. In eorum processu *cooperationem* hominum Deus ipse postulat. Idipsum in Ecclesiæ institutione et conservatione factum est. Per infinita miracula et contra laicorum principum potentiam reluctantem Deus illam primum constituit et propagavit. At homines ipsos vult postea ad eam conservandam cooperari. Respondebit distinguendum etiam esse Ecclesiæ statum generaliter sumptum ab ejus statu relativo ad hanc vel illam regionem. Quamvis Ecclesia universim sumpta perire nequeat, potest illa tamen tyrannorum fraudibus et vi omnino in hac vel in illa regione perimi. Confer quæ retro de hac re diximus n. 1359, coroll. 2, § v.

Ad 2um quilibet reponet infinita commoda maximasque utilitates Ecclesiam percepisse ubique ex bonorum principum protectione.

Ad 3um dicimus, sophistarum proprium esse rem ipsam damnare propter ejus abusum. Sua potestate abusi principes Ecclesiam vexarunt. Eadem bene utentes debent Ecclesiam tueri.

Ad 4um denique respondemus, hoc unum exinde colligi, scilicet maxima cura esse principum mentem animumque ad christianæ veritatis normam dirigendum. Nam, velimus nolimus, plurimum semper illi poterunt ad christianæ religionis vel bonum vel malum, ad eam vel tuendam vel vexandam; et rarissime fiet ut in re ipsa *indifferenter* sese erga illam habeant. Cæterum, si principes debent a religione protegenda abstinere, quia semper secundum suam mentem protegent, ergo principes ordinem civilem et politicum, parentes ordinem domesticum, duces militares ordinem exercitus, magistri ordinem scholæ nequaquam tueri ac protegere debent, quia semper hi homines, aliique similes rectores quicunque, tuebuntur et protegent secundum mentem animumque suum. Sed futilia hæc sunt, neque longiore disceptatione digna.

Silentio etiam prætermitto sacrilegas blasphemias quas in sanctissimum ac sapientissimum Pontificem, Clementem XIV, atque adeo in Ecclesiam Christi universam, Carnæus conjicit. Qua in re hoc magis est Carnæus inexcusabilis, quod impia mendacia anilesque fabellas, per audaciam furioso lutherano plane dignam, a Cretinovio, hujus Pontificis præcipuo calumniatore, narratas atque omni, qua pollebat, garriendi arte exornatas, refutaverat jam tunc et prorsus contriverat Augustinus Theinerus, vir doctissimus, per

simplicem factorum expositionem authenticis documentis suffultam (*a*).

III. Non solum inepta, sed *temeraria* quoque est tota illa Carnæi disputatio. Temerarium namque apud Christianos est, illud approbandum suscipere quod suprema Ecclesiæ auctoritas jam damnaverit, illudque reprobare quod hæc divina auctoritas semper ac vehementer approbaverit. Atqui liberalismum, *libertate*, ut aiunt, *conscientiæ* et *libertate libraria* essentialiter innixum (1359, coroll. 1, § III), reprobavit Ecclesia per Gregorii XVI Encyclicam *Mirari*, ut supra ostendimus (*loc. cit.*); et protectionem principum seu *brachii secularis* semper Ecclesia laudavit, expetiit, ad essentialia principum officia pertinere docuit, etiam nuper in eadem Gregorii XVI Encyclica, ut paulo ante demonstravimus (1368, prob. 4°). Ergo, etc.

Hic demum finis esto hujus *Summæ Juris Naturalis Universi*, quam utique infallibili auctoritati sanctæ Sedis Apostolicæ toto animo subjicimus. Utinam tenue hoc nostrum opus prospere cedat in honorem et laudem Beatissimæ Trinitatis, et Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctissimæ Virginis Deiparentis Mariæ, atque in emolumentum aliquod Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, quæ unica est Sponsa Christi et unica Arca salutis ! Amen.

(*a*) *Histoire du pontificat de Clément XIV, d'après des documents inédits des archives secrètes du Vatican*, par Augustin Theiner, etc.

FINIS TOMI SECUNDI ET OPERIS TOTIUS.

CONSPECTUS POSITIONUM

IN ALTERO JURIS NATURALIS TOMO CONTENTARUM (*a*).

IN LIBRO VII.

EX JURE DOMESTICO.

De generalibus officiis societatis cujuscunque.

472. Societatis cujuslibet finis immediatus est ordo externus ultimo fini hominum subordinatus (734).

473. Nullius societatis officium est omnibus individui cujusque necessitatibus consulere, sed omnis societas debet ea solum individuis subministrare, quibus comparandis nullum individuum sufficit (736).

474. Bina sunt omnis societatis generalia officia, tutela jurium individualium, atque efficax boni communis procuratio (738).

475. Actio socialis non aliter quam per socialem auctoritatem, scilicet per societatis præsidem, exerceri debet (739).

476. Ars societatis cujuslibet gubernandæ consistit in tribus mediis, jussione, persuasione ac sensibili bono, apte adhibendis ad totum hominem movendum in bonum commune (740, cor. 2).

477. Ex mala societatis publicæ gubernatione oritur sponte sua, temporis processu, justa principis male rem gerentis punitio (*Ibid.* cor. 3).

De primo jure primoque officio hominis individui respectu aliorum hominum in societate quacunque.

478. Primum sociale officium hominis individui est hoc : *Alios quosque homines ama sicut teipsum* (742).

479. Nemo tenetur alios homines quantum seipsum, amare (744).

480. Quilibet homo habet jus proprii sui boni faciendi, quatenus illud cum alieno jure minime pugnet (746).

De officiis hominis individui erga alios homines in societate quacunque respectu animi.

481. Quilibet homo erga alios homines ante omnia officio veracitatis in omni casu tenetur (749).

482. Mendacium est *antinaturale* et *antisociale* (750, cor. 1).

483. Æquivocatio ad alterum decipiendum adhibita, modo per seipsam non adversetur cogitationi ejus qui illa utitur, per se licita est (751).

484. Quisquis in societate quacunque officio *publicæ honestatis* obstringitur (753).

485. Quivis homo aliis quibuscunque hominibus observantiam, benevolentiam et urbanitatem debet (755).

(*a*) Numerus unicuique positioni subjectus indicat numerum sub quo unaquæque positio in nostra hac Summa universa jacet.

486. Quisque hominem sibi inimicum amare jure naturali obligatur (757).
487. Privatam vindictam velle in nulla societate unquam licet (758).

De juribus et officiis hominis individui in quacunque societate quoad propriam et alienam vitam tuendam.

488. Justi aggressoris et occisio et gravis læsio ad propriam vitam aut libertatem tuendam illicitæ sunt (761).
489. Injustum aggressorem occidere non licet ei qui aggressorem fuga innocua evitare potest (762).
490. Injustum aggressorem, qui leve damnum in bonis fortunæ inferre solum velit, non licet occidere (764).
491. Ei qui solis vulneribus potest injusti aggressoris violentiam prohibere, licet quidem hunc vulnerare, at eumdem occidere non licet (766).
492. Injustum aggressorem, mortem cuipiam inferre parantem, ubi non aliter possit ejus violentia prohiberi, occidere statim privato homini licet (767).
493. Quicunque ob injustam alterius aggressionem in vitæ periculum venit, habet jus ab subsidia omnium qui necessariam eidem opem afferre possunt (769).
494. Duellum privatum semper illicitum et absurdum est (772).

De dominii natura et origine tum generaliter tum pro re quaque particulari.

495. Naturalia duo jura propriæ conservationis et independentiæ necessario jus dominii pariunt (775).
496. Dominium est institutum plane naturale (777).
497. Primitiva bonorum omnium apud homines communio impossibilis et absurda est (778).
498. Ex jure naturalis independentiæ et ex facto necessariæ culturæ acquiritur homini naturale dominium, seu *proprietas* fundi stabilis (780).
499. Fundorum divisio in *nativo* quidem hominum statu nulla est, sed ad naturalem eorum statum utique illa pertinet (782).
500. Primitivæ dominii cujuslibet acquirendi rationes sunt occupatio et accessio (784).
501. Derivativæ dominii acquirendi rationes ex mutatione voluntaria sunt occupatio post simplicem possessoris dimissionem, et contractus vel unilateralis vel bilateralis (786).
502. Derivativæ dominii acquirendi rationes ex mutatione necessaria tres sunt: mors possessoris, jura competitorum, damnum rei possessæ illatum (788).

De actione hominis in societate domestica quacunque.

503. Ex naturali indigentia alieni auxilii, colloquii et amoris per se oritur inter homines associatio ad constantem convictum obligans, seu societas domestica (790).
504. Ex reciproca indolis proportione et mutua honestatis existimatione et mutua intimorum sensuum communicatione naturaliter oritur *societas amicalis* (791).
505. Societatis amicalis leges sunt personarum honestas, mutua devotio, secretum, amicalium relationum et hujus secreti perpetuitas (792).
506. Quando alterius culpa fuerint relationes amicales disruptæ, nequaquam alteri licet præterita amicitiæ secreta, nisi ob gravissimam causam, prodere (793, coroll. 1).
507. Nullus homo potest alterius hominis esse totaliter dominus (795).

508. Nullus homo potest ex naturæ legibus esse alterius hominis totaliter servus (795).
509. Quilibet homo, qui alterius hominis fit dominus, respectu aliquarum tantummodo ejus actionum dominus esse potest (797).
510. Hominis servitus sub altero homine *incompleta* et *relativa* licita omnino est (798).
511. Servitus est vel liberalis vel mechanica, vel partialis vel totalis quoad actiones homini moraliter liberas, vel temporaria vel perpetua (800).
512. Gradus *honoris* unicuique servitutis speciei debitus differt plane a gradu *dependentiæ* quam illa gignit (801, coroll. 2).
513. Servitus quandoque auctoritatem in eos quibus servitur, per accidens confert (*Ibid.*, coroll. 3).

De societatis conjugalis natura et fine.

514. Societas conjugalis ut ab hominibus ineatur, in Creatoris utique voluntate est (802).
515. Matrimonium nequaquam est omnibus et singulis hominibus obligatorium (803).
516. Perpetuus cælibatus, virtutis causa susceptus, matrimonio per se excellentior est (804).
517. Conjugalis societas, quamvis in suo principio sit voluntaria, simul tamen est status undequaque naturalis (805).
518. Matrimonii finis naturalis est humani generis perpetua propagatio (807).
519. Adæquatus matrimonii finis naturalis est non solum prolis generatio, sed illius etiam educatio physica et moralis (808).
520. Matrimonii finis naturalis per se ipse sacer est, atque ordinis spiritualis et moralis (809).
521. Matrimonium est societas domestica et amicalis (811).

De præcipuis matrimonii legibus naturalibus.

522. Matrimonium libere ab utroque conjuge contrahi debet, adeoque tum violentia, tum error quicunque in re essentiali, contractum matrimonii nullum efficiunt (813).
523. Quamvis libera cuique, naturali jure, sit sui conjugis electio, attamen tenentur eodem jure filii prudenti parentum directioni hac in re obtemperare (814).
524. Ad matrimonium ineundum essentialiter requiritur utriusque conjugis aptitudo ad prolem gignendam : quare, ubi alteruter conjugum ineptus ad hunc finem omnino sit, matrimonium est hoc ipso nullum (815).
525. Matrimonii natura ipsa postulat monogamiam simultaneam; scilicet tum polyandria, tum polygynia simultaneæ sunt jure naturali illicitæ (816).
526. Polyandria simultanea nunquam potest, jure extraordinario, licita evadere ; at polygynia potest utique a Creatore ipso permitti (817).
527. Conjugalis associatio naturaliter in conjugibus gignit jus et officium omnia bona et personalia et realia a singulis familiæ individuis possessa ordinandi ad commune familiæ bonum, nempe gignit *altum dominium domesticum* (818).
528. Conjugalis associatio est jure naturali perpetua et indissolubilis, adeoque divortium juri naturali repugnat (819).
529. Divortium et jure individuali et jure domestico et jure publico damnatur (*Ibid.*).
530. Conjugalis associatio non sensuali tantum instinctu, sed ratione potissimum regi debet (820, coroll. 1).

531. Erronea doctrina divortio favens a morum corruptione sponte sua provenit (*Ibid.*, coroll. 2, 1um).
532. Divortii fautores iidem sunt qui protestantismo, seditionibus politicis ac suicidio patrocinantur (*Ibid.* 2um).
533. Liciti divortii hæresis philosophico *sensualismo* tota innititur (*Ibid.*).
534. Divortium alicui familiæ vel populo per extraordinariam providentiam potest Creator utique permittere (*Ibid.*, coroll. 3).

De matrimonii dependentia a variis societatibus in quibus homo versetur.

535. A triplici societate, domestica, politica et religiosa, possunt variæ leges matrimonio ineundo provenire (821).
536. A societate domestica provenit lex matrimonium prohibens ob consanguinitatem vel rectilineam vel collateralem, atque ob affinitatem (822).
537. Legum matrimonia inter consanguineos et inter affines vetantium determinatio concreta ad supremam socialem auctoritatem pertinet (824).
538. Matrimonii leges ab auctoritate religiosa naturaliter dependent (826).
539. Optimo jure Ecclesia catholica vetat matrimonia *mixta* (827, coroll. 1).
540. Etiam in catholica societate licet potestati laicæ effectus matrimonii mere civiles, prout satius duxerit, ordinare (*Ibid.*).

De auctoritatis sede in societate conjugali, deque auctoritate paterna.

541. Auctoritas in societate conjugali est partim democratica, in utroque conjuge æqualiter residens; partim aristocratica, conjugi quoad realia subsidia potentiori competens; partim monarchica, ad virum principaliter pertinens : at elementum monarchicum est in hac societate præcipuum (828).
542. Societas paterna est societas inæqualis (830).
543. Paternæ societatis auctoritas est per se potissimum monarchica residens in patre, sed variis modis temperata a varia matris potestate (831).
544. Auctoritas paterna in filios non est perpetua, sed certis in sua duratione limitibus continetur (833).
545. Auctoritati paternæ subsunt tum omnes filiorum actus externi ad ordinem societatis domesticæ in qua vivunt, pertinentes, tum eorum actus interni, quantum recta eorumdem educatio postulat (834).
546. Gravissime peccant ii qui in matrimonio *mixto* promittunt alteram filiorum partem in falsa alterius parentis religione educatum iri (835, coroll. 2, 1o).
547. Optime pueri recens nati ab eorum parentibus catholicæ religioni per baptisma subduntur (*Ibid.* 2o).
548. Impia et absurda est eorum sententia qui volunt filiis nullam de religione certam notionem a parentibus ingeri, ut, quum illi adoleverint, quidquid maluerint, ipsi eligant (*Ibid.* 3o).
549. Veræ religionis, cui fuerint infantes sine suo consensu per baptismum addicti, observatio et professio est utique iisdem jam adultis obligatoria : at religionem prima ætate susceptam, statim ac adulti falsam esse agnoscunt, abjicere tenentur, ad veramque transire (*Ibid.* coroll. 3).
550. Christiana pueritia ita est instituenda, ut antequam ei paganæ litteraturæ notitia tradatur, in christianis litteris et documentis unice per plures annos occupetur (*Ibid.* coroll. 4).
551. In pueris instituendis elementa sensitiva et rationalia cum varia proportione, accommodate ad variam eorum ætatem animique indolem, sunt temperanda : nunquam tamen hæc institutio debet esse aut mere sensitiva aut mere rationalis (*Ibid.* coroll. 5).

552. Prava est puerorum illa institutio, quæ, ubi rationalia media non sufficiant, sensibiles punitiones non adhibet (*Ibid.*).

553. Publica auctoritas nullum jus habet in filiorum educationem, nisi vel ad cohibendam et puniendam illius corruptionem notoriam, vel ad tutandum filii adulti jus ad religionem socialem, invitis parentibus, transeuntis, vel ad impediendam involuntariam puerorum a religione sociali defectionem (838).

554. Publicæ auctoritati jus utique est collegia et athenæa pueris ad politiores artes moresque bonos informandis constituere et gubernare, modo ne parentes cogantur ad has potius quam ad alias scholas filios suos adducere (837, coroll. 1).

555. Ubi parentes nunquam socialem religionem professi sunt, nunquam publicæ auctoritati licet erroneam filiorum institutionem impedire aut corrigere (*Ibid.* coroll. 2).

556. Publica societas quæ *indifferentismum* religiosum profiteatur, nullum habet jus erroneæ religionis in filiorum institutione domestica impediendæ vel corrigendæ (*Ibid.*).

IN LIBRO VIII.

EX JURE CIVILI.

De civilis actionis natura et proprio modo.

557. Publicæ societatis jam formatæ triplex operationis genus est : civilis actio, politica et internationalis (840).

558. Socialis actio *civilis* est ea quæ unitate et efficacia publicæ societatis utitur ad bonum singulorum civium procurandum (*Ibid.*).

559. Socialis actio *politica* est ea quæ ad societatis universæ unitatem et efficaciam conservandam ac perficiendam spectat (*Ibid.*).

560. Socialis actio *internationalis* est ea qua singulæ societates independentes sui ipsarum et suorum membrorum bono prospiciunt in relationibus quas cum aliis societatibus independentibus habeant (*Ibid.*).

561. Socialis actio politica ad civilem, internationalis ad politicam et civilem essentialiter subordinatur (*Ibid.*).

562. Actionis civilis objectum, quoad civium tutelam, sunt tria sociorum jura, vitæ, fortunarum et libertatis ; quoad civium perfectionem, sunt tres individualium facultatum species, corporeæ, intellectuales et morales (841).

563. Proprius modus in civili actione servandus consistit in omnium et singulorum sociorum viribus ad commune bonum adhibendis cum proportionali cujusque emolumento (842).

564. Civilis auctoritas debet quantitatem socialis cooperationis ab unoquoque cive contribuendæ determinare juxta legem jurium collisorum (844).

565. Multorum jus ad fortunas nunquam potest contra pauciorum vel etiam unius ad honestatem vel ad vitam prævalere (845, coroll. 1).

566. Principio jurium collisorum neglecto, bonum publicum nequit determinari, atque adeo via certa ad omnem tyrannidem in civili actione patet (*Ibid.* coroll. 2).

567. In juribus declarandis civilis auctoritas nec potest jura pro arbitrio mutare, nec ullam vim juri declarato addit (*Ibid.*)

568. Media *theoretica* in civili ordine sunt ea quæ ab externo materialis naturæ systemate suppeditantur ; media *practica* in eodem ordine sunt, quæ a propria hominis natura per civilem actionem perficienda desumuntur (*Ibid.* coroll. 3).

569. Media ad civilem ordinem pertinentia, tum theoretica tum practica, sunt civili auctoritati apprime cognoscenda (*Ibid.*).
570. Civilis auctoritas nullo pacto est absolutum in re publica gerenda arbitrium (*Ibid.*),
571. In omni publica societate debet omnino munerum diversorum in varias personas distributio perpetua constare, uniuscujusque societatis amplitudini proportionata (*Ibid.* coroll. 4).

De civilis auctoritatis actione ad sociorum jura tuenda contra causas physicas.

572. Civilis tutela existentiæ individualis debet unicuique socio consulere tum ad necessitates consuetas abigendas, tum ad mortis ruinas reparandas (847).
573. Civium existentiam debet civilis auctoritas contra individualem inertiam et prodigalitatem, præsertim patrumfamilias, tueri (848).
574. Civilis auctoritas jure potest ac debet individualem civium luxum immodicum reprimere (850).
575. Debet civilis societas pauperum suorum, qui in magna quavis civitate semper adesse possunt, necessitatibus consulere (852).
576. Potest jure ac debet civilis auctoritas falsos pauperes mendicantes coacta detentione mulctare; at nequaquam licet eadem pœna veros pauperes mendicantes afficere (854).
577. *Monopolia* possunt utique a publica auctoritate exerceri aut permitti, quatenus tamen ea sint ad publicum bonum utilia (855, coroll. 3).
578. Individualem uniuscujusque civis existentiam contra causas physicas fortuitas tueri magis ad civilem societatem quam ad unumquemque socium per se pertinet (857).
579. Publica auctoritas debet associationes contra fortuita mala tutelares protegere, promovere ac dirigere (859).
580. Nemini jus esse potest secreta conventicula adeundi (860, coroll. 1).
581. Corporeis cujuslibet civis reliquiis earumque sepulcro honorem ac tutelam perpetuam civilis societas debet (862).
582. Jura dominii, quæ ad mortuum quemlibet hominem pertinebant, per hujus mortem ad ejusdem familiam lege naturali transeunt (864).
583. Omne jus successorium a sociali unitate provenit (865).
584. Ubi plura jura successoria colliduntur, prævalet jus illius qui cum demortuo majorem substantiæ et actionum unitatem habebat, et a quo magis pendet perpetua demortui propagatio (866, coroll. 1).
585. Familiis quæ sint politicæ constitutionis pars essentialis, jus successorium peculiare statui potest jure ac debet (*Ibid.* coroll. 2).
586. Civilis auctoritas perpetuam successionibus hæreditariis tutelam debet (867).
587. Civilis societas tutelam debet successionibus testamentariis, etiam carentibus acceptatione quæ testantis mortem præcesserit (868).

De civili sociorum perfectione per religionem socialem procuranda.

588. Civilis societas debet in majore sui ipsius perfectione sibi comparanda semper ulterius progredi (871).
589. Unitas religiosa est ad socialem perfectionem obtinendam prorsus necessaria (874).
590. Civili auctoritati nullum jus est socialis cujuspiam religionis sociis imponendæ (875).
591. Absurdum est unitatem religionis solum externam lege civili jubere (876, coroll. 2).

592. Socialis unitas religiosa per supernaturalem aliquam religionem solummodo obtineri potest, ac per illam comparari a civili auctoritate prorsus debet (877).

593. Civilis auctoritas nullum per se jus habet ritus cujuspiam religiosi determinati a sociis exigendi (879).

594. Civilis auctoritas jure potest ac debet veritates religiosas ordini sociali necessarias *negative* tueri (881).

595. Civilis auctoritas, in societate quapiam cujus membra omnia religionem divinitus revelatam susceperint, tenetur divinas leges sic revelatas venerari et exsequi socialiter, et omnia removere quæ socios in ea religione observanda exterius impedire possunt (882).

596. In societate, quæ revelationem supernaturalem rationabiliter tamquam divinam susceperit, hæc revelatio evadit lex socialis, cujus publica violatio sociale crimen est (885).

597. Societas, quæ religionem revelatam rationabiliter susceperit, potest jure ac debet omni illius mutationi humanæ, pœnis etiam inflictis, obsistere (886).

598. Ubi magna societatis pars a religione sociali defecerit, potest, et quandoque debet civilis auctoritas civilem tolerantiam erga defectores adhibere (888).

599. Jura quæ catholico principi ad socialem religionem tuendam competunt, nequeunt pagano vel hæretico principi etiam competere (889, cor. 2).

600. Religiosam unitatem ad quam societas adducenda sit, ex materiali utilitate determinare, et impium et absurdum est (890).

601. Civilis auctoritas habet jus censuræ in opiniones exterius manifestatas, quoad morales veritates fundamentales, at non item quoad veritates abstrusiores, nisi hæ per revelationem socialiter admissam certæ evaserint (892).

602. Congruentissimum est ut librorum publicam censuram viris ab Ecclesia catholica approbatis civilis auctoritas committat (893, coroll. 2).

603. Plena librorum publice edendorum libertas absurda et perniciosa etiam in ordine civili est (*Ibid.*).

De perfectione quam civilis societas subditorum mentibus suppeditare, quoad bona particularia, debet.

604. Civilis auctoritas tenetur eam omnibus et singulis sociis disciplinam, quæ ad recte et feliciter in ordine civico vivendum necessaria cuique est, suppeditare (895).

605. Socialis auctoritas civilem societati perfectionem affert potissimum et personarum et jurium et eorum materiæ et legum socialium certam notitiam omnibus et singulis sociis tribuendo (897).

606. Debet civilis auctoritas progressivam omnium scientiarum atque artium specialium evolutionem indefinite procurare (899).

607. Elementarem institutionem omnibus et singulis sociis, et altiores disciplinas paucioribus tantummodo, ingenio præstantibus, societas publica exhibere debet (901).

608. Civilis auctoritas potest ac debet technicæ puerorum institutioni opportune prospicere (903).

De civili sociorum perfectione procuranda quoad eorum voluntatem.

609. Maximum civilis auctoritatis officium est sociorum perfectionem quoad eorum voluntatem procurare (905).

610. Sola sti voluntatis humanæ socialiter perficiendæ est congruus motus

intellectui, imaginationi, passionibus ac sensibus a civili auctoritate impressus (906).

611. Debet civilis auctoritas voluntatem sociorum ad civilem perfectionem evehere recta illis judicia ingerendo, tum directe auctoritate et ratione, tum indirecte per opportuna artium quarumcunque opera (908).

612. Civili auctoritati potestas judiciaria, ut sociorum voluntates civili perfectione augeat, essentialiter competit (910).

613. Imaginationem et sensus sociorum debet civilis auctoritas perficere et negative, pravas illecebras removendo, et positive, objecta honesta simul et jucunda illis proponendo (912).

614. Honestas passiones ad civilem quamlibet virtutem utiles debet auctoritas, præmiis propositis, excitare (913).

615. In præmiis dandis binæ leges civili auctoritati servandæ sunt : 1a, ut proportio illius adsit ad opus præstitum, ad publicam æmulationem, ad promissionem datam; 2a, ut eorum sumptus, in paribus circumstantiis, magis incumbant illis individuis, quæ majorem inde utilitatem percipiant (915).

616. Objectum respectu cujus debent sociorum voluntates civili perfectione ab auctoritate ornari, est patria (916).

617. Rectus amor patriæ quinque objecta partialia respicit : hominum associationem ipsam, illius leges et instituta, personam quæ socialem auctoritatem gerit, singulos socios, domos ac territorium (917).

618. Amor patriæ in amore parentibus debito, et officio fidelitatis erga societatem et privata cujusque utilitate fundatur (919).

De civili sociorum perfectione procuranda in ordine materiali.

619. Fundamentalis lex justitiæ pro contractu quovis bilaterali est valorum utrinque mutatorum æqualitas (922).

620. Rerum valori quatuor sunt præcipuæ bases reales : publica æstimatio, raritas, operositas atque utilitas (923).

621. Unicuique rei materiali est utique certus valor objectivus, minime arbitrarius (924).

622. Commodatio est temporaria translatio juris in rem quæ usu non elabitur : mutuatio est temporaria translatio juris in rem quæ usu amittitur (926).

623. Pecunia, seu moneta, est corpus quodpiam, sed præcipue metallum, publica auctoritate signatum ad rerum valorem indicandum et alio transferendum (928).

624. Pecunia pertinet ad illud genus rerum quæ usu amittuntur (929).

625. Et damna et emolumenta ex rei traditæ dominio provenientia in commodatione cedunt commodanti, in mutuatione cedunt mutuatario (930).

626. Fundamentalis lex mutuationis est æquivalentia promissionis et pecuniæ præsentis (931).

627. Restitutionis promissio interdum præsenti pecuniæ plane æquivalet, interdum inferioris valoris est (932).

628. Quotiescunque pecunia apud mutuantem infructifera esset, nullum fenus pro ejus mutuatione exigere licet (934).

629. Civilis auctoritas ad suorum commercia, quantum potest, promovenda tenetur (937).

630. Ad commercia suorum adjuvanda debet civilis auctoritas mutuationes apud suos omni studio promovere (938).

631. Ad summarum mutuationes apud suos promovendas civilis auctoritas licite potest ac debet fenus mutuanti a mutuatario solvendum determinare (939).

632. Jure potest ac debet civilis auctoritas certos temporis limites determinare, ultra quos nemini liceat quocunque suo jure in rem ab alio possessam uti (942.).

IN LIBRO IX.

EX JURE PŒNALI.

De juris pœnalis existentia et origine.

633. Societati cuilibet jus et officium est omnia delicta oppugnandi (947).
634. In quacunque societate jus et officium auctoritati est omnia et singula delicta congrue puniendi (948).
635. Nequaquam necesse est judiciariam et executivam potestates in diversis personis seorsim residere (949).
636. Supremæ auctoritatis publicæ necessitas h nudquaquam a sola potestatis judiciariæ necessitate provenit (*Ibid.*).
637. Suprema socialis auctoritas jus, ei qui deliquerit, aliquando parcendi, salvo publico bono, ex sua ipsius natura possidet (950).
638. Jus pœnale societati nequaquam primarie et complete provenit a jure suæ propriæ defensionis (953).
639. Jus pœnale habet auctoritas ex naturali suo jure et officio socialis ordinis custodiendi (954).
640. Punitio ab auctoritate inflicta triplicem respectum habet : individualem, socialem, universalem (955, coroll. 1).

De propriis juris pœnalis fine et medio.

641. Punitionis ab humana societate infligendæ triplex finis est : delinquentis correctio, ordinis socialis reparatio, sociorum efficax admonitio (956)
642. Proprium medium, quo fines punitionis obtinentur, est boni sensibilis subtractio (958).
643. Illud potissime e bonis hominis sensibilibus delinquenti est subtrahendum, cujus privatio magis directe opponitur delicti incitamentis (959).
644. In pœna infligenda non organismi læsio per se, sed doloris sensus inde proveniens intendi ex rationis ordine debet (*Ibid.*).

De justis pœnarum proportionibus.

645. Socialis punitio pro ratione tum perturbationis productæ in ordine externo, tum damni realis præteriti et futuri, tum perversionis judiciorum et in delinquente et in aliis sociis partæ infligenda est (960).
646. Eo perfectior est lex pœnalis, quo magis illa tendit ad excitandum delicti potius quam pœnæ horrorem (961, coroll. 1),
647. Quando punitio ad delinquentem corrigendum nihil prodest, ea tamen in ordine ipso individuali minime, ne tunc quidem, inutilis est (*Ibid.* coroll. 2).
648. Punitio debet esse proportionata apprehensioni boni sensibilis ad certum delictum incitanti, ejusdem boni obtinendi probabilitati, proximitati ac durationi (962).
649. Auctoritas debet socios præmunire per alieni delicti punitionem, quæ sit publica, publice habita pro justa, evidenter superans delicti utilitatem, et nullam ejus vitandæ spem rationabilem relinquens (963).
650. Socialis punitio debet ex æqua proportione tum ad delinquentis indolem, tum ad gradum inordinationis quæ in delicto sit, accommodari (965).
651. Pœnarum qualitas debet congruenter ad diversas sociorum classes aptari (966).

652. Socialis punitio debet cum justa proportione non ad moralem, sed ad civilem delicti culpabilitatem et ad ejus gradus integrales accommodari (968).

653. Socialis malitia delicti quinque præcipuos gradus habet, priores posterioribus majores : delictum contra religionem socialem, delictum contra publicum ordinem, delictum contra privatam personam, delictum contra privati familiam, delictum contra privati fortunas (969).

654. Delicti exsecutio integralis quinque gradus habere potest, posteriores prioribus majores, qui sunt : delicti externa comminatio, delicti pertentatio, delicti exsecutio effectu carens, delicti exsecutio effectum obtinens, delictum habituale seu recidivum (971).

De persona punienda, et de maxima pœna quæ infligi ab humana societate possit.

655. Nunquam societati licet personam omnino insontem, quamquam se ultro offerentem, in locum sontis ad pœnam delicti luendam substituere : at potest utique acceptari voluntaria compensatio pro materialibus damnis alieno delicto illatis (972).

656. Qui individualiter innoxius est, potest socialiter puniri, si socialiter noxius sit (974).

657. Pœnas, quæ per accidens e delinquentis punitione in insontes redundant, non tenetur societas impedire (975, coroll. 1).

658. Capitale supplicium est necessarium ad societatem tuendam, adeoque licitum (977).

De delictis præveniendis, seu de politia.

659. Socialis auctoritas debet delicta, antequam committantur, opportunis cautionibus impedire (979).

660. Politiæ administratio debet maximum securitatis per minimum impedimentorum præbere (981).

661. Bonum quodvis, mediis a politia adhibitis obtinendum, debet, tum in se ipso tum in suis omnibus circumstantiis, esse superius bono sociali quod ea media impediunt (982).

662. Politiæ non licet præceptis constantibus actiones alias, sive individuorum sive consortiorum, quam publicas dirigere (984).

663. Politiæ licet præceptionibus accidentalibus ac transitoriis in privata consortia penetrare, ut eorum vitia corrigat (985).

664. Accidentales præscriptiones ad internum ordinem in particulari consortio restaurandum adhibere politiæ non licet, nisi ob externa indicia flagitiorum in eo consortio impune commissorum (986).

665. Investigationes politiæ possunt ac debent esse occultæ; at solum usque ad delinquentis comprehensionem, post quam debet delinquenti accusatio tota manifestari; ejusque detentio ante condemnationem, non punitionis, sed cautionis tantummodo rationem habere debet (987).

666. Eo major atque exploratior probitas in politiæ ministris exigenda est, quo occultiora media illis ad delicta prævenienda committuntur (988).

IN LIBRO X.

EX JURE POLITICO.

De persona ad quam jura politica pertinent in societate pacata.

667. Jus et officium societatis politice ordinandæ est ei soli personæ in qua publica auctoritas residet (991).

668. Jura politica sunt complexio omnium moralium potestatum quæ requiruntur ad societatem sic ordinandam, ut ea socios tueri ac perficere possit (992, coroll. 1).

669. Inter jus civile et jus politicum hoc differt, quod juris civilis objectum est singulorum sociorum felicitas, objectum autem juris politici est societatis universæ recta dispositio (*Ibid.*).

670. Jus politicum suapte natura subordinatur ad jus civile (*Ibid.*)

671. Jura politica sunt per se, salvis alienis juribus, alienabilia (994).

672. Jurium politicorum alienabilitas æque ad monarchiam et ad polyarchiam pertinet (995, coroll. 1).

673. Illicita est jurium politicorum abdicatio, quoties bonum inde proveniens est minus bono quod per illam impeditur (*Ibid.*, coroll. 2).

674. Aliud est juribus politicis renuntiare, aliud ea transferre (*Ibid.*, coroll. 3).

675. Hæreditariæ ad principatum successiones non ex solo societatis bono, sed ex socialibus quoque personarum factis jus ad principatum tribuentibus determinandæ sunt (996).

676. Principatus est hæreditarius, quoties jus illius originarium fundatur titulo hæreditarie transmissibili, et primus possessor voluit illud ad suos hæredes transmittere (998).

677. Gravissimo officio tenetur princeps optimæ educationi pueri ad principatum destinati efficaciter prospicere (999, coroll. 2, 2°).

678. Leges successionis in principatum primitivas potest aliquando princeps immutare, si boni publici necessitas id postulet, sed quantum solummodo hæc necessitas postulat (*Ibid.*, 3°).

De iis ad quos jura politica pertinent in societate perturbata.

679. Præceptum principis juri naturali nullatenus contrarium, sed publico bono inutile, subditos quosque utique ad parendum obligat (1001).

680. Absoluta intelligentiæ absentia, vel absoluta voluntatis contra publicum bonum malitia principem alterutra constanter laborantem omni auctoritate privant; at temporaria intelligentiæ suspensio, vel partialis malitia voluntatis contra bonum publicum auctoritatem illius solummodo suspendunt (1004).

681. Ubi de tota principis auctoritate ambigitur, in tali controversia princeps et populus pares sunt, eorumque lis per principium possessionis decidenda est (1007).

682. Quoties princeps est absolute independens, nulla est humana potestas, cui liceat illum in judicium adducere et principatu spoliare (1008).

683. Ubi principatus libere a populo collatus est, et mali regiminis castigandi jus iste sibi reservavit, licet utique populo legitime congregato de principe judicare, eumque, si opus sit, principatu spoliare (1009).

684. Quoties superior aliquis princeps adest, qui jus inferioris principatus protegendi habeat, ad superiorem eum principem attinet de inferiore principe tyrannice gubernante judicare (1009 *bis*).

685. *Tyrannicidium privatum* nunquam ulla de causa licitum esse potest (1010, coroll. 4).

686. Principe et omni ejus legitimo successore deficientibus, jura politica ad universam sociorum multitudinem revertuntur; sed temporarie ab iis qui particularibus consortiis præsunt, gerenda sunt, donec novus a populo universo principatus sit constitutus (1012).

687. Potestatem inviolabilem nequit princeps in concreto a populi voluntate habere (1013, coroll. 2, 1).

688. Nequit principis individui potestas esse inviolabilis ex divina ordinatione (*Ibid.* II).

689. Politicus principatus nequit populo absolute et generaliter, supra eos qui rem publicam gerant, competere (*Ibid. III*).
690. Nulla tertia persona in ordine mere politico esse potest, cujus judicio principis plane independentis causa politica subjiciatur (*Ibid. IV*).

De diversis jurium politicorum speciebus universim, et de potestate constituente.

691. Politicæ auctoritatis duæ præcipue functiones sunt: altera quæ sociorum facultates per mentium, voluntatum, corporum et fortunarum conjunctionem; altera quæ sociorum actionem, cognitionem illis et voluntatem et potestatem boni peragendi suppeditando, perficit (1022).
692. Jurium politicorum quatuor species sunt: potestas constitutiva, potestas deliberativa, potestas legislativa et potestas exsecutiva, quæ quadruplici parte constat: gubernatione, administratione, judiciis et vi publica (1024).
693. Absoluta libertas de re politica publice loquendi aut scribendi subditis concessa omnino absurda et perniciosa est (1027).
694. *Ratio Status* licita unica est, scilicet justitia ad ordinem politicum applicata (1028).
695. Quæcunque ratio Status a justitiæ legibus aliena societatem quamlibet, quæ illa regatur, necessario labefactat (1029, coroll. 2).
696. Ad materialem unitatem politicam societatis constituendam duo elementa conjungenda sunt, unitas politici organismi et unitas territorii (1030).
697. Formæ organicæ ac territorium societati cuique convenientia sunt illa quæ cum primitivo facto associante consentiunt (1031).
698. Quæ in primitiva societatis politicæ constitutione non fuerunt modo irrevocabili decreta, possunt ob commune bonum deinceps mutari: at quæ jura politica fuerunt irrevocabiliter concessa, ea sine partium consensu mutari amplius non possunt (1033).

De potestate deliberativa.

699. Primum deliberativæ protestatis morale officium est, individuorum consociatorum verum bonum pro fine proprio sibi præfigere (1036).
700. Inepta omnino sunt ad suum munus explendum ea corpora deliberantia in quibus religionis contemptus dominetur (1037, coroll. 2).
701. Debet a potestate constituente societas politica ita ordinari, ut membra corporum deliberantium per ipsam politici organismi vim ferantur ad recte justeque deliberandum (*Ibid.*, coroll. 3).
702. Potestatis deliberativæ officium est omnia quæ ad societatis bona spiritualia, ad bona sensibilia, ad utrorumque securitatem pertinent, cognoscere (1038).
703. Media adhibenda ad necessitates sociales cognoscendas debent potissimum esse veridica et pacifica (1040).

De potestate legislativa.

704. Quælibet lex debet justa esse, nimirum et justa præcipere et juste ferri (1043).
705. Omnis lex particulari societati, cui imponitur, universe utilis esse debet (1045).
706. Omni legi triplex constantia essentialis est: ex parte legislatoris, ex parte subditorum, ex parte ipsius legis (1047).

707. Quælibet lex debet esse apta respectu societatis cui imponitur, individue sumptæ (1048).
708. Legislator, etiamsi monarcha sit, ad suas leges observandas et ipse moraliter tenetur (1050).
709. Nulla lex fieri potest ab alio quam a superiore politicam supremam auctoritatem gerente (1053).
710. Non omnes subditorum actus possunt lege politica determinari (1055).
711. Omnis lex debet subditis quibus imponitur, esse moraliter possibilis (1057).
712. Debet lex perspicuis verbis enuntiari (1059).
713. Lex debet publice proponi (1060).
714. Lex, congrua sanctione addita, efficax esse debet (1061).
715. Præcipuum potestatis constituentis respectu potestatis legislativæ officium est, talem huic formam constituere, ut suapte natura ab omni partium studio aliena futura sit (1063).
716. Difficile est boni publici studium sincerum a cœtibus legislativis per contrariarum partium et propensionum collisionem obtinere (1064, coroll. 1).
717. Potestas constitutiva debet potestatem legislativam ita constituere, ut legislatores ii futuri sint, qui probitate, prudentia et doctrina præcellant (*Ibid.*, coroll. 3).

De potestate exsecutiva quoad societatis gubernationem.

718. Ad conjugia individualiter et directe determinanda nullum politicæ potestati jus est (1065).
719. Sociorum multitudo crescens est quidem per se bonum quoddam sociale, sed solum intra limites proportionis ex bono societatis et physico et morali determinatos (1067).
720. Moderata sociorum multiplicatio a sociali auctoritate utique procuranda est (*Ibid.*).
721. Media ad sociorum multiplicationem promovendam idonea sunt: domesticarum societatum libertas, socialium divitiarum incrementa, perfecta veræ religionis observatio (1068, coroll. 1).
722. Tunc solum individuo cuipiam vel consortio particulari illicita est emigratio, quando facto associante vel individua quæque vel consortia particularia ad permanendum obligata sunt (1070).
723. Propter bonum publicum licet politicæ auctoritati emigrationem certo sociorum numero præcipere, modo juste singulorum damna compensentur (1071, coroll. 2).
724. Politicæ cujusvis societatis tres partes organicæ esse debent: princeps, ministri et populus (1072).
725. Politicæ auctoritatis officium est principis et physicæ existentiæ, et morali educationi, et constanti probitati diligenter prospicere (1074).
726. Rei publicæ administris congrua stipendia a societate utique retribuenda sunt (1076).
727. Stipendium debet cum proportione accommodari et subjecto, et hujus detrimentis, et ejusdem aptitudini, et ejus diligentiæ, et sociali necessitati (1078).
728. *Societatis gubernantis* organica dispositio tanto melior est, quanto est minor et munerum et administrorum numerus, paribus utilitatibus servatis (1079).

De potestate executiva quoad bonorum socialium administrationem

729. Modicorum prædiorum nimia multiplicatio publico et privato bono vehementer nocet (1081)
730. Lex agraria, quæ veteres agrorum possessores spoliando fortunas sociorum exæquare conetur, et injusta et absurda est (1082, coroll. 2),
731. Nimia prædiorum divisio congruis legibus impedienda est (*Ibid.*).
732. Divitiarum gignendarum tres modi sunt: prima materiæ productio, ejus nova formatio, illius comportatio (1083, not. 2.):
733. Ad potestatis exsecutivæ officium pertinet suas divitias cum justis proportionibus augere (1084).
734. Productio mercium et consumptio ad perfectum æquilibrium necessario tendunt in societate solitaria, atque in tali solummodo societate ad æquilibrium tendere possunt (1085).
735. Essentiale productionis excitamentum est mercium productarum venditio (1087).
736. Ad proportionalem mercium permutationem, seu venditionem, medium necessarium est pecunia (1088).
737. Sociales divitiæ, proprie loquendo, non in pecuniæ formaliter dictæ, sed in rerum per se utilium copia consistit (1089).
738. Divitiæ sunt proprie res materiales quæcunque ad vitam hominis sustentandam et expoliendam per se utiles (1090).
739. Potestas executiva habet verum et proprium jus tributa subditis imponendi (1092).
740. Tributa subditis imponere non licet nisi ad commune bonum necessaria et ad communem necessitatem proportionata (1094).
741. Tributa debent quam minima subditis imponi (*Ibid.*)
742. Tributa debent proportionate imponi tum ad cujusque facultates, tum ad detrimentum ex iis cuique proveniens (1095).
743. Tributa directa iis tantum imponenda sunt, quibus illa directe sunt utilia futura (1097).
744. Tributa ita imponenda sunt, ut ea nunquam summas capitales, sed solos redditus afficiant (1098).
745. Tributorum collectio facilis et quam minime sumptuosa esse debet (1100).
746. Tributa debent publicæ potissimum honestati, cæterisque præterea bonis socialibus favere (1101).
747. Tributorum exigendorum modus duplex est: directus, qui in divitias ab unoquoque possessas, et indirectus qui in merces ab unoquoque consumptas cadit (1102).
748. Tributa directa triplici modo exigi possunt: vel ratione annui redditus quem quisque ex suis fundis percipiat, vel ratione annui sumptus quem quisque faciat, vel ratione annui lucri quod cuique illius industria pariat (1103).
749. Tributa indirecta quinque præsertim modis imponi possunt: scilicet vel in quantitatem mercium, vel in earum qualitatem, vel in totam productionis industriam; tributa vero in mercium quantitatem imposita possunt directe afficere earum vel productionem, vel translationem, vel venditionem (1104).
750. Publici æris alieni contractio quatuor præsertim legibus subesse debet, ut nempe ea sit necessaria, ut honesta sit et honeste administretur, ut sit fidelis, ut ad illud dissolvendam tendatur (1106).

De potestate executiva quoad difficultates morales ordini sociali obstantes superandas.

751. Supremæ auctoritatis politicæ propria est potestas judiciaria (1108).
752. Potestatem judiciariam in ampliore quavis societate debet suprema socialis auctoritas ad varias auctoritates subordinatas transfundere; interdum etiam debet eamdem ad tempus omnino abdicare (1110).
753. In societate hypotactice composita, potestas judiciaria uniuscujusque consortii, in iis omnibus quæ ad proprium illius esse spectant, a suprema sociali auctoritate nequaquam provenit (1112).
754. Judiciariæ potestati duplicis ordinis functiones sunt, civiles et pœnales (1114).
755. Judiciorum a potestate judiciaria factorum perfectio consistit in plena et notoria omnis juris restauratione contra quamcunque injustitiam (1115).
756. Socialis judicii quinque elementa sunt: accusatio, contentio, lex, conscientia judicis et sententia; quibus duplex appendix est, appellatio et executio (1117).
757. Ad sententiam in quacunque causa dicendam debet judex criteriis simul et legali et morali apte compositis uti (1119).
758. Ex jure naturali semper licet subdito, absolute rem spectando, a sententia auctoritatis inferioris ad superiorem appellare: at suprema auctoritas potest utique ac debet certos hisce appellationibus limites statuere (1121).
759. Potestati judiciariæ semper jus est jubendi comprehensionem hominis cujuslibet, quem delicti gravia indicia premant (1123).

De potestate executiva quoad materiales causas bono publico obstantes superandas, seu de vi publica.

760 Triplici vi pollere socialis auctoritas debet: civili, politica et bellica (1125).
761. Vis publicæ perfectio a quatuor capitibus pendet: ab obstaculis per illam superandis, et a securitatis stabilitate obtinenda, breviore tempore, ac minore sumptu (1127).
762. Vis publica congruo præsertim numero militum, vel ultro vel coacte ad vexilla convenientium, aptoque illorum ordine communienda est (1128).
763 Voluntaria militum conscriptio duplicem maxime libertatem postulat, hominis nempe conscribendi, et ipsius conscriptionis (1130, coroll. 1).
764. Coacta militum conscriptio tunc solum est sociali auctoritati licita, quando rei publicæ vera necessitas id postulat (*Ibid.* coroll. 2).
765. Coactæ conscriptionis onus æqua proportione in omnes societatis partes distribuendum est (*Ibid.* coroll. 3).
766. Civi cuilibet permittendum est, ut sese a militia, homine valido aptoque in sui locum suffecto, eximat (*Ibid.* 3um).
767. Principi utique licet arces et castella, etiam ad populum coercendum construere (*Ibid.* coroll. 5).

De jurium politicorum distributione.

768. Jura politica non sunt in plures personas, nisi ob veram necessitatem, distribuenda (1132).
769. Nulla est universalis et absoluta necessitas, a sociali bono proveniens, jura politica in plures personas distribuendi (1133).

770. Varia supremæ auctoritatis jura sic disponenda penes principem sunt, ut vis materialis semper sit vi materiali subordinata (1134).

771. Tres sunt rationes vim materialem vi morali penes principem subordinandi : prima materialis, altera moralis, tertia mixta ; quarum bonitas a præsenti societatis statu morali pendet (1135).

772. Jurium politicorum in plures personas divisio eo magis necessaria est, quo magis apud talem societatem moralis conscientiæ vis languet ; eo minus necessaria est, quo magis moralis conscientia apud eamdem viget (1136, coroll. 1).

773. Politicum regimen omnium perfectissimum est illud, in quo nulla est necessaria jurium politicorum in plures personas divisio (*Ibid.* coroll. 3).

774. Democratia est per se regimen politicum omnium maxime imperfectum (*Ibid.*).

IN LIBRO XI.

EX JURE INTERNATIONALI.

De officiis internationalibus in statu pacato ad politicam societatum æqualium existentiam pertinentibus.

775. Primum juris internationalis principium est, unamquamque nationem ita cum alia natione quavis agere oportere, ut ejus felicitatem pro viribus promoveat (1138).

776. Cuicunque nationi hoc jus pariter commune est, ut ne ab alia natione impediatur, quin bona suorum omnia tueatur et foveat (1139, cor. 1).

777. Relationes internationales non possunt aliter quam per solos nationum principes exerceri (*Ibid.* coroll. 2).

778. Inter nationem quampiam et individuum hominem independentem potest utique relatio internationalis intercedere (*Ibid* coroll. 5).

779. Unaquæque natio debet alii cuicunque nationi efficaciter optare et statum politicum illi debitum, et actionis politicæ perfectionem (1140).

780. Quælibet natio naturali officio tenetur alias nationes contra injustam quamvis aggressionem pro viribus defendere (1142).

781. Ubi prima seditionis germina apud aliquam nationem pullulent, alia quævis natio debet illi opem ferre ad periculum et cognoscendum et propulsandum (1144).

782. Asylum apud vicinos populos perturbatoribus alterius nationis ita concessum, ut il possint porro eam nationem perturbare, juri naturali repugnat (1145).

783. Ubi civile bellum apud aliquam nationem eruperit, quævis alia natio, in auxilium vocata, tenetur naturali officio jus prævalens apud illam, quantum potest, vi et armis propugnare (1146).

784. Natio quælibet, ut statuat utri partium dissidentium adhæsura sit, non utilitate sua, sed una causæ justitia moveri debet (1147).

785. Quamdiu apud societatem internis motibus turbatam politica illius auctoritas quæcunque satis valida stat, nulla alia natio, nisi ab illa advocetur, jus habet interveniendi ad eos motus apud eam sedandos : at potest utique ac debet alia quævis natio, etiam non vocata, in hunc finem pro viribus intervenire, statim ac omnis politica auctoritas apud illam sit eversa aut prorsus impedita (114?)

786. Si quis, legitimo principe dejecto, principatum injuste apud nationem quamlibet usurpaverit, omnes nationes aliæ, nisi obstet præscriptio,

possunt ac debent pro viribus legitimo principi opitulari ad illum in jura sua restituendum (1149).

787. Quotiescunque ex internis motibus qui nationem aliquam perturbant præsens periculum vicino populo gignitur, potest hic vi et armis apud illam ad turbas compescendas intervenire (1150).

788. Pravæ doctrinæ nationem aliquam perturbantes, tunc solum finitimis nationibus jus armati interventus tribuunt, quando illæ aggressionis injustæ loco adversus vicinos jure ac merito haberi possunt (1151).

De officiis internationalibus in statu pacato ad materialia societatum æqualium bona spectantibus.

789. Societas quælibet, non secus atque homines individui, proprio dominio res possidere potest (1153).

790. Publicæ auctoritati duplex sociale dominium est : alterum *tutelæ* in res a suis subditis privatim possessas ; alterum *administrationis* in res a societate communiter possessas : et in utrasque habet illa jus *regiminis* exclusivum (1155).

791. Determinati quidam tractus maris, spectati ut res quædam fructiferæ, possunt utique sub dominium et privatum et politicum cadere (1158).

792 Quævis natio habet verum dominium in eos tractus maris, quamvis infructiferos, quorum possessio est illi exclusive necessaria (1159).

793. Cuivis nationi in mare etiam infructiferum, ejus terras alluens, competit dominium politicum tanto spatio, quantum illi ad sua littora tutanda et maritimas vias liberas sibi servandas necessarium est (1161).

794. Omnes tractus maris, qui nulla privata industria sunt occupati et nulli populo sunt exclusive necessarii, nulli particulari dominio obnoxii sunt (1163).

795. Quælibet natio tenetur naturali officio societatem internationalem cum cæteris omnibus populis inire ; quod officium, ex parte negativa est absolutum, ex positiva, hypotheticum (1165).

796. Si quod mare alicui nationi cujus terras alluit, magis quam aliis quibusdam sit necessarium, et jam fuerit ab illa occupatum, hæc sola natio habet politicum dominium in hoc mare ; liberum tamen illa cæteris nationibus transitum quo egent, permittere debet (1167).

797. Plena commercii cum aliis populis libertas cuivis nationi a publica auctoritate est conservanda, quamdiu hæc libertas nullo jure vel officio valid ore colliditur (1168, coroll. 2).

De officiis internationalibus in statu pacato ad bonorum moralium inter societates æquales communicationem attinentibus.

798. Ob internationalis veracitatis officium, amicales alterius gentis legationes respuere nulli nationi unquam licet (1170).

799. Legatus seu nuntius quilibet, nationi ad quam ab alia natione est missus, debet omnino et semper esse inviolabilis (1172).

800. Legato seu nuntio cuilibet, quamdiu apud populum ad quem est missus, cum tali munere versatur, nihil ei populo utcunque noxium tentare licet (1173).

801. Nulla auctoritas humana habet jus religionis quam ipsa forte sequatur, alii populo imponendæ (1176).

802. Nulli nationi est naturale jus vi et armis ultro interveniendi ad falsam apud alium æqualem populum evertendam religionem, quæ nullum vicinis grave periculum creet (1178).

803. Ubi falsa religio, quam vicinus populus profitetur, vicinos invadere conatur, si nullum ea sociale principium neget, nulli genti licet armis contra illam apud vicinum populum intervenire; at, si quid ea sociale principium aperte infirmet, quælibet alia natio jure potest eamdem apud vicinum populum ultro etiam armis oppugnare (1179).

804. Si qua natio ab aliquo populo, qui ob religionis causam vel contra suum principem bono jure insurgat, vel contra ejusdem populi partem alteram sese defendat, in auxilium ad ejus religionem tuendam vocetur, potest utique illa armis opitulari ei parti, pro qua jus validius stat (1180).

De officiis internationalibus in statu hostili.

805. Bellum est publica pugna alterius nationis contra alteram vi et armis ad jus tuendum concertantis (1183).

806. Jus belli ad amorem ipsum internationalem pertinet (1184, coroll. 1).

807. Bellum nec denuntiari, nec geri, nec abrumpi, nisi a suprema cujusque nationis auctoritate, jure potest (1185).

808. Ubi suprema auctoritas publica bellum evidenter et absolute necessarium suscipere negligat, ad auctoritatem particularem ejus societatis quæ in præsenti discrimine versatur, jus belli gerendi pertinet (1186, coroll. 1).

809. Bellum nequit jure suscipi, nisi ob commune bonum particularis societatis, a qua illud gerendum est (1187).

810. Bonum societatis honestum obligatorium semper est finis legitimus ob quem bellum ab auctoritate jubeatur : at non item sociale bonum simplicis convenientiæ (1188).

811. Si ob moralem rei bonitatem non obligatoriam bellum subditi expostulent, auctoritatis officium est, eos qui ultro se offerant, ad bellum mittere (1189, coroll. 1).

812. Publica utilitas est semper sufficiens ratio ad bellum aliunde justum suscipiendum, modo illa sit manifeste major publico detrimento quod ex bello timetur (1190).

813. Belli determinati justitia postulat, ut, antequam illud inferatur, monitiones frustra opportunæ præcesserint (1193).

814. Justæ belli inferendi causæ omnes ad tres istas pertinent : ad ordinis moralis restitutionem, ad damnorum reparationem, et ad periculi propulsationem (1194).

815. Nationi læsæ eadem jura sunt ad bellum inferendum et in nationem quæ damnum peperit, et in aliam quamlibet, quæ in damno creando cooperetur (1195, coroll. 1).

816. Quæ natio habet jus ad alteram nationem bello appetendam, habet etiam jus vetandi ne ulla gens illi alteri merces per se ad belligerandum utiles suppeditet; nequit tamen jure vetare, ne cum illa merces per se innocuæ communicentur (1196).

817. Nunquam licet bello aliam nationem lacessere ideo solum quia materialis ejus potentia nimium excrevit : ut eam liceat bello præoccupare, debet ejus mens belli quam primum inferendi certo prius cognosci (1198).

818. Natio injuste læsa potest optimo jure nationem bello subactam omnibus vinculis seu physicis seu moralibus obstringere, quæ ad suorum jurium partæque victoriæ conservationem necessaria sunt (1200).

819. Quamdiu spes affulget boni juris bello satis commode tuendi, nunquam potest socialis auctoritas permittere ut duello, quamvis publica auctoritate suscepto, res dirimatur (1208).

820. Si quis populus, injusto bello a natione longe potentiore appetitus, certo

prævideat ab illa sese opprimendam esse, potest utique duello tem suam credere (1204).

821. Bellum ita gerendum est, ut ad æquam pacem obtinendam perpetuo spectet (1207).

822. Bellum ita gerendum est, ut omnis læsio ad violata jura vindicanda inutilis, omnino et constanter vitetur (1208).

823. Ut bellum moderate agatur, liber hosti aditus ad sinceras pacis conditiones proponendas semper concedendus est (1209).

824. Justæ belli moderationi repugnat læsio quælibet hominum vel rerum, a quibus nullum hosti obstaculum timendum est (1211).

825. Belli moderatio vetat, ne quis pugnator sese ipsum læsioni cuipiam, pugnare ac resistere pergendo, exponat, statim ac certo constet inutilem omnino talem perseverantiam fore (1213).

826. Neutri belligerantium parti licet ullis ad hostem lædendum uti mediis, quorum vim maleficam, ut semel fuerit excitata, nequeat ullo pacto dirigere (1215).

827. A novorum armorum magis lethalium usu inducendo, quoties facile hostis eadem adhibere potest, constanter abstinendum est (1216).

828. Necessaria belli moderatio vetat, ne quod malum morale natio belligerans vel ipsa adversus hostem committat, vel apud hostem ab aliis committi curet (1217).

De juribus et officiis internationalibus in particulari quavis societate internationali, seu Jus Ethnarchicum.

829. Internationalis societas particularis, sive ethnarchia, nequit aliunde quam a libera pactione oriri (1220).

830. Ethnarchica associatio ex communi constantis commercii et ordinis reciproci indigentia, qua plures nationes premuntur, tamquam ex naturali occasione, in ordine mere naturali enascitur (1222).

831. Cuilibet ethnarchiæ auctoritas quædam ethnarchica præesse debet (1225).

832. Principatus forma naturaliter ethnarchiæ conveniens est polyarchia (1227).

833. Juris internationalis observantia nequaquam a libera nationum sociarum voluntate pendet (1228, coroll. 3).

834. Ethnarchiæ cujuslibet finis est propriam singulis nationibus associatis constitutionem tueri, easque omnes simul ad majorem perfectionem promovere (1230).

835. Civica ethnarchicæ auctoritatis actio illud primum spectare debet, ut internam unitatem et externam independentiam singulis nationibus sociis integras conservet (1232).

836. Auctoritatis ethnarchicæ jus et officium est, querelas principum contra eorum subditos, et subditorum contra eorum principes cognoscere ac judicare (1233)

837. Ethnarchicæ auctoritatis actio legitima nequaquam nationum independentiæ repugnat, sed ei potius vehementer favet (1235).

838. Triplicem perfectionem, honestatis, utilitatis et amplitudinis, apud nationes singulas associatas auctoritas ethnarchica promovere debet (1237).

839. Auctoritati ethnarchicæ jus et officium quidem est impediendi ne principia publicæ honestatis, ad societatis cujuslibet existentiam necessaria, publice apud nationes socias evertantur; at nequaquam jus eidem est ullius peculiaris religionis ulli gentium associatarum per vim utcunque imponendæ : potest tamen suasionibus uti ad religionem veram apud

illas propagandam, atque eas quæ fidem veræ religioni publice datam publice violaverint, punire ac vi continere (1239).

840. Ethnarchicæ auctoritati jus et officium est augendi ac perficiendi apud nationes associatas omnia quæ ad justum et congruum illarum politicum regimen conferunt (1241).

841. Omnes et singulæ nationes ad ethnarchiam aliquam pertinentes tenentur obedire ethnarchicæ auctoritati in iis omnibus et iis solis quæ ad commune ethnarchiæ bonum spectant (1242).

842. Ethnarchiæ constitutio quælibet, ut per se justa sit, nulli sociarum nationum potiorem auctoritatem, quam cæteris, attribuere debet (1245).

843. Ethnarchiæ nullum jus est finium territorii ad ullam e sociis nationibus pertinentis, ipsa invita, mutandorum (1247).

844. Auctoritas ethnarchica primum quoddam principium politicum sequi debet, quod non aliud esse potest quam justi et honesti inviolabilitas (1249).

845. Triplex cognitio politica auctoritati ethnarchicæ necessaria est : prima, quæ ad internas singularum nationum sociarum relationes; altera, quæ ad communes earumdem relationes cum aliis nationibus sociis; tertia, quæ ad externas earum cum exteris gentibus relationes spectat (1250).

846. Ethnarchiæ membra, quoad relativam eorum potentiam materialem, ita sunt constituenda, ut in legibus ethnarchicis ferendis omnes et singulæ nationes sociæ pari omnino jure in re ipsa utantur (1251).

847. Suprema judiciaria potestas ethnarchica nulli melius potest competere quam universali christianorum Pontifici, Romano Protarchæ (1252).

IN LIBRO XII.

EX JURE CHRISTIANO.

De jure christiano in morali philosophia prorsus tractando.

848. Omnis tractatio philosophiæ moralis est prorsus inutilis, imo perniciosa, nisi ad supernaturalem doctrinam animos ubique præparet, ad eamque perducat (1254).

849. Moralem philosophiam a doctrina supernaturali prorsus *separare*, sophisticum et impium est (1255).

850. Juris naturalis scientia conjungenda est cum scientia juris christiani, tamquam cum complemento plane illi necessario (1256).

De sociali Ecclesiæ christianæ natura.

851. Societatis christianæ finis proprius est supernaturalem felicitatem æternam per media a Christo Domino præscripta obtinere (1264).

852. Societatis christianæ perfectio sita est in efficacia qua socialem operationem illa impellit ad finem suum supernaturalem obtinendum (1265).

853. Ecclesia christiana est societas eorum hominum, qui interna assensione adhærent omnibus quæ Christus Dominus credenda et facienda docuit ac præcepit (1266).

854. Ecclesia christiana aptissime sic definitur, ut sit societas eorum qui doctrinam Christi profitentur sub Romani Pontificis supremo regimine et magisterio (1267).

855. Christiana Ecclesia est societas quædam *specialis* (1270).

856. Ecclesia christiana est societas *spiritualis* (1271).

857. Christiana Ecclesia est essentialiter *visibilis* (1272).

858. Absurdi sunt qui ex natura Ecclesiæ spirituali colligunt nullum jus in res materiales eidem competere (1273).

859. Ecclesia christiana est essentialiter *unica* (1274).

860. Ecclesiæ unitas *visibilis* nequit aliunde oriri quam ex unitate Romani principatus et magisterii (1275).

861. Ecclesia est essentialiter *independens* in iis omnibus quæ ad ejus finem ejusque media propria spectant (1276).

862. Christiana Ecclesia, doctrinis præceptisque Christi Domini sub Romani Pontificis supremo magisterio adhærens, est essentialiter omnibus plane hominibus *obligatoria* (1277).

863. Christiana ethnarchia, seu *Christianitas*, est nationum independentium societas facta in ordine ad finem et media Ecclesiæ christianæ propria per communem jurium viriumque civilium et politicorum cooperationem (1278).

864. In Christianitate sunt essentialiter binæ auctoritates ethnarchicæ supremæ plane distinctæ, atque in diversis personis residentes (1280).

865. Suprema auctoritas ethnarchica temporalis in Christianitate est essentialiter supremæ auctoritati ecclesiasticæ subordinata (1282).

866. Temporalis auctoritas ethnarchica suprema Christianitatis nequit residere in persona ulla quæ christianæ Ecclesiæ membrum non sit (1284).

867. Ethnarchia christiana est suapte natura omnium quæ inter humanas gentes jungi possint, perfectissima (1286).

De ecclesiastica Protarchia a Christo Domino instituta.

868. Ecclesiasticæ auctoritatis proprium objectum est externam sociorum operationem omnem ordinare ad finem internum fini ultimo supernaturali congruentem (1289).

869. Ecclesiastica auctoritas nullo pacto auctoritates laicas absorbet vel impedit in ulla re quæ ad vera illarum jura pertineat (129).

870. Ecclesiastica Protarchia debet suapte natura esse visibilis et constans seu permanens (1292)

871. Ecclesiastica Protarchia debet omnino residere in ea persona, cujus publicum judicium, in christiana doctrina definienda, sit per se ipsum divino munere *infallibile* (1294)

872. Ecclesiæ Protarchia neque in christianorum multitudine indiscriminatim, neque in multitudine Episcoporum dispersa, neque in horum concilio residere potest (129).

873. Ecclesiæ christianæ Protarchia plene ac perfecte jure divino in Romano Pontifice uno residet (1297).

874 A Romani Pontificis publico decreto ecclesiastico nunquam et nemini licet ad ullam aliam potestatem provocare (1298, coroll 1, I).

875. Ecclesiæ christianæ regimen, a Christo Domino institutum, prorsus monarchicum est (*Ibid.*, II).

876. Ecclesiasticæ auctoritatis natura ipsa postulat regiminis ab illa exercendi lenitatem, ita tamen ut solius Protarchæ sit determinare quæ et quanta in singulis casibus suavitas sibi sit, necne, adhibenda (*Ibid.*, IV).

877. Infallibili judiciorum firmitate Romano Pontifici denegata, hoc ipso tota illius Protarchia et Ecclesia christiana omnis evertuntur (*Ibid.*, coroll 2, I).

878. Romanus Pontifex *ex cathedra* loqui censendus est, quotiescunque id se ita facere affirmat vel explicite vel implicite (*Ibid.*, II).

879 Romanus Pontifex legitimus a nulla in terris auctoritate potest vel toto suo munere, vel ulla jurium suorum parte privari (1299).

880. Romano Pontifice utcunque deficiente, ad nullam inferiorem potestatem, neque ad multitudinem christianorum universam potest summa Ecclesiæ auctoritas ad tempus transire (1301).

De Episcoporum Deutarchia.

881. Episcopi, vel singuli dispersi, vel plures utcunque congregati, talem ac tantam in Ecclesia potestatem jurisdictionis habent, qualem et quantam iis Romanus Pontifex concesserit (1304).

882. Omnes et singuli Episcopi gravi officio tenentur et obtemperare ipsi, et subditos suos cogere ut obtemperent, omnibus decretis quæ fuerint vel generaliter pro Ecclesia universa, vel particulariter pro illorum diœcesibus a Romano Pontifice aut a magistratibus auctoritate pontificia legitime jubentibus sancita (1306).

883. Gravissimus est ac perniciosus eorum error qui asserunt Sedis Apostolicæ decretis et præceptis vim obligatoriam in Gallia vel in particulari alia quavis regione minime inesse nisi dependenter a singulorum Episcoporum consensu vel acceptatione (1307).

884. Episcopi omnes et singuli sunt vere et proprie judices in causis ecclesiasticis; at eorum, quocunque numero, sive seorsim, sive in synodo judicantium sententia nequaquam est per se *irreformabilis* (1308).

885. Ab Episcoporum sententia semper, absolute loquendo, licet ad Sedis Apostolicæ judicium appellare; at certis limitibus hoc jus appellationum a Romano ipso Pontifice coercendum est (1309, coroll. 2).

De Protestantismo.

886. Protestantes nullas habent, nullas habere possunt Scripturas sacras (1311).

887. Protestantismus in Rationalismum necessario delabitur (1312, coroll. 1).

888. Protestantismus est evidenter multis modis absurdus et sibi ipsi contradictorius (1313).

889. Turpiter desipiunt quicunque veritates divinitus revelatas libero examini privato subjiciunt (1314).

890. Protestantismus omnem christianismum suapte natura labefactat ac funditus evertit (1315).

891. Protestantes nequaquam sunt vere et proprie christiani (1316).

892. Protestantismus suapte natura subruit essentialia societatis civilis ac politicæ fundamenta, et ad utrumque ordinem, civilem et politicum, prorsus subvertendum tendit necessario (1317).

893. Protestantes, aliique hæretici, antequam cum ipsis de ullo doctrinæ capite disputetur, cogendi primum sunt originem suæ sectæ suæque doctrinæ legitimam demonstrare (1318, coroll. 3).

De Gallicanismo.

894. Gallicanismo quinque potissimum causæ ortum dedere : 1ª Seditiosa omni tempore passionum malarum indoles; 2ª Magni schismatis occidentalis reliquiæ; 3ª Protestantismi contagio; 4ª Jansenistarum fraudes; 5ª Ludovici XIV regis superbia conjuncta cum virorum quorumdam animo imbecillo (1319, not. 2).

895. Duæ pestes in quatuor articulis gallicanæ declarationis continentur : *machiavellismus* politicus et *anarchia* religiosa (*Ibid.*, not. 3).

896. Quatuor articuli declarationis gallicanæ a Sede Apostolica et ab Ecclesia Universali sunt vere ac proprie quoad ipsam eorum doctrinam improbati, ita ut nemini liceat eam doctrinam tamquam probabilem retinere (1320).

897. Gallicana quatuor articulorum doctrina per se quidem hæretica est; at sinceri tamen catholici fuerunt multi eorum qui huic doctrinæ adhæserunt (1321, coroll. 2).

898. Erronea declarationis gallicanæ doctrina suapte natura ad christianæ totius religionis subversionem tendit (1322).

899. Gallicanismus *curialis* a Gallicanismo *theologico* legitime consequitur, ab illoque est prorsus inseparabilis (1323, coroll. 2).

900. Erronea declarationis bossueticæ doctrina est regibus et civili ac politico rei publicæ ordini vehementer periculosa (1324).

De ecclesiasticis potestatibus constituente, deliberativa, legislativa, gubernativa et judiciaria.

901. Ecclesiasticæ potestatis deliberativæ, quæ plene ac perfecte in solo Romano Pontifice residet, Episcopi utique sunt jure divino participes per duplicem monitionis viam, tum ad suos subditos, tum ad suum ipsum Protarcham dirigendæ (1328).

902. Solus Romanus Pontifex habet potestatem legislativam in Ecclesiam universam; singuli vero Episcopi sunt hujus legislativæ potestatis participes pro sua quisque diœcesi, ita tamen ut hæc eorum facultas optimo jure possit a Romano Pontifice, prout satius ille duxerit, limitari (1329).

903. Ecclesiastica potestas exsecutiva est in duplici ordine; altera interna, altera externa: hanc hierarchia visibilis cum plena libertate gerit; illa, omnino jam divinis institutis determinata, a sacris ministris exercetur : sunt tamen hæ duæ potestates vario modo in variis christianæ hierarchiæ gradibus vel conjunctæ vel separatæ (1331).

904. Ecclesiasticam potestatem gubernativam externam Romanus Pontifex et Episcopi soli habent jure divino; ille plenam et absolutam, hi *partialem* et *subordinatam* (1333).

905. Ecclesiastica auctoritas habet ex immediata Dei ordinatione jus sententia *irreformabili* judicandi tum de fidei morumque doctrinis, tum etiam de rebus civilibus ac temporalibus cum ordine spirituali connexis (1334).

906. Sola Ecclesia christiana potest per se ipsa probare auctoritatis suæ veritatem legitimam et legum suarum honestatem : secularis vero potestas quælibet neutrum horum præstare aliter quam per Ecclesiæ judicium potest (1335).

De ecclesiastica potestate administrativa.

907. Christiana Ecclesia jure divino potest ac debet verum dominium habere, et civile et politicum, divitiarum aliquarum materialium, independenter a quacunque laicæ potestatis concessione (1337)

908. Sacrilegi latrones, hostes Ecclesiæ, et excommunicationi obnoxii sunt reges, principes, eorum ministri, senatores, deputati, cæterique omnes qui ad bona ecclesiastica usurpanda cooperantur (1338, coroll. 1).

909 Clerici ad Ecclesiam suis bonis spoliandam cooperantes non solum sacrilegi latrones sunt, sed turpissimi etiam Ecclesiæ et Christi Domini proditores (*Ibid.*).

910. Bonorum ecclesiasticorum sacrilega usurpatio *socialismum* suapte natura gignit (*Ibid.*, coroll. 3).

911. Bonorum ecclesiasticorum dominium politicum universale in Romano Pontifice residet; dominium eorumdem civile competit singulis consortiis vel personis, quæ illa ad pios usus acquisiverint (1340).

De ecclesiasticis immunitatibus, et de ecclesiastica vi coactiva.

912. Ecclesiasticæ immunitates, quatenus ad bonum Ecclesiæ totius necessarium pertinent, sunt utique de jure naturali et positivo divino imm-

tabili; quatenus vero commoda toti Ecclesiæ non prorsus necessaria concedunt, de jure sunt humano et per se revocabili (1342).

913. Ecclesia christiana jure divino habet potestatem omnino independentem vis materialis sibi propriæ adhibendæ ad externum ordinem apud suos conservandum (1344).

914. Absolute loquendo, habet Ecclesia christiana jus independens pœnæ capitalis aliquando suis subditis ob gravissima delicta infligendæ; at mansueta illius indoles postulat ut ab hoc jure exercendo abstineat, sicuti semper reapse abstinuit (1346).

915. Ecclesia christiana ubique terrarum habet verum et immutabile jus omnino independens religionis suæ vi et armis contra quemcunque aggressorem propugnandæ, quotiescunque felicem belli exitum potest sibi prudenter polliceri (1347).

De potestatum ecclesiasticæ et laicæ essentiali distinctione, atque essentiali laicæ sub ecclesiasticam subordinatione.

916. Societas et auctoritas spirituales a societate et auctoritate civilibus et temporalibus sunt juribus divinis naturali et positivo, atque esse debent, omnino ac perpetuo distinctæ (1350).

917. Auctoritas ecclesiastica est omnino ab omni potestate seculari independens jure divino in omnibus etiam temporalibus *materialiter*, quatenus ea sunt formaliter ecclesiastica (1353).

918 Auctoritas secularis in quocunque gradu est jure divino subdita ecclesiasticæ potestati etiam in temporalibus, quatenus hæc ad religionem vel ad moralitatem pertinent (1354).

919 Romanus Pontifex jure divino habet potestatem *indirectam* in temporalem ipsam regum et principum auctoritatem (1355, coroll. I).

920. Potestatis laicæ sub ecclesiasticam essentialis subordinatio nullo pacto prioris illius efficaciæ et independentiæ nocet (*Ibid.*, coroll. 3, I).

921. Subordinatio laicæ potestatis sub ecclesiasticam est principibus ac rei publicæ, in ordine ipso temporali, perutilis ac plane necessaria (*Ibid.*, III).

De principum secularium officiis erga Ecclesiam negativis.

922. Principibus secularibus summo studio cavendum est, ne rebus sacris se ullo modo immisceant (1357).

923. Omnis princeps gravi officio tenetur pravam quamcunque civilis et politici regiminis formam a suis populis prohibere (1358).

924. Regiminis formam *liberalisticam* bonus princeps constanter, ut pravam et perniciosam, propulsare debet (1359, coroll I).

925. Nequaquam Ecclesia erga omnes regiminis formas indifferenter se habet vel habere potest (*Ibid.*, II).

926. Regiminis formam *liberalisticam* Ecclesia explicite et authentice reprobavit ac rejecit, saltem indirecte (*Ibid.*, III).

927. *Libertinum* regimen civile ac politicum Ecclesia nunquam expetiit aut postulavit (*Ibid.*, V).

928. *Libertinam* regiminis formam jure optimo potest, quin imo debet, princeps abolere, etiamsi juramento se illam servaturum promiserit (*Ibid.*, coroll. 3, II).

929. Licet fidelitatem *civicam* Gubernio *libertino* promittere; at *politicam* fidelitatem eidem polliceri non licet (*Ibid.*, III).

930. Omnis princeps tenetur summa cura abstinere ab ulla re vel jubenda in legibus ac decretis, vel facienda aut toleranda in quotidiano rei publicæ regimento, quæ legibus ac juribus Ecclesiæ ullo pacto adversetur (1360).

931. Omnis lex, omnis jussio potestatis secularis contraria legibus ac juribus ecclesiasticis, est per se ipsa **essentialiter** irrita et cassa, et a nemine potest licite observari (1361).

De principum secularium officiis erga Ecclesiam positivis.

932. In re qualibet ad Universalis Ecclesiæ fidem vel disciplinam pertinente ordinanda, stricto officio tenetur omne laicum Gubernium Sedem Romanam potissimum consulere, ejusque monitis ac præceptis constanter obtemperare (1363).

933. Secularis potestas tenetur summo studio curare ut boni aptique episcopi singulis ecclesiis præficiantur (1365).

934. Bonus aptusque Episcopus esse nequit, nisi ad mitem prudentiam simul et ad invictam fortitudinem sit per christianas virtutes probe comparatus (1366, I).

935. Ut bonus aptusque sit Episcopus, nequaquam illi sufficit *humanistica* eruditio, sed, præter philosophicam doctrinam, theologica potissimum et canonica scientia in illo fulgere debet (*Ibid.*, II).

936. Laici principes immutabili officio tenentur pacta et *concordata*, quæ ab ecclesiastica potestate obtinuerint, fideliter observare (1367).

937. Omnis princeps christianus vera tenetur strictaque obligatione protegendi, omni modo quo potest, veram Christi Ecclesiam ejusque omnia membra sibi *temporaliter* subdita (1368).

938. Peccant gravissime in Deum, in patriam, in Ecclesiam reges, principes, eorum ministri, senatores, deputati, quotiescunque *ultro* patiuntur Ecclesiæ leges et jura, fidem, disciplinam impune lædi et violari (1369, coroll. 2, I).

939. Prava, impia et absurda est omnis forma civilis et politici regiminis, quæ suapte natura impedat vel tendiat ad impediendum ne princeps Ecclesiam catholicam efficaciter protegat (*Ibid.*, II).

940. Impium, absurdum et perniciosum est protestanticum illud institutum, quod *libertas cultuum*, vel *libertas conscientiæ*, mendaciter appellatur (*Ibid.*, III).

941. Absurda, impia et perniciosa est *libertas libraria* absoluta (*Ibid.*, IV).

942. Impia, absurda et perniciosa est doctrina generaliter postulans Ecclesiæ et temporalis Gubernii *absolutam separationem* (*Ibid.*, V).

INDEX

LIBRORUM, CAPITUM ET ARTICULORUM IN ALTERO JURIS NATURALIS TOMO CONTENTORUM.

EXPLICIT INDEX TOMI SECUNDI.